2

FRANCISCI BALDVINI.

JVRISCONSVLTI

CONSTANTINVS MAGNVS

SIVE

COMMENTARIORVM DE CONSTANTINI IMP. LEGIBVS ECCLESIASTICIS ET CIVILIBVS

LIBRI DVO.

ACCESSIT

EIVSDEM COMMENTARIVS AD EDICTA VETERVM PRINCIPVM ROM. DE CHRISTIANIS

CVM

NIC. HIERON. GVNDLINGII, JCti

PRAEFATIONE

ET INDIC. RER. ET VERB. LOCVPLET.

LIPSIAE ET HALAE

EX OFFICINA CRVGIANA

CIƆ IƆCC XXVII.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
NAPOLI

Digitized by Google

NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS, JCt.

LECTVRIS SALVTEM.

SIcuti, Conſtantino M. imperante, totus Orbis Romanus eſt mutatus, ob religionem chriſtianam ab eo ſuſceptam; ita variæ ab eo latæ ſunt leges, quæ mutationem iſtam promouere, & jus quoque noſtrum quadantenus in melius conuertere viſæ ſunt. Neque enim credendum, facere religionem chriſtianam, omnes vt leges ſint puriſſimæ rationi con-

gruentes, æquitatis pleniſſimæ populi genio accommodatiſſimæ. Fuere Reges Chriſtiani innumeri, qui ſtolide imperarunt, & a tramite declinantes ineptiſſimorum Principum elogium tulere; cum è contrario haud pauci inueniantur à veritatis ſalutaris cognitione longius remoti artibus regnandi excellentes ac chriſtianos longo poſt ſe intervallo, ob egregias animi dotes, relinquentes. Ipſi veteres Julianum Apoſtatam, peſſimum licet religione Principem, Jouiano præferunt ejusque eximias laudes vno ore canunt, dignisſimum imperio pronunciantes, niſi ad Numinum cultum transiuiſſet infelix anima. Qui hac de re dubitant, Ammianum Marcellinum legant, quamque placide rexerit populum ſuum, quamque pro-

prouidenter, eo interprete cognoſcant. Innititur enim ars regnandi rationis diſciplinæ, neque inſpiratione cœleſti ad illam quisquam indiget: quamuis & alterum extremum omni ſtudio deuitandum ſit, ne quis cum MACHIAVELLO temere exiſtimet, obeſſe chriſtianam religionem præclaris auſis, efficereque, vt imperium minus fauſte ac fortiter adminiſtretur. Potius ratio gubernandi rempublicam ſapienter atque chriſtianæ veritatis limpida cognitio vna in ſede commodiſſime morantur, dummodo reprimat affectus is, qui regnat, neque cupiditatibus ſuis obſecundet, ſed Deum vere amet, nec ſuperſtitione plenis tintinnabulis perfidisque hominibus auſcultet. Id vero ipſe BALDVINVS noſtras vltro largitur, maximis quoque vitiis obrutum deprehendi Conſtantinum,

eaque per tranſennam recenſet; ſed addit merito, virtutes ejus fuiſſe maiores, quam, quæ in eo reprehenduntur, vitia: nec ſine diſtinctione credi fas eſſe, quæ de ipſo hoſtes infenſiſſimi narrant, atque pagana loquacitas vagis in vulgus rumoribus ſparſit. Cumque hæc ad hiſtoriam tanti Principis pertineant, quam plures ſcripſere, & BALDVINVS vero JCtus ad leges ejus nouas potiſſimum reſpiciat, quæque eum in ſingulis impulerit ratio, quiue habitus temporum fuerit, oſtendere ſatagat; per ſe claret, perperam ab illo vel accuſationum vel excuſationum cauſſas exſpectari. Verum tamen fateor, non ſedere chriſtianis bene, vt Conſtantinum mordaci lauent aceto, qui, ſine illo ſi fuiſſent, ad nullum publicæ rei munus fuiſſent admiſſi, vagi, extorres, hac pulſi atque

atque illac, milleque vexationibus obnoxii manſiſſent: vt taceam, quæ vndique confuſio regnauerit, quæ idololatrarum multitudo, quanta odia in chriſtianos exarſerint, quæ rabies Judæorum, quæ Gentilium in omnibus cogniti orbis partibus crudelitas animaduerſa, quæ in Chriſticolas conuicia & calumniæ conjectæ, perſecutiones excitatæ, ac quot denique mortis genera, illorum in perniciem legantur excogitata. Vnde recte meo judicio egit NOSTER, quod ſigillatim expenderit, tot atque talia beneficia, quibus affecerit Imperator Maximus Chriſti numen adorantes: oſtendendo ſimul, quomodo ordinauerit eccleſiam, ſacerdotes diſtinxerit, certa iisdem nomina indiderit, munera deſcripſerit, ſcholas inſtituerit, Bibliothecas collegerit, ut mirari ſubeat, ab homine militari tam affabre vniuerſa

excogitari potuiſſe tamque egregie diſpenſari. Scio equidem, neque id ignorauit BALDVINVS, auctas ſacerdotum opes, honores, immunitates iis occaſionem luxuriæ, diſcordiarum & ambitionis dediſſe; hincq; multis vapulare hunc Principem, & valde reprehendi præcipue quum major in templis ab illa ætate obſeruetur ſtrepitus, ritus plures, quam antehac, inueniantur, ac ſimile vero ſit, multa à gentilib. accepta cum reb. chriſtianis fuiſſe commixta, aut ita ſaltem temperata, vt paganorum ſolennia nihilominus pelluceant. Sed probe quoque perſpicio, minime ea ratione famam Conſtantini labefactari, ſed potius, ſi quid in huiusmodi accuſatione veri eſt, Epiſcopos & Κλῆρον totum in crimen adduci, quod auctores ſuaſoresque fuerint, templa vt ædificaret magnifica,

gnifica, ſacrificatorum paganorum reditus, bona, theſauros chriſtianæ religionis cultoribus relinqueret, variasque cærimonias admitteret. Ille enim, qui recens ad nouam religionem a patria & antiqua transierat, tantæ non erat peritiæ atque doctrinæ, vt huic muneri par eſſet, & examuſſim omnia expendere, commoda cuncta peruidere, & incommodis vniuerſis proſpicere poſſet. Nec dubito, quin, ſi ex eo quærere potuiſſet *Scaliger*, an Apoſtolicam ſibi ſapientiam ineſſe crederet, is certe reſpondiſſet, ſe prudentiores ſequi, qui Apoſtolorum ſpiritum jactarent, quales eſſent Epiſcopi & flamines, quorum opera & laboribus ad cognitionem ſalutarem fuiſſet traductus, ſe vero bello induruiſſe ac nouitium hiſce in rebus eſſe. Scaligerum conſulto nomino, qui primus fere in *Sca-*

ligeranis in ambiguo reliquit, an Conſtantinus vere fuerit Chriſtianus vnquam, nec Chriſti doctrinam contra aduerſarios paganos ſolum obtentui ſumſiſſet? Verum confutauit doctus VITRINGA ad *apocalypſin Joannis cap. XII. v. 6. p.532. ſeq.* Scaligeri fortuita ſomnia, egregie docens, quam parum fidei ſit tribuendum *Eutropio, Zoſimo, Juliano* aliisque hoſtium ſuperſtitioſiſſimorum calumniis fictisque ſermonibus. Etſi enim nemo negat, Conſtantinum fuiſſe hominem nihilque humani a ſe alienum putasſe, ac peccatorem quoque inſignem; non eſt tamen propterea inferendum, nihil igitur boni in eo reſediſſe; eum Ethnicum manſiſſe, atque vtilitatis ſuæ cauſſa, deteſtandæque vltionis gratia ſumma imis, ima ſummis miſcuiſſe, cum interea vtilitatis ratio non compareat, ſed

inter

inter τὰ μὴ ὄντα merito recenſeatur. Vnde illuſtris Spanhemius in *obſeruationibus* ad primam *Juliani orationem p. 84.* eum a telis inimicorum liberat, laudatiſſimusque Vitringa ſub MARIS FILIO in apocalypſi Conſtantinum latere haud improbabili argumento euincit. Itaque vix vitio dabitur BALDVINO, ſi in plerisque conſtitutionibus nouisque legibus Imperatorem hunc ob prudentiam laudet, alterum eum Cyrum ac Nehemiam appellitans, ejus conſtantiam miretur, continentiam & frugalitatem ſuſpiciat, diſciplinæ militaris tenaciſſimum pronunciet, humanitatem in omnes inque primis afflictæ innocentiæ homines prædicet, &, quæ is in Republica ratione ſeruorum, pupillorum, vectigalium moderandorum, reſtaurandarum vrbium, legum forenſium atque capitalium, rei hereditariæ,

teſta-

teſtamentariæ, nauticæ, nummariæ, ſtatuerit, gnauiter exponat, interque varias illuſtrationes plerumque limatum viri iudicium ſuo calculo approbet. Id optandum, vt, qui ſcripſit leges Conſtantinianas, ſtilo vſus fuiſſet clariori. Fecit enim genus dicendi obſcurum, vt illæ ſæpius in contrariam ſententententiam torquerentur; reſtatque hodienum copia dubiorum ſat grauium, quæ præſtantiſſimos JCtos inter ſe collidunt, de quibus ipſe eſt adeundus BALDVINVS; qui demum JVSTINIANVM ſimili induſtria elucubrauit, ac THEODOSIVM ſe pari daturum methodo promiſit, qui tamen lucem non adſpexit: vtut in ſcriniis forte cubat illorum, qui ſcriptis præclaris veluti Dracones incubant, ſibique placent, quod habeant MS. quæ ipſimet vix intelligunt, ceteri non habeant. Sed

Sed dicendum eſt tandem de libello *Fr. Balduini*, in quo *edicta Principum de Chriſtianis* examinat antequam Conſtantinus in ſocietatem ac diſciplinam chriſtianorum ſe dediſſet. Monet JCtus a Centuriarum Magdeburgenſium Collectoribus ſollicitatum ſeſe, vt, quæ hoc de argumento collegiſſet, cum ipſis communicaret. In quo illis obſecundare noluit, ſed propriis curis emittere in publicum decreuit, qvæ ſibi e veterum annalibus & diligenti juris tractatione innotuerant. Quod ſicuti perinde eſſe nobis poteſt, atque ſi in illis centuriis comparuiſſent tam docta, tamque bene elaborata; ita faciendum vtique erat, vt plurium in manus perueniret libellus, qui a Conſtantino BALDVINI commode ſegregari nequit. Igitur BIBLIOPOLAE, vt ſimul prælo ſubjiceret, ſcri-

ſcriptum rariſſimum, præſertim cum tenerem, paucos eruditorum perluſtraſſe, quæ hac de re diſſeruit JCtorum elegantiſſimus. Saltem agnovit FRANCISCI merita Cornelius Bynkershoeckius Vir ampliſſimus in *diſſertatione de cultu religionis peregrinæ*, arbitratus, eum fere nihil omiſiſſe, quod ad res chriſtianorum ſub Principibus Romanis cognoſcendas faciat, vno hoc, altero aliud decretum condente; eoque benignius modo, modo iniquius habitos Chriſtianos. Diſplicebat enim iis inter peregrinas religiones chriſtiana potiſſimum, in qua vnus colebatur Deus, ac reliquorum Deorum innumera cohors nihili fiebat: neque illi Imperatoribus ſacrificabant, neque eorum imaginibus honorem deferebant, ac multo minus thure vinoque

que ſupplicabant: vt omittam, Idolorum artificibus ſubtracta lucra, & operas, vnde viuebant, ſic fuiſſe imminutas: quod præclare obſervat laudatiſſimus Belga, cujus de Balduini libello iudicium exquiſitis verbis expreſſum adſcribam haud temere: *Chriſtianorum res, quo loco apud Principes Romanos fuerint, ad vsque Conſtantinum, ſi pro dignitate argumenti excuterem, horum temporum Hiſtoria Eccleſiaſtica mihi eſſet conſcribenda; poſſumque eam operam hoc magis fugere, quod ſolicite id præſtiterit ille, quem modo laudabam, Franciſcus Balduinus Libello, quem edidit ad Edicta veterum Principum Romanorum de chriſtianis, vbi omnia ea Edicta recenſuit & annotauit, vt & Plinii de chriſtianis conſultationem, & ad eam Trajani Reſcriptum.*

Quod

Quod opuſculum ſi vidiſſet & legiſſet GERARDVS JOANNES VOSSIVS, *tuto potuiſſet abſtinere a ſcriptione libri eiusdem plane argumenti, hoc Titulo:* Commentarius in Epiſtolam Plinii de Chriſtianis & Edicta Cæſarum Romanorum adverſus Chriſtianos; *nihil enim, quod quidem alicujus operæ pretium eſt, ibi reperies, quod non occupauerit Balduinus.*

Ex quo conjici poteſt, num operæ pretium fuerit, ut jungeretur hæc tractatio CONSTANTINO BALDVINIANO? Iſtud addo, in corpore juris noſtro nullum contra chriſtianos edictum, immo nihil, quod illis aduerſum exiſtimari certo poſſit, inueniri. In qua ſententia etſi BALDVINVS non fuit, ſed Vlpianum cumprimis accuſat, quod chriſtianos *l. 1. §. 3. ff. de extra-*

traordin. cognit. EXORCISTAS appellauit; ſunt tamen Viri docti, qui plane alterius commatis homines eo nomine comprehendi exiſtimant. Minimum Schurzfleiſchius in *diſſert. LXXI. philolog. p. 15.* tales indicari autumat, *qui medendi cauſſa ritus ſuperſtitioſi formulas adhibent.* Quod vtcunque ſit, fateri certe cogimur, Balduinum veriſimilibus rationibus contrarium defendiſſe, quanquam abludat a janua. Plura non habeo in præſenti, quæ adferam, cum negotiorum moles inſignis me premat, manumque tolli de tabula jubeat. Vale lector, & mihi benigniter faue. Halæ Magdeb. ipſis Kalendis Maji CIↃIↃCCXXVII.

)( )(ILLV-

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI FRIDERICO
COMITI PALATINO RHENI, DVCI BAVARIÆ, S. ROM. IMPERII ARCHIDAP. AC PRINCIPI ELECTORI

FRANCISCVS BALDVINVS S.

MVLTIS iam annis magna ſtudiorum contentione quæritur, illuſtriſſ. Princeps, de optimis conſtituendæ Reip. Chriſtianæ legibus. Earum ex antiquitatis memoria repetendum aliquod exemplum eſſe, nemo, qui ſanus ſit, negat: fatentur omnes boni. Sed quale vel ſit illud, vel eſſe debeat, multi dubitant: præſertim cum Legibus opus ſit, quæ cum religionis cauſa coniunctam rem ciuilem conſtituere recte poſſint. De iis tamen quisque, quem quidem aliqua Reip. cura tangit, ſententiam dicit ſuam. Sed cum omnes ordines certatim id agant, tum vero Iurisconſulti in primis rogari ſolent: & rogati, quid ſentiant, dicere conſiderate debent. Tantum mihi non ſumo, non tribuo

buo tantum, ut in eorum ordine ampliſſimo ſedere me exiſtimem: qui nec in imo quidem ſubſellio fortaſſe hærere poſſim, ſi de tali tantaque re quæratur. Sed cum in Comitiis huiuſce Imperii hoc tempore de illa deliberent viri Principes, ſemper mihi viſus eſt Conſtantinus occurrere, auctor profecto magnus, & in hoc genere primus: quem, qui Remp. Chriſtianam ſaluam eſſe volunt, in primis audiant, & in diſſenſione arbitrum accipere non recuſent. Neutri enim parti ſuſpectus vel eſt, vel eſſe nunc poteſt; debet potius & poteſt utrique eſſe pergratus: & eſt denique omnium iampridem ordinum, omniumque temporum conſenſu receptus iudex talium controuerſiarum, & in talibus deliberationibus delectus tanquam Princeps Senatus. Sed quænam eius ſententia ſit, vel olim fuerit, fortaſſe ambigitur: quod & hiſtoriæ, quæ de eo multæ circumferuntur, ſint etiam multis fabulis contaminatæ: & eius leges partim ſuppreſſæ, partim disiectæ, diſcerptæque ſint. Agnoſco equidem vtramque hanc illi & nobis factam iniuriam eſſe. Sed depelli tamen utramque poſſe credo. Hiſtoriam, depulſis fabulis, veram, quam requirimus, contexent, & tanquam deterſis maculis puram caſtamque da

bunt, quos aliquando fore ſperamus veteris memoriæ vniuerſæ vindices: Leges interea, quarum lacera membra iactari conquerimur, & colligent diſperſas, & reuocabunt fugientes, & deliteſcentes eruent, inque lucem proferent, quicunque perfectæ Chriſtianæque Iurisprudentiæ ſtudioſi ſunt: ſunt autem, ut opinor, nunc permulti, & erunt aliquando fortaſſe plures. Vt autem quod poſſunt, efficiant, & quod debent, præſtent magis atque magis, tam magna iuſtaque nunc cauſa eſt, ut ceſſationi relictus nullus eſſe locus videatur. Certatim potius & Principes huc reuocare ſuos conſiliarios, & conſiliarii ſuos Principes eodem impellere debeant. Olim conſularis trabea, palmataque toga, quæ ſummis magiſtratibus dabatur honoris cauſa, Conſtantini effigiem intextam habere ſolebat. Sic enim maiores noſtri graviter iudicabant, hanc illorum oculis obſeruari ſemper debere; & tale propterea munus potius, quam aut faſces, aut ſellam curulem, Auſonio ſuo, conſuli deſignato, Gratianus Imp. miſit, & miſiſſe ſe gloriatur. Vtinam vero viuam illam Conſtantini, non corporis, ſed animi, & eius quæ illius animo inſculpta fuiſſe videtur, religio-

ligionis atque prudentiæ imaginem totam, aliquis oratione exprimere poſſit: quam & Chriſtianis Principibus offerrent, qui eorum de Republica conſiliis interſunt, & ipſi ſibi ſpectandam ſæpe proponerent. Euſebius, Epiphanius, Theodoritus, & ſimiles hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, ut alios taceam, magnos nobis, multosque de Conſtantino commentarios reliquerunt. Sed deſcriptio etiamnum alia quædam deſideratur, quæ coniunctam cum Eccleſiaſticis rerum ciuilium rectam conſtitutionem in Conſtantini legibus oſtendat; tantum abeſt, ut eorum noſtro deſiderio ſatisfacere declamatio poſſit, qui Conſtantinum ita nobis depinxere, ut ad fallendum magis laruam aliquam obiicere, quam ad imitandum proponere exemplum verum voluiſſe videantur. Ego itaque, cum ſanioris Iurisprudentiæ, quæ ad defenſionem veritatis, & ſalutem Reipub. conſilia refert ſua, ſtudioſus eſſem, ut eſſe me profiteor: feci non inuitus, ut Conſtantini legibus operam aliquam darem, & breuem de iis commentarium colligerem: neque in eo male poſitum laborem ſtudiumque noſtrum eſſe putarem; etſi eum non ignorarem nullum habere poſſe

orationis aut lumen, aut florem. Nam & verſatur in eorum recognitione temporum, quæ Latinam iam linguam plane contaminarant, & in earum recordatione rerum, quæ minime poſſunt (utar verbo Ciceronis) ἀυθηρογραφεῖσθαι. Verum ſit ita ſane, ut rudis hæc mea manus vix prima Conſtantini lineamenta obſcure adumbrare poſſit: ſi tamen hoc tempore, quo Conſtantinum lugemus adhuc mortuum, ſed eius memoriam ſupereſſe optamus, poſſit vel impolitam oſtentare tabulam, in qua non quidem illius imagines artificioſe expreſſæ ſint, ſed nobiliſſimæ ſaltem Leges obſcuris notis inſcriptæ: officium hoc meum bonis omnibus gratum fore confido; ut gratiſſimum Romanis olim fuiſſe dicitur conſilium illius L. Arruntii, qui, cum de funeris Auguſti honoribus quæreretur, cenſuit, Legum ab eo latarum titulos præferri debere.

Equidem memini, quod hiſtoriæ Eccleſiaſticæ narrant, paulo poſt Conſtantini noſtri mortem, in urbe Conſtantinopolitana magnam populi commotionem fuiſſe,

cum

cum effodienda eſſent Conſtantini oſſa: & cum effoſſis cineribus urna, ne impendentis cuiusdam ruinæ ruderibus obrueretur, alio transferenda. Neque huius unquam hiſtoriæ memini, quin cogitem, nunc in tantis orbis terrarum ruinis effodiendas eſſe longe meliores Conſtantini reliquias, neque perpetua obliuione ſepultas iacere debere: colligendas potius, & ad omnium Gentium populorumque vel memoriam vel uſum eſſe conſervandas. Si viueret Conſtantinus, ſine magno dolore videre non poſſet, Imperium illud ſuum, omnibus quondam a ſe politum artis coloribus, tam miſere nunc deformatum, totque maculis turpiſſime fœdatum: ut Apelles, ſi Venerem ſuam fœde contaminatam, aut ſi Protogenes ſuum Ialyſum cœno oblitum aſpiceret, magnum acciperet dolorem. Quid igitur, ſi nobiliſſimum illud Imperium, quod ab extremis Orcadibus, ad ipſam vsque Indiam propagatum, & pulcherrimis vndique legibus communitum, moriens reliquerat, in ſummas nunc anguſtias redactum: & illud quoque ipſum, quantulumcunque reliquum eſt, diſcerptum, disiectumque videret? Illachrymaſſe olim dicitur, cum ſuam He-

)()(4 duo-

duorum ciuitatem afflictam, vexatamque inuiſiſſet. At quibus nunc lachrymis dolorem exhaurire ſuum poſſet, ſi vniuerſam prope Rempublicam ſuam, languentem & depoſitam intueretur? Imo vero, quibus eam oculis contueri poſſet? Sed quibus tamen olim remediis, cum deploratam primum accepiſſet, non ſolum ægram iacentemque recreauit, ſed & prope iam mortuam excitauit, & ad feliciſſimum pulcherrimumque ſtatum reuocauit: iisdem nunc auxiliis, conſiliisque, & eius reliquias colligeret, & membra componeret: & quale poſſet, collectum compoſitumque corpus confirmaret. Quod vero ille, ſi viueret, facturus eſſet: facere nunc certe debent, qui hanc ab eo mandatam curam acceperunt: & vero facere poſſunt, ſi illius veſtigiis inſiſtant, & legibus vtantur. Experti olim Romani ſunt, eſſe veriſſimum, quod poſtea T. Liuius ſcripſit, ad Remp. amplificandum, vim legum maiorem, quam hominum eſſe. Experientur non minorem eam adhuc eſſe, ad horum temporum Rempubl. continendam, ſi, qui huius continendæ partes ſuſceperunt, Conſtantinum veluti præeuntem ſequantur. Sed vt hic religioni

veræ

veræ operam primum dedit, (vt eſt hoc ſane primum, atque adeo arctiſſimum Reipublicæ vinculum) ſic illos in primis dare eſt neceſſe. Quod quidem niſi fiat, neceſſe eſt, quæ primum cauſa Imperium Romanum olim diſſoluit, eadem ut huius reliquias nunc peſſundet. Sed ſi aliquando, quod ſperamus, fiat: cum reliqua reſtitutæ fortunatæque Reip. bona omnia expectabimus, tum vero audiemus & nos fortaſſe aliquando illam rurſus lætiſſimam profecto Conſtantini vocem: quam vt audiat, iampridem incredibiliter optat noſter hic orbis, gemens & ſuſpirans in ſuis diſſenſionibus, ſed aliqua tamen interdum ſpe meliori & expectatione arrectus: illum dico fauſtum, felicem, ſalutaremque nuncium, quem ad ſuos olim Alexandrinos Conſtantinus emiſit, iuſtiſſima ſuauiſſimaque gratulatione perfuſum: τὰς διχονοίας, τὰ σχίσματα, τοὺς θορύβους, κατὰ τὴν τοῦ χριστοῦ κελεύσιν, ἡ ἀληθείας ἐνίκησε λαμπρότης.

Fecit itaque hæc de Rep. cogitatio, quæ mihi in meis etiam priuatis ſtudiis perſæpe

occurrit, maior illa quidem fortaſſe, quam vt homini in ſcholis educato conueniat, ſed a qua tamen plane alieni eſſe non debeant homines priuati, vel ſi in aliena Rep. verſarentur hoſpites alioqui non curioſi: fecit (inquam) illa, vt quicquid illud erat, quod de Conſtantini legibus cogitando collegeram, ad Germanos principes, eorumue Senatum auguſtiſſimum, verecunde referre non recuſarem. Nam & Germani olim primi fuerunt, qui Conſtantinum fecere Magnum (fuit enim Alemannorum Dux Erocus, cuius & conſilio & manu adiutus primum in hoc Occidente rerum ille potitus eſt:) & nunc ſoli ſunt, qui eius adhuc Imperii partem aliquam poſſident: & memoriam colunt earum Legum, quibus ille ſuum Imperium non ſolum fundauit, ſed & cum religione coniunxit, & longe lateque propagatum confirmauit. Sed vt audientiam ille aliquam in his rerum motibus impetrare poſſit, & eius Leges quodam veluti poſtliminio locum aliquando ſuum recuperent:

te

te in primis appellandum eſſe, FRIDERICE Princeps illuſt. exiſtimaui: quem & huius Imperii, quod ille conſtituit atque amplificauit, electorem Principem, cuſtodemque, & Iuris, cuius aſſertor ille acerrimus fuit, aſſiduum vindicem, & Legum, quibus Rempub. ſuam communiit, iuſtisſimum defenſorem eſſe agnoſco: ac ea quidem non ſolum ſapientia, ſed & auctoritate præditum, qua non poteſt non eſſe præditus talis tantusque Princeps, qui cum ætatis nunc ſuæ annum ſeptuageſimum quartum agat, maximam eius ætatis partem in huius Imperii grauiſſimis negotiis gerendis, difficultatibus explicandis, conſiliis regendis, maxima cum laude conſumpſit: vt priuatas nunc omittam, quas alio tempore profitebor, cauſas, quibus ego tibi deuinctus officium hoc me tuæ amplitudini non minus quam Reipubl. debere profecto ſentio, quod etiam, vt debeo, ſentire me, prolixius iſtic (ſi opus ſit) confirmabunt duo obſeruantiæ erga te meæ teſtes, ſponſoresque, viri

viri clariſſ. Chriſtophorus Probus & Arnoldus Opſopœus: in quorum ego teſtimonio atque fideiuſſione facile acquieſco, quod & tu iis tantum fidei habeas, vt optimis maximisque tuis conſiliis eos non tantum intereſſe, ſed etiam præeſſe velis. Vale Argentorati, Cal. Febr.

LE-

LECTORI.

ETſi nunc non inſtitui aut Conſtantini vitam conſcribere, aut eius generis hiſtoriam aliquam edere: tamen ut id quod nunc inſtituo, planius intelligatur, breuiter hic notabo noſtri Legislatoris ætatem, genus, & cognationem. Conſtat in Britannia natum, & primum ſalutatum Imperatorem Rom. fuiſſe. Vnde & illa vetus & ſolennis olim acclamatio: O fortunata & omnibus terris felicior Britannia, quæ Conſtantinum prima vidiſti. Salutatus autem eſt Imperator vigeſimoquinto die Iunii: & triginta poſt annis Nicomediæ mortuus eſt, XI. Calend. Jun. Anno Chriſti CCCXLII, ætatis vero ſuæ ſexto & ſexageſimo. Mortem eius de-

denunciauit triſtiſſimus inuſitatæ magnitudinis cometes, ut teſtis eſt Eutropius: ſicuti & Theodoſius paulo ante quam moreretur, cometem, triſtes orbi terrarum tenebras portendentem, vidit. Ac prædixit quidem Ambroſius, mortuo Theodoſio ruituram monarchiam Romanam. Sed eius ruinæ magnam iam antea partem traxerat mors noſtri Conſtantini. Patrem habuit Conſtantium Chlorum, qui Britanniam magna cum laude regebat, ut Euſebius oſtendit. Matrem vero Helenam: cuius pietatem reliquasque virtutes valde prædicat Ambroſius. Vtrumque igitur parentem habuit religioſum: quod non in poſtrema felicitatis parte ponendum eſt. Eſt & vetus illud ſatis notum, Fortes creantur fortibus. Duxit poſtea Conſtantius Theodoram: ex qua ſuſcepit

ſcepit Anaballianum, Conſtantium, Conſtantem, & Conſtantiam. Hæc Conſtantia, Conſtantini noſtri ſoror conſanguinea, nupſit Licinio, qui cum ipſo etiam Conſtantino imperauit: barbarus profecto, & impius optimi principis collega. Conſtantius, noſtri Conſtantini frater conſanguineus, ex Galla Gallum, & deinde ex Baſilina Iulianum ſuſcepit. Gallus & Iulianus Conſtantinum noſtrum, quem patruum habebant, etiam ſocerum habuere: & tanto propterea magis ad Imperium aſpirauere. Sed infelix Conſtantinus, qui tam degeneres non ſolum fratris filios, ſed & generos habuit. Fratris Anaballiani filium Dalmatium, dilexit vt ſuum, & cum filiis ſuis hæredem eſſe Imperii voluit. Ipſe ex Minervia Criſpum primum ſuſcepit: deinde uxorem duxit

Fau-

Fauſtam, Maximiani Herculii Imp. filiam. Sed ſoceri crudelis impietas, pium religioſumque generum corrumpere non potuit. Ex Fauſta ſuſcepit filias duas: Conſtantiam, quæ Gallo: & Helenam, quæ Iuliano patrueli ſuo nupſit. Filios vero tres, Conſtantinum, Conſtantium & Conſtantem: quos & hæredes reliquit.

FRANCISCI BALDVINI
DE
LEGIBVS CONSTANTINI MAGNI
COMMENTARIORVM
LIBER PRIMVS.

CVM Eccleſiam tandem ſuam Deus ex impiorum tyrannide, qua multis, ac prope trecentis poſt CHRISTVM annis, acerbiſſime fuerat vexata, liberare vellet: & vero iam regnantem, florentemque, noua etiam hac gloria cumulare, ut ei ſe Romanum imperium, ſuperbosque ſuos faſces ſummitteret: fortiſſimum principem excitavit CONSTANTINVM, non ut alterum modo Cyrum, ſed etiam ut Nehemiam alterum: qui & illam barbara ſervitute oppreſſam in libertatem aſſereret, & ſervatam liberaret, & colligeret diſperſam, & afflictam

recrearet, & aliquando denique coaleſcentem magis atque magis conſtitueret atque formaret. Pollicitus olim fuerat Ieſaias, fore, ut & Reges aliquando nutricii eſſent Eccleſiæ, cuius alioqui non ſolum hoſtes, ſed etiam carnifices atque parricidæ ſæpe fuerant: & hæc illorum veluti mammis aleretur, quorum crudeles antea manus toties ſenſerat: illique huius cum lumen, tanquam prælatam facem, ſequerentur, tum vero mœnia extruerent, atque propugnacula. Nihil dici ſuavius, nihil iucundius poteſt. Neque Ambroſio repugno, huius oraculi vim ad ſuum Valentinianum referenti, eique hanc gloriam tribuenti: quem & Eccleſiæ filium vere eſſe, & honoris cauſa merito vocari ait. Sed priorem in hoc genere eſſe Conſtantinum, facile opinor ipſe quoque Ambroſius aſſentietur: cui quidem Conſtantino etiam tribui poſſe, quod Ieſaias de Cyro ſcripſit, omnes boni & agnoſcunt & lubenter fatentur. Neque vero nunc moror ſeditioſos illos Donatianos, homines amentes, atque etiam fanaticos, qui Conſtantini & gloriæ & virtuti invidentes, Eccleſiam CHRISTI, Principum opera ſubſidiove uti non debere, & his cum illa nihil rei eſſe, neque illi cum his quicquam eſſe debere, contenderunt. Cum hæ primum ſive ineptiæ, ſive calumniæ ſparſæ eſſent: tam ſunt graviter & repreſſæ & refutatæ ab Auguſtino, ut noſtra nunc in eo genere minime ſit neceſſaria oratio. Dicere ſolebat, ut accepimus, Conſtantinus, Imperium fato dari: eum vero

Ambroſ. epiſt. 32.

Auguſt. l. 3. contra Creſcon. & epiſt. 48. & 50.

cui

cui datum fuerit, operam dare debere, ut impe- **Lamprid. in Heliog.**
rio dignus fuiſſe videatur. Sed talem tantamque Spartam, quæ Dei beneficio atque providentia obtigerit, nemo pro dignitate tueri atque ornare poterit: neque quod ea dignum eſt, quodque etiam omnino requiritur, præſtare, niſi ſi totam in primis Rempubl. (quæ ſine religione, latrocinium eſt potius quam Reſpublica) ſic conſtituerit, ut etiam ad eum religionis, ad quem referri debet, finem relata eſſe videatur. Atque hoc quidem ſentire, Reges præſertim, raræ cuiusdam ſapientiæ eſt: præſtare, ſingularis & fortitudinis, & felicitatis: & ſentire vero, & præſtare, perfectæ cuiuſdam cumulatæque virtutis.

Dixit aliquando M. Tullius, Reipubl. bene conſtitutæ fundamenta atque membra, quæ tuenda viris principibus, & vel capitis periculo defendenda ſint, eſſe hæc: Religiones, poteſtates magiſtratuum, leges, iudicia, iurisdictionem, fidem, rem militarem, ærarium. Harumque rerum tot & tantarum eſſe defenſorem atque patronum, magni eſſe animi, magni ingenii, magnæque conſtantiæ. Sed toto eo in genere, Conſtantini magnitudinem, qualis quantaque ſit, minime profecto intelliget homo prophanus: qui, quid vera religio ſit, ignorat. Pii homines intelligere poſſunt, atque etiam recte iudicare, quantum Conſtantino tribuendum ſit: qui in religione in primis deligenda, quam & ſequeretur ipſe, & ſuum populum ſequi vellet, non errarit: in eaque tuenda atque defendenda, nullis

laboribus, periculis nullis, nullis difficultatibus ceſſerit. Recte itaque Lactantius Firmianus, ſcribens ad eum ſuas religionis Chriſtianæ Inſtitutiones, magna cum lætitia & gratulatione exclamat: Hunc primum Romanorum principum, repudiatis erroribus maieſtatem Dei ſingularis atque veri & cognoviſſe, & honoraſſe: ſalutaremque ſuum univerſis & optabilem principatum præclare auſpicatum eſſe, cum everſam ſublatamque iuſtitiam reducens, deterrimum aliorum facinus expiavit. Mitto nunc alios, qui complures eo tempore fuerunt, dignos tamen profecto qui audiantur, huius Conſtantinianæ virtutis præcones. Sed quo etiam magis hanc admiremur, atque etiam laudemus, eundem illum rurſus audiamus, eloquentem profecto, gravemque ſcriptorem: ex quo intelligi ſatis poteſt, quantæ molis erat, & moliri & efficere, quod non aggreſſus modo eſt, ſed perfecit etiam Conſtantinus. Scribit enim ille, de religione Chriſtiana loquens: Huius religionis eo tempore veritatem contemptui doctis fuiſſe, odio indoctis. Omnes obſtrepuiſſe atque interceſſiſſe, ne eam ſonantem audirent: oculoſque etiam ſuos oppreſſiſſe, ne lumen quod offerebatur, viderent. Deinde oppreſſam illam fuiſſe non modo multitudine, & prope conſenſu omnium Gentium: ſed & authoritate præſtantium omni genere laudis virorum. Cumque ſublata diſceptatione, vi gereretur res, multique innocentes homines crudeliſſime interficerentur: Rhetores inter-

Ex Lactant. lib. 1. cap. 1. & lib. 5. cap. 1. & lib. 2. cap. 20. & 7.

interea & philoſophos tempori ſervientes, laudaſſe hanc (ſic enim loquebantur) pietatem atque prudentiam ſuorum principum, qui cohibita impia & anili ſuperſtitione, religiones Deorum tuerentur. Declamaſſe etiam in pertinacem & inſanam (ut appellabant) obſtinationem Chriſtianorum. Poſtremo in hoc errore orbem totum fuiſſe, ut bonos & iuſtos viros, tanquam malos & impios, perſequerentur. Placuiſſe vero valde gentium ſuperſtitiones; & ex hoc ſolo probatas, veraſque viſas eſſe, quod eas veteres tradidiſſent: tantamque tunc fuiſſe huius vetuſtatis autoritatem, ut inquirere in eam, ſcelus eſſe duceretur.

In ea temporum intemperie, eoque rerum ſtatu, quem graviſſimi ſcriptoris, cuius teſtimonium, in hac re præſertim, graviſſimum eſt, verbis deſcripſi, inſtituere, atque etiam perficere, quod & inſtituit & perfecit Conſtantinus, cuius virtutis eſſe dicemus? Sed voluit in eo Deus illuſtre aliquod exemplum edere, quod & poſteritatem, & Principes & Magiſtratus, ſui officii admoneret: nulla aut vi aut multitudine hoſtium percelli, nulla vel difficultate frangi, vel moleſtia debilitari, nullo denique periculo deterreri eos debere, qui vel Eccleſiæ inſtaurandæ, vel religionis propagandæ curam ſuſcipiunt. Id vero multo etiam magis dicemus, ſi quales habuerit Conſtantinus & collegas, & Imperii ſocios, reputemus: viros certe acerrimos, qui cum potentia & armis inſtructi, tum vero immani quodam

odio CHRISTI inflammati erant. At erant fortaſſis Eccleſiarum paſſim antiſtites, qui & ſe iis fortiter opponerent, & omni labore levarent Conſtantinum. Utinam fuiſſent. Utinam laborantem, non dico adiuvaſſent, ſaltem non interturbaſſent. Diu multumque luctatus eſt cum Maxentio atque Licinio. Sed graviorem illi fuiſſe luctam, maioremque moleſtiam cum multis Epiſcopis, cumque eorum vel diſſidiis, vel factionibus, vel ambitione, quis neſcit? Certe offenſum eorum vitiis & intolerabili malitia magnum eo tempore virum Audium, diſceſſionem ab Eccleſia feciſſe, multoſque homines alioqui non malos propterea eum ſecutos eſſe, cum mores non ferrent eorum, quorum alioqui doctrinam non improbabant, Epiphanius ſcribit. Sed tanto eſt Conſtantini magis laudanda conſtantia, quod nulla eum huius generis offenſio, neque currentem retardavit, neque de via transverſum agere, neque de ſua ſtatione potuit dimovere. Mitto turbas eorum temporum, atque tempeſtates. Sed hæreticorum etiam præſtigiis atque inſidiis, quales tunc erant, non capi: nonne raræ cuiuſdam fuit, & ſingularis, & vero divinæ magis quam humanæ cautionis? Neque vero ab omni peccato nunc libero Conſtantinum. Hominem fuiſſe ſcio. Scio etiam nonnullis & vitiis, & erroribus fuiſſe obnoxium. Sed neque hominis ineptias, ſi quæ ſunt, ut ſunt, excuſare velim: neque eos, qui velint, imitari. Verum privata illa nunc omitto. Quibus vero legibus Eccleſiæ ordinem

dinem atque formam communierit (quod nunc quærimus) breviter videamus. Victo ſublatoque Maxentio tyranno, ſtatim animum adiecit ad Eccleſiæ reliquias colligendas, & Reipublicæ Chriſtianæ, cuius miſerabiles intuebatur ruinas, inſtituendam novam inſtaurationem: diſiecta Ethnicæ idololatriæ, quam regnare videbat, & arce & gloria. Prima igitur eius lex, quam etiam in Orientem ad ipſum eius gubernatorem Maximinum miſit, fuit: Ut relictis idolis, verus Deus coleretur, & agnoſceretur CHRISTVS humani generis liberator. Si confuſe tantum edixiſſet, colendum eſſe verum Deum: parum profuiſſet edictum. Nam & profani legislatores non diſſimilem legem ſæpe ediderunt: ut certe omnium prope hominum animis inſculpta eſt huius generis aliqua tanquam theſis. Sed piam adiecit Conſtantinus, explicatamque hypotheſim, ut palam intelligeretur, quisnam ille Deus eſſet, & qua ratione colendus: ea nempe ratione, quam verbo ipſe ſuo præſcripſit. Legatur vel ea ſola invocandi Dei formula, quam veluti præſcriptis verbis religioſe conceptam, ſuis militibus commendavit Conſtantinus: & libro ſequenti commemorabo. Nemo profecto dubitabit, quin ſi in ipſis etiam caſtris, tam & pure Deum coli, & pie invocari (qui præcipuus eſt cultus) voluerit: in media Eccleſia eandem & vocem ſonare, & religionis ſpeciem apparere, multo etiam magis iuſſerit: & cum alias hominum (ut appellantur) ἐθελοθρησκείας faceſſere, tum vero ad

unius Dei præſcriptum totam & religionem & religionis ſimplicem formam componi. Hanc enim obedientiam eſſe veræ religionis veluti matrem, audiebat. Denique perfecit in toto terrarum orbe, quod nonnullis in locis pie inchoatum eſſe videbatur.

Meminerat iam olim in ſua Britannia hoc egiſſe Lucium regem. Patrem ſuum Conſtantium viderat eodem loco idem voluiſſe: Galeriumque etiam ipſum impuliſſe, ut ediceret, omnibus impune eſſe licere Chriſtianis. Sed res tamen in eo adhuc eſſe ſtatu intelligebat, ut nihil dum actum eſſe videretur: & in ipſa quoque Britannia, idolorum cultum ſanguine adhuc piorum ſanciri videbat. Opus itaque eſſe longe aliis edictis, graviter iudicavit religioſus Princeps. Iudæorum ſynagogas non diſiecit: multasque cauſas, cur id non faceret, habuit. Sed neque ab iis quenquam invitum abduxit. Cavit tamen diligenter, ne quam is iniuriam pateretur, qui iis relictis, Eccleſiæ CHRISTI adiungere ſe vellet. Erat eo tempore tanta Iudæorum audacia, tamque immanis furor, ut ſi quis ex eorum caſtris ad Chriſtianorum cœtum tranſire voluiſſet, non modo viam illi obſtruerent, ſed hominem etiam ſaxis, ſi poſſent, obruerent. Id vero ne tentare amplius auderent, Conſtantinus ſeveriſſima, ut oportuit, lege, quæ etiamnum extat, cavit. Sed & cum ſuam illi neſcio quam Rempubl. Hieroſolymis inſtaurare, ſuumque iterum templum erigere adverſus prin-

l. 2. C. de Iud. & cælic.

principum mandata conarentur: minime aut iis indulſit, aut eorum conatus longius progredi paſſus eſt: imo vero tanquam reos perduellionis, acerrime, ut debuit, caſtigavit. Nam Chryſoſtomus narrat, disjectis eorum operibus, non modo architectis ipſis atque fabris, ſed & reliquæ turbæ conſpiranti inuſſiſſe infamiæ perpetuam notam: auribusque præciſis, & corpore mutilato, tanquam fugitiva mancipia ad ludibrium circunduxiſſe, ut hoc exemplo alii deterrerentur. Neque ſane regnum CHRISTI, ut inſtituerat, conſtituere poterat, niſi ſi acerrimos eius hoſtes aliquo modo repreſſiſſet; neque enim quicquam erat Eccleſiæ aut inimicum magis, aut magis infeſtum, quam Iudæorum templum. Quod autem ad Gentium delubra, et illa idolorum fana pertinet: Conſtantinus omnia quidem neque disiecit, neque funditus evertit: ſed ita ſaltem obſtruxit, ut nemini ad ſacrificandum paterent. Sic enim idololatriam illam tolli poſſe exiſtimavit. Sed re paulo poſt ipſa compertum eſt, Reipubl. intereſſe, nullum illius idololatriæ inſtrumentum relinqui: nullas uſquam reliquias, nullum ne locum quidem, ſuperficiem denique nullam ſupereſſe. Certe Julianus templa illa, quorum tantum obſtructæ fores erant, paulo poſt iterum aperuit, & ad veterem ſuum idololatriæ uſum facile revocavit. Quo deinde periculo prudentior fa-

Chryſoſt. orat. ſecunda contra Jud.

ctus Theodoſius, funditus illa diruere conatus eſt. Sed totum ex orbe terrarum paganiſmum, qui tam altas radices egerat, ſtatim extirpare, atque penitus exterminare, difficile fuit. Et fuerunt etiam fortaſſis in hoc genere nimium lenti atquę molles Chriſtiani Cæſares. Certę Romæ manſiſſe multis poſt Conſtantinum annis non ſolum veſtigia, ſed etiam multas ethnicæ idololatriæ & ædes & aras & ceremonias, primumque ab ipſis tandem Gothis plane ſublatas eſſe, non ignorant, qui veteres hiſtorias tenent. Atque utinam Romani illi principes, qui pietatis ſtudioſi erant, ſemper etiam cogitaſſent, quid hiſtoria ſacra ponunciat de illis Judæorum bonis alioqui Regibus, qui idolorum ſacella in excelſis montibus & lucis extructa non diſiicerent, cum quidem religionis inſtaurandæ curam ſuſcepiſſent. Cum Conſtantinus rerum potiri cœpit, tanta erat rerum omnium & diſiectio & confuſio & diſſipatio, ut qui aliquem vel religionis vel iuris ordinem formamue rebus humanis reſtituere vellet, immenſum quoddam chaos, quod evolveret, ſibi propoſitum eſſe videret. Aggrediendum tamen fuit. In primis itaque pacem & libertatem Chriſtianis, & quas impius antea fiſcus eripuerat, facultates, dominis reſtituit, ius ut cuique ſuum redderetur. Cicero inquit, ius ſemper hoc fuiſſe, ut quæ tyranni eripuiſſent, ea tyrannis interfectis,

Philip. ſecunda.

ii quibus erepta eſſent recuperarent. Id vero multo etiam iuſtius eſſe in ea, de qua nunc loquimur, cauſa, ſapienter intelligebat Conſtantinus. Otium præterea & quietem Eccleſiæ reddidit, ut aliqua ſaltem eſſet tot tantarumque ærumnarum, quæ tam multis iam annis pios homines preſſerant, vel levatio, vel intermiſſio. Coaleſcenti Eccleſiæ templa publicis etiam ſumptibus extrui, edicto præcepit. Erant enim ad colligendos pios cœtus neceſſaria. Non excuſo, ſi ſumtuoſior fuit, ut fortaſſe fuit, & profuſior in hoc genere, talium ſubſtructionum ſuperbo ſplendore, & ſuperfluo ornatu, vel potius luxu nimium fortaſſe delectatus. Sed accuſandi potius Epiſcopi, qui liberalem principem non modo non admonebant, quem in hoc genere modum ſervare oporteret, ſed etiam immodicam ea in re profuſionem laudabant.

Si quis illa quæ dixit conſtantini edicta requirat, quibus & populum Chriſtianum libertate donat, & ad veri Dei purum cultum invitat: extant apud Euſebium, multis illa verbis tam religioſe deſcripta, ut Eccleſiaſticæ conciones eſſe videantur. Quibus adiungi etiam poterunt, eiuſdem Principis ad regem Perſarum literæ pro Chriſtianis deprecatrices. Quam longe lateque patebat Romanum imperium, eos omni & periculo & metu liberarat: & prodiens ex inſulis ſuis Britannicis, non modo totam Europam ad ipſum uſque By-

Byzantium, extinctis omnibus & tyrannidis & ſævitiæ reliquiis; beneficium hoc ſuum circumtulerat: ſed & Africam totam, & Aegyptum, & Syriam, & Aſiam, eadem clementia recrearat. Denique ipſam quoque Indiam, ut Chriſtiana eſſe vellet, permoverat. Sed & cum audiret, in Perſide quosdam adhuc Chriſtianos ab eius regionis barbaro tyranno crudeliter affligi: nihil non fecit, ut iis opitularetur, & ſævum illum ſive Regem ſive ſatrapam, ad aliquam vel pietatem flecteret, vel humanitatem revocaret. Quid multis; curam hanc ſuam protulit ad extremos uſque fines orbis terrarum.

Ac ne forte edicta, quæ in hoſce uſus ederet, aut ludicra aut inania eſſent, (ſicut plerunque accidit, ut piorum principum voluntatem aſtute eludant, qui eius ſe miniſtros improbe fingunt) curavit etiam in primis, ut Reipubl. adminiſtrandæ, & iudiciis regendis, et provinciarum gubernatione præficerentur Magiſtratus, qui & viri boni eſſent, & vera pietate imbuti. Neque ſane alioqui ſatis aut Eccleſiæ defendendæ, aut religioni propagandæ proſpexiſſet. Quid? Audiebat etiam, legem a tyrannis Rom. eſſe latam, ut Chriſtiani ab omnibus publicis honoribus arcerentur: Reipubl. vero ii demum præeſſent, qui eorum hoſtes erant, quicunque alioqui tandem eſſent. Nam & Iudæi admittebantur. Suſtulit igitur hanc quoque tyrannidem atque bar-

riem: quod in primis etiam erat neceſſe. Certe Theodoritus narrat, nihil illi fuiſſe antiquius, quam viros pietate inſignes, & doctrina quoque Chriſtiana inſtructos, & vero Eccleſiæ amantes, publicis præficere muneribus: neque paſſum eſſe, ut alii Rempubl. regerent, quam qui ſuam poteſtatem ad religionis quoque defenſionem conferrent.

Theodor. libr. 1. Hiſt. eccleſiaſt.

Quod ad ipſius vero Eccleſiæ miniſtros attinet, eorum ordinem iam antea bene conſtitutum, multis beneficiis & privilegiis auxit, ornavitque: convelli vero, aut mutari aut in aliam temere formam converti paſſus non eſt. Metropolitas, qui ſingularum provinciarum Epiſcopis veluti præeſſent, creari, eorumque fines deſcribi: &, quod in hoc genere ad ordinem & diſciplinam Eccleſiæ utile videbatur, conſtitui ex Niceni ſui concilii ſententia voluit. Erant enim hi & gradus & ordines, ad Eccleſiaſticam tanquam politiam conſervandam neceſſarii: præſertim temporibus illis, quibus Eccleſia longe lateque diffuſa, talibus vinculis conſtringenda, & tanquam certis Præfecturis continenda erat. Cæterum ex veteri alioqui Eccleſiæ ordine nihil immutavit. Habebant iam inde ab Apoſtolorum temporibus ſingulæ Eccleſiæ quosdam ex presbyterorum collegio delectos, tanquam morum cenſores: qui diſciplinam Eccleſiaſticam regerent, atque tuerentur. Hanc cenſuram, hunc ſenatum, hanc

ari-

ariſtocratiam probavit: atque etiam veterem ei ſuam reliquit ſive poteſtatem, ſiue jurisdictionem. Nam neque hæc corporalis (ut ita loquar) erat, neque quicquam cum magiſtratuum civili poteſtate vel imperio, & iure gladii, forenſibusque iudiciis habebat commune. Magiſtratibus enim atque præſidibus poteſtatem ſuam, ſuos carceres, pœnas, mulctas animadverſiones illa relinquebat. Neque ſane paſſus alioqui Conſtantinus eſſet, neque pati debuiſſet, quæ civilium magiſtratuum ſunt, ab Epiſcopis occupari: aut civiles Eccleſiaſticasque functiones, quæ diſcernendæ ſunt, confundi atque permiſceri. Imo vero ſingulorum munerum fines regundi ſunt: neque hi termini movendi. Quæ fuerit olim Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum notio, functioque, ſatis, ut opinor, notum eſt. Neque in eorum inſtitutione, quicquam eſt, quod Conſtantino acceptum feramus. Sed adiuncti alii præterea quidam deinde fuerunt.

Epiphanius recenſens veteris Eccleſiæ miniſteria, eorumque ordinem, etiam commemorat κοπιάτας: quorum munus & officium fuit, mortuorum corpora obvolvere, efferre, atque ſepelire. Hos autem fuiſſe ab Conſtantino inſtitutos, inque ordine & numero clericorum habitos, ſignificat quædam filiorum Conſtantini conſtitutio, quæ extat lib. XVI. Codicis Theodoſ. Et eorum quoque Iuſtinia-

ſtinianus meminit Novel. conſtitut. LIX: iisque totam funerum, et exequiarum procurationem mandatam eſſe, (curam profecto & laborioſam & gravem) traditum eſt. Habebant veteres Romani ad rem funerariam deſignatores cum lictoribus atris, pollinctores, & veſpillones, quorum in Pandectis frequens eſt mentio, & reliquam huius generis turbam Libitinariam. Chriſtiani Principes huiuſce rei curam neque abiecerunt, neque abiicere debuerunt. Sepulturæ certe magnam ſemper curam & rationem habuit Eccleſia, quæ corporum reſurrectionem docet. Ut autem illa hoc onus ſuſtinere facilius poſſet, ſine cuiusquam privato ſumtu: Conſtantinus, ſuo fiſco detraxit, quod illi impenderetur. Inſtituit, ut Conſtantinopoli eſſent nongentæ & quinquaginta officinæ ab omnibus vectigalibus liberæ & immunes, quæ & alerent, & ad rem funerariam ſuppeditarent lecticarios. Hi in decurias diſtincti erant: & appellabantur propterea Decanii, qui ſingulis illis tanquam collegiis præerant: & ut gratuitæ eſſent ſepulturæ præſtabant. Paulo poſt mortem Conſtantini, imperante Juliano, conatus eſt quidam Georgius Arrianorum Alexandrinus epiſcopus, evertere quod inſtituerat Conſtantinus: nam & nouas certo numero relictas efferendis cadaveribus in rem ſuam confinxit: neque gratuitum earum uſum eſſe patiebatur: ſed neſcio quem inde faciebat quaeſtum (ô im-

impudentem publicanum, qui a mortuis quoque tributum exigebat) & ſiquis aliter cadaver extuliſſet, ſepeliiſſetve, multabat. Verum repreſſa,ut merebatur,fuit impii hujus antiſtitis & auaritia & tyrannis: & quod honeſtiſſime inſtitutum ab Conſtantino fuerat, non modo ab Honorio Arcadioque Impp. confirmatum eſt, ſed etiam auctum ab Anaſtaſio. Non commemoro veteres illos, cum ſæpe repetitos, tum vero etiam ſæpius contemtos, & ſacerdotum avaritia convulſos atque eluſos canones, de gratuita ſepultura. Non enim hoc loco poſſum a Conſtantini ætate longius evagari.

Ut ad Diaconos revertar, quibus concredita erat ærarii Eccleſiaſtici, quo pauperes alerentur, adminiſtratio, conſtat iam temporibus Conſtantini difficilem hanc procurationem: quod & proventus in dies creſcerent, creſceret & pauperum numerus: multis autem fuci eſſent, & revera *κλῆρoι* (ut olim appellabantur, fauorum peſtes in alvearibus) multi quoque depeculatores: denique magnæ multorum fraudes. Itaque magna cautione opus fuit, ut iuſta ſervaretur harum facultatum diſpenſatio. Nam & Epiſcopi coacti ſunt eam quoque rem ad ſuam propterea curam revocare: & certi delecti œconomi ſunt, qui id quoque unum agerent. Neque Conſtantinus quicquam omiſit, quod quidem prudenter in hoc genere ab homine ſapienti provideri

poſſet.

poſſet. Multi iam tum, ut & immunes eſſent, & Eccleſiæ ſumptibus alerentur, aſtute ſe clericorum collegio adiungebant: & multorum ambitione plerunque fiebat, ut in defunctorum locum divites potius quam pauperes allegerentur. Sed Conſtantinus edixit, ne vel Decurio, vel ex Decurione progenitus, vel etiam patrimonio inſtructus, atque obeundis publicis muneribus idoneus, in defuncti clerici locum cooptetur, & addit inſignem hanc ſententiam: Opulentos ſubire publicas neceſſitates oportet: pauperes Eccleſiarum divitiis ſuſtentari. " Itaque & lex Valentiniani vetuit, plebeios divites ab Eccleſia ſuſcipi. Sed & ipſe eodem tempore Hieronymus, ſcribens ad Damaſum epiſcopum Romanum, graviſſime monuit, non alios clericos ſtipendiis & ſumptu Eccleſiæ ali debere, quam quibus deeſſet patrimonium: neque aliunde, unde ſe ſuſtentarent, iis ſuppeteret. Pronunciat denique ſacrilegium eſſe, ſi, quod pauperum eſt, ii accipiant, qui aut ſuis aut parentum opibus ali poſſunt. Sed non diſſimulat etiam, multos iam tum hæc fulmina contempſiſſe. Nam ſcribens ad Ruſticum Narbonenſem epiſcopum, Epiſcopos accuſat, qui, quod commune Eccleſiæ erat, inuaderent, inque ſuos privatim uſus converterent. Conqueritur, infecilem clericum in plateis mendicare: Epiſcopum ſolum incubare bonis. Sed hoc ſacrilegium, hunc peculatum deteſtemur, interea Conſtantini lau-

demus liberalitatem. Neque vero fabuloſam illam eius donationem, quam impudentiſſimi quidam nugatores, qui Romano pontifici aſſentantur, confinxerant, nunc attingam. Scio enim tam vanam, tamque putidam eſſe fabulam, & tam abhorrentem ab omni ſpecie veri, ut eius me pudeat meminiſſe: tantum abeſt, ut refutatione dignam eſſe putem. Saltem ſi omnes de Conſtantino eiusque temporibus veteres hiſtorias extinctas eſſe putabant, cogitaſſent huic ſuo commento minime convenire, quæ paulo poſt Conſtantinum conſecuta eſſe omnes legunt. Certe Conſtantini & filius & hæres Conſtantius, tam valde fuit urbis quoque Romanæ dominus, ut non modo præfectum in ea ſuum Leontium habuerit: ſed ipſum etiam Liberium epiſcopum Romanum, ſuo quodam iure uſus eiecerit. Quid? Ediderat non modo de donationibus inofficioſis, ſed & de alia donatione revocanda, ſi liberos poſtea ſuſceperit donator. Hac ſua ſaltem lege ipſe quoque uti profecto potuiſſet. Sed tam habuit prudentem patrem, ut hoc ſubſidio non habuerit opus. Neque tamen, qui non modo inofficioſam, ſed & prodigioſam illam, de qua loquimur, donationem confingunt, ſoli Conſtantino iniuriam faciunt, quem prope amentem & fatuum fuiſſe, ea ſi vera eſſet, convinceret: ſed & Francis illis principibus, quibus acceptum non ferunt, quod ab iis acce-

l. ſi unquam C. de revoc. donat.

cepe-

ceperunt. Verum quid diſputo? Hos falſi reos, non diſputatio, ſed lex Cornelia caſtigare debet. Nos vero, quod & verum eſſe ſcimus, & vera laude dignum, in noſtro Conſtantino laudemus. Laudat hiſtoria ſacra regem Ezechiam, quod bonis ſacerdotibus atque Levitis liberaliter ſalaria perſolvi curarit. Deteſtantur omnes boni Iulianum, qui Eccleſiam ſpoliavit, Conſtantinique illi beneficia eripuit: neque modo clericis victum denegavit, ſed & a pauperibus viduis, quod iam perceperant, repetiit: imitatus auunculum illum ſuum, qui eccleſiam Antiochenam, ut eius ſpoliis ſuum, fiſcum locupletaret, etiam nudauit. Sed bene habet, hos ſacrilegos, prædones & depeculatores, dignas ſuis latrociniis aaliquando dediſſe pœnas. Certe Theodoritus laudat eo in primis nomine Iuliani ſucceſſorem Iovianum, quod edita lege iuſſerit, Eccleſiis reſtitui frumentum, quod iis de publico præſtari iuſſerat Conſtantinus, Iulianus vero prohibuerat. Et quis non laudaret Valentiniani atque Marciani vocem & conſtitutionem? Quia (inquiunt) humanitatis noſtræ eſt, egenis proſpicere, ac dare operam ut pauperibus alimenta non deſint: ſalaria etiam, quæ ſacroſanctis Eccleſiis in diverſis ſpeciebus de publico hactenus miniſtrata ſunt, iubemus nunc quoque inconcuſſa, & nullo prorſus imminuta præſtari.

Theodor. libr. 4. cap. 4. hiſt. Ecc.

l. privilegia C. de ſacroſ. Eccleſ.

Conſtat, Conſtantinum per ſingulas civita-

tes certam vectigalium partem fiſco ſuo detractam, alendis Eccleſiæ miniſtris impendi voluiſſe. Omitto vetera Ethnicorum exempla. Omitto & quod Diodorus ſcribit, Aegyptios olim reges tertiam vectigalium publicorum partem, iis qui & ſacris & ſcholis præerant, dediſſe: & quod Livius narrat, Numam ſuis Veſtalibus, ut aſſidue templi antiſtites eſſent, ſtipendium de publico ſtatuiſſe. Noſter Conſtantinus talibus non habebat opus exemplis, ut quod ſui officii erat, faceret.

Diodor. lib. 2.

Livius lib. 2.

Neque vero ignoravit, quod Plato prudenter monet, utiliſſimum fore, ſi qui Reipublicæ præficiuntur, ex publico alantur: ipſi vero privatum propriumque nihil poſſideant. Sic enim futurum, ut neque inopia, neque rei familiaris amplificandæ cura diſtrahantur: ſed toti in eo ſint, ut publica augeant commoda. Verum prudentior Conſtantinus, qui Eccleſiæ miniſtros ex publico ſic ali voluit, ut tamen non vetaret, Eccleſiæ propria eſſe quædam prædia, certosque ex iis prouentus: præſertim cum ſciret valde plerunque miſerum eſſe, ab ærarii præfectis pendere. Neque eæ poſſeſſiones videbantur obfuturæ publico miniſterio, cum quidem tota earum procuratio delectis œconomis atque diaconis demandaretur: qui ex earum prouentibus ſuum ſingulis, qui eo opus haberent, miniſtris tanquam ſalarium ſtipendiumve ita perſolvebant: ut beneficium tamen accipere, qui ita alerentur, di-

dicerentur. Ut autem liberalis de ſuo fuit erga Eccleſiam Conſtantinus: ſic etiam, ut alii hoc exemplo eſſe vellent, operam dedit: atque etiam ſi vellent eſſe, ut poſſent, effecit. Extat nobilis eius conſtitutio ad populum, in hæc verba: Habeat unuſquiſque licentiam ſanctiſſimo venerabilique Concilio, decedens, bo-" norum quod optaverit, relinquere: & non ſint" caſſa iudicia ejus." l. 1. C. de ſacroſ. Eccl.

Paulus Juriſconſultus ait, Senatum temporibus Marci Imp. permiſiſſe, collegiis legari. Itaque nullam dubitationem eſſe, quin ſi corpori, cui licet coire, legatum ſit, debeatur: cui autem non licet, ſi legetur, non valere, niſi ſingulis legetur. Hos enim non quaſi collegium, ſed quaſi certos homines admitti ad legatum. Atqui collegium Chriſtianorum Romano tunc iure illicitum habebatur, neque enim ante Conſtantinum publice coeundi ius ii habuerunt: & paulo ante Diocletianus in univerſum edixerat, collegium, ſi nullo ſpeciali privilegio ſubnixum ſit, hæreditatem relictam capere non poſſe: ſicuti & antea Antoninus Caracalla reſcripſerat, peti non poſſe, quod Univerſitati Iudæorum Antiochenſium legatum erat. Non erat tunc meliori aut jure aut conditione Chriſtianorum ſive collegium, ſive Univerſitas, ſiue ipſa denique Eccleſia, aut eius miniſtrorum ordo, presbyterorumve tanquam corpus. Sed ſummam eſſe hanc iniuriam, & vero Chriſtiana religione valde indi-

l. 21. cum ſenatus. de reb. dub.

l. collegium C. de hæred. inſtit.

l. 1. C. de Judæis.

gnam, recte iudicauit Conſtantinus. Audiebat, Ethnicos ipſos, profanoſque homines, ſuis ſacris liberaliter conſulere: & cum in quodam teſtamento ita ſcriptum eſſet, *Quiſquis mihi hæres erit, fidei eius committo, ut det ex reditu bonorum meorum, ſacerdoti & ἱεροφύλακι, & libertis qui in in illo templo erunt, denaria decem die nundinarum:* ac quæreretur, utrum iis duntaxat qui eo tempore, quo legabatur, in rebus humanis, & in eo officio fuerint, debitum ſit, an etiam iis, qui in locum eorum ſucceſſerunt: conſultum Scævolam reſpondiſſe, miniſterium quidem nominatorum deſignatum cæterum datum templo. Cumque quæreretur, utrum uno duntaxat anno, decem fideicommiſſi nomine, deberentur, an vero in perpetuum decem annua præſtanda ſint? reſpondiſſe: In perpetuum. An legatis ad pias cauſas Chriſtianæ Eccleſiæ relictis, minus Conſtantinus faveret? An huius ſacroſancto miniſterio conſuleret minus? Legatorum, quae Deo relinquebantur, meminit Paulus Iuriſcon. Et in nonnullis Ulpiani fragmentis legimus, Senatusconſulto Principumve conſtitutionibus neſcio quos olim Deos commenticios, inſtitui hæredes potuiſſe. An Deo vero? an Chriſto? an eius ſive membris, ſive corpori, vel legata vel hæreditates relinqui non pateretur Conſtantinus? Certe Iuſtinianus in quadam ſua Novella conſtitutione, quorundam teſtatorum meminit, qui

l. l 20. annua. De ann. lega.

l. i. Ad leg. Falcid.

qui Chriſtum inſtituebant hæredem: & interpretatur, Eccleſiam eius loci, in quo teſtator degebat, hæredem inſtitutam videri: ea tamen lege, ut totum illud quod inde conſequetur, pauperibus eroget. Quis dubitat, tam pium legatorum genus ipſi quoque Conſtantino valde placuiſſe? Videbat Ethnicos ſuis ſacrificulis atque epulonibus nihil non ea in re tribuere: Veſtalibus quoque ſuis ius percipiendorum legatorum ſemper dediſſe: easque hoc iure percepiſſe ex teſtamentis tam multa, tamque etiam honeſte & liberaliter iis uſas eſſe, ut neminem e populo in Urbe mendicare paterentur: ſi credimus earum patrono Symmacho. Ac ſignificat quidem Symmachus, ius hoc iis tamen ademtum tandem fuiſſe, Valentiniani II. temporibus. Sed eo ſaltem adhuc utebantur, regnante Conſtantino. Quod vero iis permittebat Conſtantinus, an Eccleſiæ Chriſti negaret? præſertim cum ſciret eius opes, non ipſis modo miniſtris, ſed & omnibus qui egerent, communes eſſe. Narrat Chryſoſtomus, ſuo tempore eccleſiam Antiochenam non modo ſacerdotes & clericos ſuos, hoſpites deinde, peregrinos, advenas, infirmos, captivos aluiſſe ſed præterea in ſingulos dies tria viduarum atque virginum millia ſuſtentaſſe. Oportet magnos eius fuiſſe proventus, ut tales ſuſtinere poſſet ſumtus: & erant certe, beneficio Conſtantini. Sed nonne optandum erat, fuiſſe etiam maiores? Ergo poſt Con-

Chryſoſt. homil. 67. in 21. cap. Matth.

ſtantini legem, viri boni certatim tam pium ærarium augere conabantur: & illas Eccleſiæ publicas opes, quarum Epiſcopi non tam domini erant, quam procuratores & œconomi, ſua liberalitate magis atque magis cumulare cœperunt. Certe Sozomenus ſcriptor Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, loquens de Epiphanio, epiſcopo Cyprio, qui opes eccleſiis relictas, pauperibus largiebatur, teſtis eſt, undique eo tempore multos, quibus propoſitum erat in pios uſus opes ſuas diſpenſare, non modo inter vivos Eccleſiis eas donaſſe, ſed multo etiam magis morientes teſtamento reliquiſſe. Sed & Proſper ſcribit, ſuo tempore Hilarium epiſcopum Arelatenſem, acceptis (ut loquitur) numeroſis fidelium hæreditatibus, valde ampliaſſe Eccleſiæ ſuæ poſſeſſiones. Verum totum hoc facultatum genus primo acceptum ferri debet Conſtantino, edicenti, hæreditates & legata Eccleſiis relinqui poſſe. Cum autem id paulo poſt Conſtantinum, privatim ad ſe traherent aſtuti quidam Eccleſiarum miniſtri atque monachi, atque etiam prætextu religionis viduas (ut ille ait) avaras venarentur, & hæreditates captarent, & in teſtamenta veluti irreperent: lata lex eſt, quæ his captatoribus hunc iuris colorem, quo abutebantur, adimeret: &, ne quid ex aliorum teſtamentis capere poſſent, ediceret. Meminit huiuſce legis Hieronymus in ſua ad Nepotianum epiſtola: nec tam de ea conqveri ſe ait, quam dolere, meritos illam eſſe miniſtros Eccle-

Sozom. lib. 7. cap. 26. hiſt. Eccl.

Proſp. lib. 2. cap. 9. de vita contemp.

cleſiarum. Certe reprimendæ clericorum avaritiæ neceſſariam fuiſſe fatetur. Eius auctorem non nominat. Sed illam fuiſſe ſuſpicor legem, quæ etiamnum lib. XVI. Codicis Theodoſiani extat, Valentiniani, Valentis, & Gratiani, ad Damaſum epiſcopum Romanum.

Edidere etiam aliam deinde legem Valentinianus II. Theodoſius & Arcadius: Ne viduæ diaconiſſæ quicquam poſſent clericis dare, relinquereve. Sed duobus poſt menſibus eam ipſam reſciderunt atque abrogarunt. Sæpe vero poſtea neceſſe fuit, clericorum, avaritiæ ſuæ magis quam Eccleſiæ miniſtrorum, impoſturas coercere. Extat lex Caroli magni, ne accipiantur res, religionis nomine, ab iis oblatæ, quorum liberi & hæredes hac ratione fraudati, talem merito dicere poſſent donationem inofficioſam. Et eodem tempore Synodus Cabilonenſis graviter reprehendit ſacerdotes, qui multis callide perſuadebant, ut ſuas Eccleſiæ conſecrarent facultates. Sed hæc quæ poſteriorum temporum ſunt, nunc omitto. Utut autem poſteritas, cum populus ſuperſtitione faſcinatus, clerici avaritia depravati eſſent, Conſtantini lege abuſa ſit, cum de Eccleſiis vel dotandis vel ditandis ageretur: conſtat, & bono conſilio & iuſtiſſima ratione piam illam ſuam legem edidiſſe Conſtantinum, ut in publicum relinqui teſtamento aliquid poſſet Eccleſiarum ſive collegio, ſive univerſitati, ſive corpori, (quod concilium ipſe vocat:) non ſane, ut ſinguli vel clerici, vel alii pri-

vatim id ad ſe traherent: imo vero ut id eo iure haberetur, quo haberi, quod univerſitati vel collegio licito legatum eſt, debere, leges ipſæ civiles profitentur. Nam & quod miniſtris ipſis vel clericis ſimpliciter relictum eſſet, in re dubia potius id ita accipiendum eſſe ſignificant, quaſi non ſingulis illis privatim, eorumve perſonis, ſed Eccleſiæ potius & eius univerſitati relictum eſſet. Sic enim interpretantur, quod ſacerdotibus & templi cuſtodibus relinquitur, ut miniſterio magis & templo relictum videatur: & quod civibus legatur, ipſi civitati legatum videri. Tantum abeſt, ut quod Eccleſiæ vel eius collegio legabatur, ſinguli invadere ſuo iure poſſent, & privatim ſibi arrogare. Sed neque tolerandum fuit, ut Eccleſiæ beneficio Conſtantini ditatæ, ſuas facultates in alios, quam vere pios uſus impenderent, aut ineptis voluntatibus teſtatorum eas relinquentium parerent: ſicuti multa Eccleſiis fuiſſe legata ſcimus ab hominibus vel deliris, vel ſuperſtitione faſcinatis. Imo vero tum demum, cum ſuperſtitio invaluiſſet, frequentiſſima eſſe cœperunt, quæ Eccleſiis relinquebantur, legata. Sed cur hic rurſus non utemur legibus civilibus, quæ edicunt, ſi quid civitati relictum ſit ad edendum ſpectaculum, quod celebrari non liceat, in alios meliores uſus convertendum eſſe? Et quidem quod in alimenta ætatis infirmæ, vel eruditionem puerorum, civitatibus relinquitur: in honeſtiſſimos & optimos uſus relinqui, diſertis verbis ſigni-

l. 20. annua. de ann. lega. l. 2. de rebus dub.

l. 17. De uſu f. lega. l. 5. De admi. rer. ad civi. perti.

ſignificant. Eccleſiarum miniſtros ali neceſſe eſt. Sed ut hi multo etiam magis populum verbo Dei paſcere debent: ſic & iuniores clericos erudiri, & iuventutem Chriſtiana doctrina imbui in primis neceſſe eſt. Habuit itaque iam inde ab initio ſuas ſcholas Eccleſia, in quibus religionis prima veluti elementa viva voce tradebant, qui Catechiſtæ dicebantur: & ab his ſimul interpretibus literarum ſacrarum libri enarrabantur. Hunc doctorum atque diſcipulorum conventum & ordinem, hos cœtus, has ſcholas, in quibus ſeminarium eſt & veluti propago Eccleſiæ, & ſine quibus diu Eccleſia ipſa conſervari vix poſſet, ſtudioſe tueri, atque etiam augere ornareque ſe debere, Conſtantinus recte iudicavit. Videbat, quam valde multis iam locis tales Academiæ florerent: & quos non modo flores, ſed etiam fructus ederent, non in ſua ſolum Britannia, (ubi prope urbem Legionum, quæ nunc Cæſtria appellatur, erat nobiliſſimum illud Banchorenſe collegium, quod plusquam duo millia hominum Chriſtianæ philoſophiæ ſtudioſorum alebat) ſed & in aliis paſſim regionibus, & quidem in media etiam iniquiſſimorum & pietati piisque ſtudiis infeſtiſſimorum temporum confuſione, & furente flamma: ut Cæſareæ in Palæſtina, ubi docuiſſe Origenem, didiciſſe Gregorium Neocæſarienſem accepimus: & multo etiam magis Alexandriæ in Aegypto. nam in Alexandrina ſchola, iam inde a temporibus Marci, qui Evangelium ſcripſit, Chriſtianos fuiſſe quosdam doctores, ſcribit Hieronymus: &

l. 117. & 122. De lega 1.

Hieron. in Catal.

& enumerare poſſumus Pantænum, Clementem, Origenem, Heraclam, Dionyſium, qui ordine perpetuo, ut alii aliis ſuccedebant, illas κατηχήσεων (ſic enim appellabantur) Alexandrinas ſcholas ſic erudierunt, & ad Conſtantini usque tempora multis ſæpe fluctibus alioqui iactatas ſic conſervaverunt, ut his tuendis atque propagandis pium principem magnam operam lubenter dediſſe, mirari non debeamus. Quid Antiochiæ? Apoſtolorum temporibus multo etiam magis illic floruiſſe Chriſtianos doctores atque prophetas, Lucas commemorat: & Conſtantini tempore nondum deſierant. Si Aſiæ fines perluſtrabat cogitatione ſua Conſtantinus: occurrebant ſcholæ Epheſiæ, ubi Ioannem apoſtolum, diſcipulorum atque auditorum cœtum collegiſſe, Irenæus ipſe, qui ex eo collegio prodiit, narrat. Traiiciamus in Europam: offert ſeſe ſchola Byzantina, cuius meminit Gregorius Nazianzenus, in eaque inſtitutum atque eruditum fuiſſe Baſilium narrat. Eius autorem fuiſſe Conſtantinum (cui Byzantium totum ſe tam valde debet, ut Conſtantinopolis etiam appelletur) facile mihi perſuadeo. Et vero quid aut fuit, aut eſſe debuit huic principi magis & cordi & curæ? Vidit cognatos ſuos, Iulianum, atque eius fratrem Gallum, catechiſtarum etiam munere fungi. An id ipſe negligeret? Quid? legebat in hiſtoriis ſacris, Moſem ſcholas Leviticas complures inſtituiſſe: & antequam etiam templum conditum eſſet, inſtitutam fuiſſe pro-

pe

pe Tabernaculum aliquam ſcholam, cui Samuel præeſſe non recuſarit. Et Heliam, deinde Heliſæum, ad Hierichuntem ſuos quoque habuiſſe conventus, cœtusque auditorum: reliquosque poſtea hoc exemplo prophetas certum diſcipulorum gregem, quem familiariter erudirent, collegiſſe. Quid de Nazaræorum, qui veluti iuniores erant clerici, flore dicam? quem concidiſſe, non immerito deflet Ieremias, excidium Hieroſolymitanum deplorans. Ut vetera illa non repetamus: cum etiam Iudæi poſtremis temporibus ſuas paſſim haberent Synagogas, in quibus libri Moſaici narrabantur: & ſimul ſuum Hieroſolymis veluti ſummum & publicum Gymnaſium, ad cuius auditorium Iudaica iuventus undique confluebat: an Chriſtiani in hoc ſe genere vinci paterentur? an id pateretur Conſtantinus? Nam & audiebat ipſos quoque Ethnicos, ſuorum ſacrorum cauſa, certas ſcholas inſtituiſſe, valdeque etiam coluiſſe. Audiebat, quales in ſua Britannia atque Gallia olim fuiſſent Druidum, in Perſide Magorum, Sacerdotum in Aegypto, præſertim Heliopoli. Cumque aliarum liberalium artium, civiliumque literarum publica ſtudia tam diligenter etiam tueretur (quod libro ſequenti oſtendam) an Eccleſiaſtica, quibus illa ſubſervire, & ad quæ referri debent, negligeret? Certe ne pueriles quidem catecheſes ſua cura indignas eſſe putavit. Hieronymus narrat, hanc adhuc ſuo tempore fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ut iis qui bapti- **In epiſtol. contra errores Joannis Hieroſ.**

baptiſandi eſſent, publice traderentur, quæ de Trinitate credere deberent. Non dubium eſt, ea ipſa fuiſſe, quæ Symbolo, quod Conſtantinus in Nicena Synodo explicari curaverat, continebantur. Sed & qui pueri adhuc & infantes baptiſmo initiati erant, grandiores paulo facti, vocabantur ad catechiſmum: eiusque veluti formulam tamdiu addiſcebant, donec rogati (ut interrogari publice ſolebant) reſpondere recte poſſent de præcipuis religionis Chriſtianæ capitibus. Hunc quoque morem diligenter conſervaſſe Conſtantinum, dubitat opinor nemo.

Cum vero Eccleſiam totam recte doceri eiusque doctrinam ex fontibus ſacrarum literarum repeti, atque etiam ex iis veluti tabulis diiudicari religionis controverſias vellet: in primis etiam operam dedit, ne ſacroſancti illi libri Eccleſiis deeſſent. Videbat Romæ bibliothecas, iuſſu & cura prophanorum etiam principum, templis adiunctas eſſe: quod religionem ſine libris diu conſervari non poſſe, illi quoque intelligerent: nullamque eſſe, nec eſſe poſſe, nec debere arctiorem coniunctionem, quam religionis atque eruditionis. Habebat Roma in ſuo Capitolio bibliothecam Majorum: ſic enim appellabatur. Auguſtus prope templum Apollinis extruxit bibliothecam Græcam & Latinam. Templum quoque Traiani ſuam habebat Ulpiam, optimis libris refertam. Et Domitianum ipſum, cum templum Capitolini Iovis inſtauraſſet, bibliothecas incendio abſumptas impenſiſſime

repa-

reparaſſe, exemplaribus undique conquiſitis, miſſisque Alexandriam librariis qui deſcriberent, atque emendarent, Tranquillus autor eſt. Omitto, quod Strabo ſcribit, Smyrnenſes quoque, ſui Homeri templo adiunxiſſe bibliothecam. Dicerem his quoque exemplis permotum fuiſſe Conſtantinum. Sed dicam potius, in primis excitatum eſſe divino illo oraculo, quo Deus præcepit, ut ſtatim atque Rex inunctus fuerit, ſedulo curet, legis volumen religioſe deſcribi, cuius & aſſertor & cuſtos ſit, ut eſſe debet. Id aliquot reges Iudaici, ut erant vel impii vel profani, contempſere: eorumque culpa, res aliquando eo recidit, ut interciderit liber divinæ legis: totaque adeo eius memoria prope perierit. Sed pereunti tandem religioni ſuccurrit excitatus a Domino rex religioſus Ioſias: qui libros illos ſacroſanctos, ſitu & pulvere obſitos, in lucem revocavit. Placuit hoc exemplum Conſtantino: & ne rurſus aliquando ii interciderent, operam dedit. Nam & periculum alioqui magnum eſſe, multa eum monebant. **Strab. l. 14.**

Accuſat quodam loco Chryſoſtomus Iudæos, quod multos Propheticos libros perire paſſi ſint: quoſdam etiam deleverint. Athanaſius eandem cladem deplorat, & ex tribus pſalmorum millibus tam paucos ſupereſſe conqueritur. Sed has tamen ipſas reliquias, quoties abolere impii homines conati ſunt? Quo magis laudandus Conſtantinus eſt, qui in iis & colligendis & conſervandis tantum poſuit & operæ, & im- **Chryſoſt. in 2. cap. Matth.** **Athan. in Synopſi ad fin.**

& impenſæ, & laboris? Audiebat laudari Alexandrum epiſcopum Hieroſolymitanum, quod ſuæ Eccleſiæ nobilem bibliothecam (cuius & Euſebius meminit) adiunxiſſet. Cæſarienſem quoque bibliothecam cura & ſtudio Pamphili martyris collectam, valde a ſuo Euſebio commendari audiebat. Quid pium principem & facere & præſtare, cum hæc privatorum hominum exempla videret, opportebat? Fecit itaque, quod eo dignum erat: & aliis deinde etiam exemplo fuit, ut id imitarentur. Certe Hieronymus ad Pammachium ſcribens, non obſcure ſignificat, hoc ſubſidio Eccleſias poſt Conſtantinum multis annis deſtitutas non fuiſſe. Cum enim Pammachium illum ſuum hortatur ad ſtudia ſacrarum literarum: Eccleſiarum (inquit) bibliothecis fruere. Ut vero Eccleſiæ publicas haberent bibliothecas, utque iis frui poſſent, qui ſeſe ſacris ſtudiis darent, nonne Conſtantini primum beneficio factum eſt? Bene autem accidit, Euſebium non minorem ſuo Pamphilo bibliothecarium, præſto fuiſſe principi hoc agenti. Amavit Auguſtus C. Meliſſum, quod bibliothecæ eleganter ordinandæ in Octaviæ porticu, maximam curam ſuſcepiſſet. Iulius Cæſar Marcum Varronem coluit eandem ob cauſam. An Euſebium non amaret Conſtantinus? Sed huius ad illum epiſtolam, de libris ſacris exſcribendis, quæ ſacroſanctæ nobis legis loco eſſe debet, repetat nunc lector ab ipſis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptoribus, qui eam non

Euſeb. lib. 4. de vita

uno

uno loco habent, & toties ingerunt, ut nobis eam non ſit nunc neceſſe deſcribere: ne cum longior paulo ſit, breves hoſce commentarios non neceſſaria repetitione producam. Conſtant. Socrat. lib. 1. hiſt. Eccl. Theod. lib. 1. hiſt. Eccl.

Primum Diocletiani, tyranni impii & furentis, edictum fuit, ut non modo templa Chriſtianorum omnia funditus, ſi quas usquam tales ædes haberent, everterentur, ſed & ſcripturæ ſacræ flammis abolerentur. Euſeb. hiſtor. Eccl. lib. 8. cap. 3. Tam barbarus certe alioqui non erat, quin aliis literis librisque faueret: ſed religionem Chriſti, eiusque doctrinam delere, & veluti in cineres redactam ſepelire cupiebat; & habebat quem ea in re imitaretur, Antiochum Epiphanem. Oportuit itaque noſtrum e diverſo Conſtantinum, qui illi ſucceſſit, operam dare, ut non ædes modo ſacræ, in quibus verbum Dei ſonaret, extruerentur; ſed etiam, ut ſacrarum literarum monumenta & conquirerentur, & colligerentur, & religioſe conſervarentur: tantoque id etiam erat neceſſe magis, quod quidam tunc Epiſcopi, qui cuſtodes eorum atque defenſores eſſe tamen debuerunt: ſuppliciorum metu dicerentur hoſce ſacroſanctos libros impiis carnificibus cremandos tradidiſſe. Ac ſi poſt tempora Antiochi profanus etiam ille Aegypti rex Ptolemæus Philadelphus, cum Alexandrinam ſuam bibliothecam adornaret, tam valde fuit (ut certe fuit) de conquirendis ſacris Bibliis, & in linguam quoque ſuam transferendis ſolicitus: non debuit eſſe Conſtantino,

nec eſſe potuit, rei tam neceſſariæ procuratio minus aut curæ, aut cordi. Curare debebant Epiſcopi, ut quisque privatim eos libros domi ſuæ haberet, atque etiam ſæpe relegeret, quod etiam Chryſoſtomum curaſſe conſtat. Sed interea principis erat & religioſi & prudentis, præſtare, ut publico ſumptu bona exemplaria deſcriberentur, & publicis bibliothecis adſervarentur.

Suetonius in Aug. & Dion lib. 54.

Narrant veteres, Auguſtum duo quidem millia fatidicorum librorum concremaſſe, quorum aut nulli, aut parum idonei erant autores: Sibyllinos vero, delectu habito condidiſſe duobus forulis auratis, ſub Palatini Apollinis baſi. Sed quia eorum ſcriptura vetuſtate iam prope evanuerat, iuſſiſſe ut deſcriberentur: ipſorum tamen ſacerdotum manu, & notis, ne quis eos alius legere poſſet. At noſter Conſtantinus longe profecto religioſius, Propheticos atque Apoſtolicos libros (ut maiori etiam religione digni erant) deſcribi eorum manu, qui eorum doctrinam publice docebant, curavit: non tamen ut deſcripti aut ſepelirentur, aut laterent: imo vero ut quam emendatiſſimi in vulgus darentur, omnique tempore omnes pietatis ſtudioſi iis uterentur. Laudent Romani ſuum Lucullum, quod bibliothecam non modo optimis libris repleverit, ſed publice etiam (quod certe magis laudandum eſt) patere voluerit. Laudent Athenienſes ſuum Piſiſtratum, quod privato ſumptu libros liberalium artium omnibus legendos

dos propoſuerit. Quanto Conſtantini, & eorum qui Conſtantinum imitantur, laus & iuſtior & maior eſt? Maxima etiam in eo, quod hoſce libros non modo ad diuturnum uſum perpolitos, ſed & ita emendatos, ut eorum ſcripturæ certa fides eſſet, ediderit. Cicero de privata ſua bibliotheca ſolicitus, non modo deligere ſe profitetur glutinatores, & membranulam, ex qua indices fiant: ſed etiam monet, rem illam non poſſe confici, niſi per hominem & peritum & diligentem; conqueriturque iam tum libros & mendoſe ſcribi, & vænire. Quid non faceret Conſtantinus, cum libros ſacros Eccleſiis publice proponere, & poſteritati ad ſempiternam memoriam relinquere inſtituerit? Intelligebat enim ſummam & doctrinam, & diligentiam, & religionem, & denique fidem iis deſcribendis deberi. Neque certe ulla magis in re barbara poſtea tempora nocuerunt, quam quod librariis uſa ſint indoctis, plerumque monachis: ſæpe etiam mulierculis & puellis operas ſuas locantibus rem tantam commiſerunt. Sic enim & adulterina, & mendoſa, & contaminata volumina longe lateque ſparſa ſunt: atque ex his tanquam ſeminibus ea fabularum atque errorum deinde ſeges enata eſt, eaque rerum confuſio conſecuta, ut facile intelligi poſſit, non temere, quod metuebat, metuiſſe Conſtantinum. Nam & audiebat, iam antea multas nænias falſis titulis inſignitas, & ad fallendum pulchre inſtructas, mul-

tos nebulones & eccleſiæ & populo Chriſtiano obiicere conatos eſſe. Audiebat, quid Marcion tentaſſet, & quid aliquot ſimiles hæretici auderent, libris ſacris corrumpendis intenti: ut certe adulterari facile ſcriptura poteſt. Audiebat, non temere Irenæum, & alios cordatos Eccleſiæ doctores, cum librum aliquem ederent, per omnia ſacra obteſtari librarios, ut quod in archetypo eſſet exemplari, bona deſcriberent fide: nihilque vel adderent, vel detraherent, vel immutarent. Magna ergo cautione hic opus eſſe, prudenter iudicavit Conſtantinus. Neque modo Apoſtolica ſcripta & Prophetica, ſed & alia Eccleſiaſticarum rerum monumenta, & eius generis acta, diligenter eſſe conſervanda, non modo ne perirent, ſed etiam ne corrumperentur: neve in has publicas tabulas, quibus multi impoſtores inſidiabantur, falſi aliquid vel irrepere, vel iniici poſſet.

Cum Romani epiſcopi, in ea, quam adverſus Africanos agebant, cauſa, Sardicenſes canones pro Nicænis ſupponere auderent, vixdum elapſis poſt Conſtantini mortem annis centum: ecquid futurum erat, niſi ſi in bibliothecis Conſtantinopolitana, Alexandrina, atque Antiochena, inventi fuiſſent incorrupti Canonum Nicænorum Codices & archetypi, & authentici, ex quibus falſum illud & fraus redargui convincique poſſet? Annis poſt Conſtantinum trecentis, in Synodo Conſtantinopolitana, quæ

in

in Trullo coacta erat, nonne Monothelitæ maiori etiam impudentia, ut aliquem ſuo errori ſpecioſum titulum obtenderent, acta & canones alterius prioris Synodi Conſtantinopolitanæ, quæ centum, aut non multo pluribus ante annis coierat, adulterinis ſuis additionibus corruperant? Deprehenſum quidem eſt hoc etiam falſi crimen, beneficio eorum codicum, qui in bibliothecis Conſtantinopolitanis adſervabantur. Sed quid futurum erat, ſi hoc ſubſidio, & tali veritatis teſtimonio deſtituta tunc Eccleſia fuiſſet? Neque vero dubium eſt, quin authentica exemplaria Conſtantinus ab ipſis fontibus repetierit: & Prophetarum monumenta Hebræa, Apoſtolorum Græca lingua, qua ſcripta primum fuerunt, deſcribi voluerit: denique ſecutus ſit, quod ſequendum eſſe, ubi de fide exemplarium quæſtio eſt, ſcripſit poſtea Auguſtinus, in ſua adverſus Fauſtum Manichæum diſputatione. Poſtremo & apocrypha ſcripta, ab illis (ut appellantur) Canonicis, diſcernere fuit neceſſe. Iam antea Meliton Sardenſis epiſcopus totum Orientem, vix centum poſt Apoſtolorum mortem annis peragrarat: ut in Eccleſiis Apoſtolicis certo intelligeret, quinam illi eſſent authentici ſacrarum literarum ſcripturæque ſanctæ libri. Et omnibus exploratis, retulerat illos ſolos eſſe XXII. quorum nunc noti ſunt & authores, & tituli. Origenes illud ipſum paulo poſt etiam tradiderat. Neque alia fuit Conſtantini ætate in

Eccleſia ſententia. Sed erat eius & cura & autoritas neceſſaria, ne alii libri adulterini ſupponerentur: ut omnibus temporibus fuerunt talium impoſturarum artifices. Laudat quodam loco Galenus reges Alexandrinos atque Pergamenos, inter ſeſe contendentes in veterum librorum theſauris conquirendis, atque cumulandis: ſed monet etiam, propoſito ſemel præmio eorum inventoribus, multos multa falſis titulis & confictis inſignita volumina, nempe pro theſauro carbones atque ſordes, obtuliſſe: & (quod antea factum non erat) multos deinde ſuppoſititios libros ſparſos eſſe. At principis religioſi & prudentis eſt, delectum adhibere, & iudicium: & in re tam ſacroſancta, tamque etiam impoſtorum fraudibus obnoxia, eam cautionem, ut verum a falſo diſcernatur: illud retineatur, hoc reiiciatur.

Quantum Conſtantini ſtudium fuerit in conſeruandis libris ſacris, inde etiam intelligi poteſt, quod vix ullum in Eccleſia tunc maius crimen habebatur, quam eos impiis ſive inquiſitoribus, ſive quæſtoribus, qui bellum & iis & pietati indixerant, prodidiſſe, tametſi mortis id metu fortaſſe factum eſſet. Cum miles aliquando Romanus librum Moſaicum, in quadam forte publica Palæſtinæ direptione oblatum, diſcerpſiſſet, concurrerunt Cæſaream ad Romanum præſidem Iudæi: neque ceſſarunt, donec viderent ſatellitem illum capite luentem pœnas tantæ audaciæ. An Chriſtiani leve

cri-

crimen & impunitate dignum exiſtimarent, ſi qui, præſertim Eccleſiæ antiſtites, ſacroſanctas ſuas tabulas hoſtibus traderent flammis abolendas? An eius facti facile ullam reciperent excuſationem?

Hic ego hiſtoriam huius maxime loci, quæ minime ab eo prætermitti debet, qui Conſtantini iudicia colligit, lubenter commemorabo. Eſt quidem (quod certe ſæpe mirari cogor) prætermiſſa ab aliis hiſtoriarum ſcriptoribus, qui tam multa alioqui, eaque etiam non valde magna aut neceſſaria, de Conſtantino dixere. Sed tanto eſt magis a nobis nunc commemoranda: & ex unius ſaltem Auguſtini ſcriptis repeti & colligi poteſt. **Auguſt. epiſt. 162. & 166. & lib. 3. adverſus Crecon.**

Donatus a caſis nigris (ſic enim appellabatur) Cecilianum Carthaginenſem epiſcopum accuſans, cum alia illi crimina, tum hoc in primis obiiciebat, ſacras eum literas, Chriſtianæ religionis hoſtibus tradidiſſe concremandas. Nam aſtutus hic calumniator, nullo graviori crimine reum premi poſſe videbat. Cum hæc ex Africa ad Conſtantinum, qui vixdum Romano imperio potitus erat, delata cauſa eſſet: is iudicem, qui de illa cognoſceret, poſtulantibus etiam iis, qui Donati partes ſequebantur, dat, Miltiadem epiſcopum Romanum: eique collegas quatuor adiungit, Marcum, Reticum, Maternum & Marinum. Ii cauſa cognita, Cecilianum innocentem reum abſolvunt: Donatum improbum calumniatorem

 con-

condemnant. Provocat Donatus, & Conſtantinum appellat. Non erat dignus, qui audiretur. Sed clementiſſimus Imperator, in cauſis Eccleſiaſticis omnia moderate, nihil violenter aut temere agere volebat. Dat igitur alios iterum iudices, Arelatenſem nempe & Syracuſium & alios quosdam epiſcopos. Neque enim dubitavit, eos hac in re ſupra epiſcopi Romani ſedem veluti efferre: & huius bona gratia id fieri poſſe intelligebat. Extant utriusque iurisdictionis, vel ſaltem cognitionis mandatæ reſcripta, apud Euſebium lib. X. hiſtor. Eccleſ. Ab Arelatenſi & eius collegis rurſus damnatus Donatus, non veritus eſt iterum appellare Conſtantinum. Conſtantinus, etſi non ignoraret toties repeti provocationem iure non poſſe, nihil non tamen fecit ſemper, ut iudicio magis quam impetu, res Eccleſiaſticas tractare intelligeretur. Ergo non recuſat ipſe, de hac hauſa, toties iam alioqui iudicata, cognoſcere. Utramque partem patienter audit. Tandem pronunciat, innocentem eſſe Cecilianum. Ac Auguſtinus quidem narrat, ſeſe Conſtantini hac de re literas legiſſe: quibus commemorabat, ad ſuum iudicium poſt Epiſcopalia iudicia partes perductas eſſe, & ſe inter eas cognoviſſe, & innocentem comperiſſe Cecilianum. Verba etiam huius ſententiæ Conſtantinianæ ſcribit Auguſtinus hæc fuiſſe: „Pervidi Cecilianum, virum omni innocentia

præ-

prædicum, & debita ſuæ religionis officia"
ſervantem, eique ita ut oportuit ſervientem."

Quum hunc ordinem huiuſce iudicii legimus, quum hanc ex Africa cauſam primum ad Conſtantini cognitionem eſſe delatam, datumque ab eo eſſe iudicem Romanum cum aliis nonullis epiſcopum: tum vero, qui de huius ſententia deinde cognoſcerent, alios rurſus Epiſcopos, poſtremo etiam ipſum Conſtantinum & cognoviſſe & pronunciaſſe audimus: & vero totum huiuſce iurisdictionis ordinem a veteribus etiam Epiſcopis laudari: ſatis intelligimus, quam fuerit ab illius temporis Eccleſia alienum, quod ambitioſi nunc quidam antiſtites ſibi arrogant.

Sed neque illa, quam dixi, Conſtantini poſtrema ſententia, Donatiani ſycophantæ (ut ad eos revertar) reprimi potuerunt. Novas rurſus calumnias, quas confinxerant, ſpargunt: nec tamen Conſtantini toties læſa patientia, fit furor, ac ne ſeveritas quidem paulo moroſior, adeo placidus erat iudex rerum Eccleſiaſticarum. Poſtrema Donati criminatio fuit, Cecilianum a quodam Felice, qui Eccleſiam prodidiſſet, creatum fuiſſe epiſcopum. Epiſcopum itaque legitimum non eſſe. Mandat hic Conſtantinus Aeliano Africæ proconſuli, ut de cauſa cognoſcat. Is, cum falſam eſſe criminationem cognoviſſet, ſua ſententia repellit Donatianos. Tandem cum toties victi atque repulſi, non quieſcerent, cogitur paulo

lo ſeverior eſſe Conſtantinus: edidiſſeque adverſus eos legem ſeveriſſimam, ait Auguſtinus. Quænam eius legis fuerit ſeveritas, certo dicere non poſſum. Sed non niſi ſumma neceſſitate, tanquam ab invito expreſſam fuiſſe, dubium non eſt. Atque utinam tam ſeverus in hoc genere fuiſſet Conſtantinus, ut illam totam Donati factionem, quæ paulo poſt, neſcio quem Conſtantini ementita favorem, tam triſtes in Eccleſia turbas dedit, ſic extinxiſſet, naſcentemque repreſſiſſet, ut nunquam deinde aut emergere, aut vires iterum colligere hæc peſtis potuiſſet. Sed ita eſt profecto, lentus erat Conſtantinus, cum vereretur, ne aut præceps, aut crudelis eſſet. Quam placide in Arii cauſa ſe geſſerit, mox videbimus. Sed ut nunc magis videamus, ecquid ſibi iuris ſumpſerit, eiusque exemplo alii etiam ſibi ſumpſerint Chriſtiani Cæſares in cauſis Eccleſiaſticis: cum omnino de religione ipſa quæſtio erat, neque ſe, neque civiles ſuos magiſtratus iudices eſſe voluerunt, neque eſſe debere, ſæpe profeſſi ſunt. Ad Epiſcoporum enim cognitionem potius reiiciendam eam eſſe agnoſcebant: neque Epiſcopi paſſi fuiſſent, ſubſelliis eam prophanis, & civili iurisdictioni ſummitti. Nota eſt hac de re epiſtola Ambroſii ad Valentinianum. Itaque & Gregorius epiſcopus Romanus, ad Mauricium Imperatorem ſcribens: Sereniſſimi (inquit) domini mei animum non ignoro, quod ſe in cauſis Eccleſiaſticis miſcere non ſoleat.

Ambroſ. epiſt. 32. Greg. lib. 3. epiſt. 20.

Sed

Sed ubi de religione ipſa doctrinaque Eccleſiæ non ageretur, non exiſtimarunt Chriſtiani olim Cæſares cauſas illas, quæ de diſciplina magis quam de ullo fidei (ut loquimur) articulo eſſe videbantur, vel a ſua cognitione vel a ſuorum Magiſtratuum foro alienas eſſe. Eſto paſſi olim ſint Romani ſuos Pontifices ſupra notas Cenſorum ſeſe efferre, ut ab iis notari non poſſent: Chriſtiani antiſtites tantum ſibi tribui non poſtularunt. Nota eſt Chryſoſtomi ſententia, locum illum Pauli, quo iubetur omnis anima poteſtatibus, quæ gladium geſtant, ſubiecta eſſe, interpretantis. Certe non dubitavit Conſtantinus, totam aliquando Tyriam Synodum, quæ Athanaſio iniuriam faceret, acriter increpare: & pro ſuo imperio non modo ad ſe evocare, ſed etiam caſtigare. Et Nicomedienſem clerum alloquens, ſuo quodam iure minatur, ſi quid ille turbet aut miſceat, vindicem ſe fore in eo genere minime mollem.

Socrat. lib. 1. hiſt. Eccl. Sozo. lib. 1.

Theod. lib. 1. hiſt. Eccl.

Nam & edita lege Honorius atque Arcadius Impp. Epiſcopum, qui publicam quietem perturbaret, & Epiſcopi nomine indignum pronunciant, & ea deiiciunt ſede, & denique exulare iubent. Quid commemorem Martiani Imp. duas conſtitutiones, ut ſacerdotes & clerici in criminali cauſa coram Præſide vel Præfecto conveniantur? Certe hos quoque civiles magiſtratus fuiſſe ordinarios illorum iudices, nominatim edixerunt alii paulo poſt Impp. Leo &

l. quicunq; C. de epiſ. & cler.

l. ſi qui ex conſenſu. §. de Epiſc. aud. l. cum clericis. C. de Epiſc. & cler.

l. omnes. C. de epiſc. & cler.

& Anthemius; neque quiſquam Antiſtitum reclamavit. Nam neque alii magiſtratus erant, quam qui religioni faverent, & Eccleſiæ. Neque tamen diſſimulo, Conſtantinum ſæpe multa ſive condonaſſe, ſive diſſimulaſſe: plurimum etiam ſacerdotibus indulſiſſe, abhorrentem ab eorum vel criminatione, vel condemnatione, quorum ordinem ſacroſanctum aut evileſcere, aut contemptui eſſe, aut probro infamiaque affici non poſſe ſine magno malo Eccleſiæ, & graviſſimo periculo, prudenter videbat. Connivere itaque interdum cogebatur. Videbat in Nicæna Synodo eos ipſos, qui adverſus Arrium convenerant Epiſcopos, relicto adverſario, mutuis ſeſe vulneribus confodere, atque etiam libellis famoſis diſcerpere. Tam contentioſam, tamque cæcam moroſitatem, imminente præſertim Arrio, & ſecure ſuaviterque haſce pugnas ſpectante, magnum aliquod poſſe dare malum intelligebat. Quid faceret? Videt non eſſe tempus talium diſceptationum, præſens etiam periculum videt. Libellos itaque illos, plenos hoſtilium criminationum, ad ſe delatos exurit: & ut potius quod inſtabat ageretur, negat eorum ſe iudicem fore. Olim Ariſtides in publico munere datus collega Themiſtocli, homini alioqui non valde amico: Poſthabeamus, dicebat, privatas noſtras ſimultates, Reip. defenſioni. Oportebat Epiſcopos eadem ſaltem æquitate & prudentia in illo communi periculo incendii Arriani, eademque animi moderatione

ad

ad aliquem veluti ſyncretiſmum revocari. Cum id illi non facerent, fecit ſaltem Conſtantinus quod prudentem principem in eo rerum diſcrimine facere oportebat, ut præcideret omnem earum contentionum materiam, atque etiam memoriam: multa diſſimulans, largitus multa, plurima de jure ſuo remittens. Sed quis ferat illos deinde ſive ſacerdotes, ſive epiſcopos, ſive pontifices, qui poſterioribus temporibus, eo exemplo non modo ſcelerum impunitatem captarunt, ſed & ab omni magiſtratuum iurisdictione & imperio eximere ſe non erubuerunt? Immunitas, quam Eccleſiarum miniſtris ſingulari iure conceſſit Conſtantinus, fuit, ut a perſonalibus (ſic enim vocantur) muneribus liberi eſſent: ne eorum nomine a ſuo miniſterio atque functione vel abducerentur, vel diſtraherentur. Qua etiam ratione vetus Eccleſiæ diſciplina, ne pupillorum quidem tutelam iis mandari patiebatur. Epiſtolam, ſive legem Conſtantini de illa, quam dixi, immunitate, commemorat Euſebius lib. X.

Sed & immunes eſſe voluit Conſtantinus ab extraordinariis ſordidisve exactionibus, aut novis collationibus: quod & Honorio Arcadioque Impp. placuit. Verum ordinaria patrimoniorum munera, remiſſa minime fuiſſe, dubium non eſt. Atque ut capitationem facile remitti potuiſſe fatear: iugationem tamen (ut appellant) non legimus fuiſſe remiſſam. Erant itaque & Eccleſiaſtica prædia ordinariis tributis

l. 1. & 2. C. de epiſc. & cler.

l. placet. C. de ſacroſ. Eccleſ.

l. 3. C. de epiſ. & cler. tis obnoxia: & Conſtantini filios edixiſſe conſtat, ut clerici prædiorum poſſeſſores ad perſolvenda tributa fiſcalia compellerentur. Neque veteres Epiſcopi reclamarunt. Ambroſius de Valentiniano ſecundo loquens: Si tributum (inquit) petit, non negamus. Agri Eccleſiæ tributum ſolvunt. Cæterum poſteriorum temporum Antiſtites; ut locupletiores fuerunt, ſic etiam fuere inſolentiores & difficiliores. Certe Gregorius ſcribens ad Theodericum & Theodebertum reges Francorum; barbare exclamare non dubitat: Audivimus, quod Eccleſiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna ſuper hoc admiratione ſuſpendimur, ſi ab iis illicita querantur accipi, a quibus etiam licita relaxentur.

Greg. lib. 7. epiſt. 114.

Scio & Aegyptiis olim ſacerdotibus, & Perſicis, & Athenienſibus, & denique etiam Gallorum Druidibus conceſſum fuiſſe, ut a tributis & vectigalibus omnino immunes eſſent. Eiusque rei teſtem habeo & Moſen, eique ſuffragantem Diodorum, & Eſram, & Xenophontem, & Iulium Cæſarem. Sed Conſtantinus noſter prudenter reputans, quid poſtularet illa (ut vocant) peræquandorum tributorum, quæ Reipubl. neceſſaria ſunt, ratio, modum aliquem ſervari in hoc genere voluit. Non ignorabat, quod Appianus ſcribit, veteres Romanos multum hac in re ſuis olim ſacerdotibus indulſiſſe. Sed videbat poſteriores eorum leges, quæ ſapientiores habebantur, non fuiſſe tam profuſas. Nam

Moſ. Geneſ. 47. Diodorus lib. 2. Eſr. lib. 1. cap. 7. Xenoph. de vectigal. Cæſ. lib. 6. de bello Gall. App. lib. 4.

Nam ne Pontificem quidem excuſari à muneribus patrimoniorum, tradunt: & qua ratione philoſophos immunitatem huius generis avare ambientes repulerunt, ſacrorum quoque miniſtros repellere poterant. Hoc exemplum ſi ſecutus Conſtantinus eſt in ſuis clericis, neque Reipub. nocuit, neque ullam Eccleſiæ iniuriam fecit. Nam & ſatis ſuperque aliunde proſpectum erat Eccleſiarum miniſtris, ne egerent: & quod ad eorum honeſtam quietem pertinere videbatur, liberaliter conceſſum. Quod quidem cum ex iis, quæ dicta antea ſunt, ſatis intelligi poſſit, non committam, ut vel non neceſſaria repetitione, vel longiori hac de re oratione lectorem obtundam. l. ult. De mun. & honor.

Legem porro de feriis & feſto die Dominico, quam Eccleſiæ ordo poſtulabat, ſed quæ nulla alioqui ſuperſtitione res civiles offenderet, & prudenter & religioſe a Conſtantino editam, libro ſequenti, ſuo commodius loco, explicabimus. Illud nunc ſolum conſideremus, ſapienter fuiſſe in omnes partes proviſum, quod Reipub. Chriſtianæ vel decus vel quies deſiderare videbatur. Quid multis? Cum tempora Conſtantini cogitatione perluſtro, illud exclamare cogor: O fortunatam nimium, ſua ſi bona noviſſet, Eccleſiam. Evecta ad ſummum erat honoris gradum, omni genere felicitatis aucta, omnibus bonis ac prope etiam deliciis cumulata: denique ſic res illi ad voluntatem omnes fluebant, ut ad eum videretur evaſiſſe beatum, flo-

ſola impietate armatos, ex nobiliſſimarum Eccleſiarum ſinu & gremio, ad eas ipſas peſſundandas, & earum Deum oppugnandum, proſiluiſſe? Satis ſuperque malorum erat, etiam ſi hæ uiperæ non acceſſiſſent. Longe lateque vagabatur factio Novatiana. Multæ erant reliquiæ veterum hæreſeon: neque ceſſabat Donati factio: & inter ipſos Epiſcopos privatæ ſimultates atque diſſidia exarſerant. Quid reliqua mala commemorem? Sed ſummum malum fuit Arius: cuius etiam factio inter omnes hæreſes maxime caput extulit, diutiſſimeque debacchata eſt. Nam & trecentis iam annis omnia miſcuerat, cum Mahometicus furor ſucceſſit, cui quandam illa veluti viam ſtravit: & in quem ſic deſiit, ut hunc, quem peperit, longe deterrimum atque peſtilentiſſimum fœtum ſibi ſubſtituerit: quo magis facem fuiſſe agnoſcamus, cuius incendio & univerſus terrarum orbis, compluribus ſeculis conflagravit, & tota prope Eccleſia abſumpta extinctaque eſt. Auctor fuit huius tanti mali Arius quidam, ut dixi, Alexandrinus presbyter: qui ambitione ardens, & neſcio cuius repulſæ indignatione iritatus, & vero invidiæ quodam veluti œſtro percitus, ſit commoto ingenio, & inſaniæ ſuæ indulſit, ut tanquam cornibus incurrerit in CHRISTUM ipſum: & Gigantæo quodam furore auſus ſit, æterno Dei filio bellum indicere. Et vero iis artibus pollebat ingenioſus hic nebulo, & ad oſtentationem compoſitus artifex,

ut multorum leves animos, & longioris opinor iam quietis impatientes, novarumque rerum cupidos, in ſocietatem nefarii ſui dogmatis pellexerit, ſuisque caſtris adiunxerit. Non multis ante annis hanc telam orſus fuerat Antiochiæ Paulus Samoſatenus. Et in Africa Sabellius non diſſimilem inchoarat. Sed neuter ſuam pertexere potuit. Nunc vero Alexandriæ medius veluti exſurgit Arius, utroque illo aſtutior,& ipſo etiam Baſilide Alexandrino hæreſiarcha deterior: quodque alii fruſtra attentarant, conficere ſe alia ratione putat poſſe, ſi quod una non ſucceſſit, alia aggrediatur via. Nam etſi Epiſcopi omnes, Eccleſiarumque doctores, qui eum ſtatim refellere & poterant & debebant, aliis turbis non diſtraherentur, ſed alta quadam pace ſummoque ocio ſecure perfruerentur: tamen ex eo ſuavi ſtatu, tanquam ex loco lubrico, facile hominum ingenia impelli poſſe ad moliendas res novas, ad ambitioſam oſtentationem atque inſolentiam, ad inanes denique & odioſas contentiones, intelligebat. Et quanquam domi acerrimos habere ſe ſentiret adverſarios duos, Alexandrum epiſcopum & Athanaſium: tamen ſi erumperet, magna ſibi ſubſidia non defutura exiſtimavit. Saltem ſe quodam veluti pomo ἔριδος in Eccleſiam iniecto, magnas turbas, in quibus regnaret, excitaturum exiſtimavit: & vero immiſſa in eam flamma diſſenſionum, ut ille olim incenſo Dianæ templo, magnum aliquod & memora-

bile

bile nomen relaturum. Neque vero diſſimulo, multos Epiſcopos; qui ſe illi adiunxerunt, ſuo etiam hoc duce fuiſſe deteriores, magisque præfractos: & incaleſcente, ut fit, contentione longius progreſſos, eo rem perduxiſſe, ut ipſius etiam Arii ſpem atque expectationem ſuperarint. Sed magnam tamen initio fuiſſe Arii verſutiam, ut erat etiam aſtuti hominis vafra tectaque tergiverſatio, agnoſco. Non modo in lucem revocare, ſed etiam in Eccleſiam invehêre volebat, exploſam Pauli Samoſateni fabulam. Si aperte, ut ille egerat, hanc tragœdiam ageret, nihil eſſe ſpei vidit. Sabellii vero actionem, quæ ad fallendum magis compoſita erat, eudem ſe fraude imitari debere iudicavit. Primum itaque confeſſus eſt, Chriſtum eſſe Deum, filiumque Dei. Sed quod verbo confitebatur, re ipſa negabat. Nam eum non eſſe Deum æternum, clam muſſitabat. Unum cum Patre eſſe fatebatur, ſed unitum eſſe fingebat: tandem etiam cum urgeretur, ὁμοούσιον eſſe negabat. Quid multis? Cui divinitatem concedebat, divinitatis ſubſtantiam detrahebat. Denique ſic ſua dogmata tegebat, miſcebat, atque involvebat, ut non cuiusvis eſſet eorum impietatem deprehendere: multo vero minus refellere. Sic enim ea diluebat, atque etiam depingebat, ut facile falleret, inſidiis, non aperto marte, rem ſuam agens: ut hanc hæreſin, temporibus deinde adiutam & multorum ſive improborum, ſive imperitorum inſano favore ex-

ceptam, atque etiam promotam, tantos feciſſe progreſſus, non valde mirari debeamus. Longa eſt hiſtoria, longæ ambages. Sed tota hæc tragœdia tam eſt olim a multis, tamque diligenter atque etiam copioſe deſcripta, ut multas eius partes non invitus nunc prætermittam. Quanquam veteres horum temporum hiſtoriæ tam ſint confuſæ & redundantes, ut & rerum ordinem perturbent, & prope obruant lectorem.

Cum audiiſſet Conſtantinus motam Alexandriæ eſſe hanc controverſiam, ſtatim ut huius diſſidii flammam ſurgentem, & non niſi adhuc fumantem extingueret, legatum & veluti pacificatorem, miſit, Oſium Cordubenſem epiſcopum, hominem ſingulari prudentia: miſitque cum literis ſapientiſſime ſcriptis ad concordiam ſarciendam. Ubi ſuas etiam preces contemni, ſuique legati monita repudiari intelligit, neque modo ſe vel monendo vel hortando nihil proficere, ſed etiam peſtem illam Arianam magis atque magis invaleſcere, & longe lateque graſſari, ſimulque acerrimas exardeſcere contentiones, quæ niſi tempeſtive componerentur, Eccleſiam peſſundarent: neque animum abiecit, neque tædio aut deſperatione (quod multi facerent, tam & ingratos eſſe homines, & inutiles ſuos labores, experti) opus, quod ſuſceperat, abiecit: ſed magno animo, quem nulla frangeret offenſio; diſpicere cœpit, qua potiſſimum ratione novum hunc

hunc Eccleſiæ morbum ſanaret. Et quidem ſapientiſſime iudicavit, nihil ſatius eſſe, quam Synodum cogere, in qua tanquam in ſacroſancto Senatu, cauſa cognita, collatisque ſententiis, controverſiæ religionis dirimerentur. Nam & alia multa erant, quæ hunc conventum expoſcere videbantur: neque aliter, quod ex re omnium Eccleſiarum eſſet, conſtitui poſſe. Ergo animum induxit ſuum, ut hoc concilium indiceret: neque quicquam, quod ad id cogendum pertinere videretur, prætermitteret. Habuit aliquando impium collegam Licinum, qui, quantum poterat, piorum Epiſcoporum conuentus diſſipabat. Sed tanto laudandus Conſtantinus magis eſt, qui nihil habuit antiquius, quam ut ii, cum opus eſſet, coirent. Talibus enim comitiis Eccleſiam veluti communiri ſentiebat. Dixit olim Cornelius Tacibus, facile vinci Britannos, quod in commune non conſulant: nihilque eorum hoſtibus eſſe utilius. Potuit hoc etiam in ſua Britannia audire Conſtantinus. Sed veteris Eccleſiæ exempla multa erant, quæ uſum Synodorum ſatis commendarent. Ut vero una aliqua Synodus coiret, quæ eſſet non ſolum Chriſtiana, ſed etiam (ut loquimur) œcumenica, & in quam omnes undique ex omnibus provinciis concurrerent: ſuo imperio opus eſſe, ſuaque cura intellexit Conſtantinus. Nam neque alius quisquam tantum poteſtatis habebat, ut omnium nationum epiſcopos cogere poſſet, atque

etiam invitos compellere, ut in unum aliquem convenirent locum. Itaque & alii deinde Chriſtiani Cæſares exemplo Conſtantini, ius hoc & indicendorum, & convocandorum generalium (ut apppellantur,) conciliorum habuere. Sic Theodoſius Conſtantinopolitanum, & Theodoſius alter Epheſinum, & Martianus Chalcedonenſe coegit: ut poſteriores non commemorem. Ac ipſe quidem etiam Hieronymus non modo ſignificat, id ſuis quoque temporibus factum eſſe, sed etiam ita fieri debuiſſe. Cum enim quandam Synodum, quam obiiciebat Rufinus, confictam eſſe contenderet: Doce (inquit) quis imperator eam iuſſerit congregari. Et alio loco meminit Imperialium literarum, quæ Orientis atque Occidentis epiſcopos propter quasdam Eccleſiarum diſſenſiones Romam pertraxiſſent.

Hieron. in apolog. cont. Rufin. Hiero. in epitaph. Paulæ.

Ergo Conſtantinus Nicæam, quæ Bithyniæ clariſſima civitas erat, omnes undique Eccleſiarum miniſtros convenire iubet: publicisque etiam ſumptibus vehicula, & de ſuo fiſco quod ad ſingulorum viatica eſſet neceſſe, dari voluit. Convenerunt pluſquam trecenti Epiſcopi: quorum bona magnaque pars, ſuæ & pietatis & virtutis inſigna veluti inuſta, vulnera dico, quæ ſub tyrannis antea pro Chriſto pertulerant, circumferebat. Duo abfuerunt magni nominis Antiſtites, Romanus, & Conſtantinopolitanus: legatos tamen ſuos miſerunt. In primis autem in hoc ſenatu & ſanctiſſimo conſeſſu

ſeſſu audiebatur Alexander epiſcopus Alexandrinus, cum ſuo Athanaſio. Eccleſia enim ipſa, ex qua Arius prodierat, ad eum revincendum, hæc duo veluti fulmina belli ſanctiſſimi, emiſit. Proximus aſſidebat Euſtathius epiſcopus Antiochenus, nam & hic meminiſſe poterat, quibus paulo ante armis victus Antiochiæ fuerat Paulus Samoſatenus, iisdem Arium eſſe conficiendum. Arius ipſe accerſitus etiam eſt, ut ſe ſiſteret. Sed impii homines piorum conventum non ſecus fugiunt, atque latrones crucem. Non eſt quod hoc loco pluribus verbis deſcribam totam eius tergiverſationem: illud tantum dico, non niſi mala conſcientia deterritum, quo minus veniret, fuiſſe.

Conſtantinus nobiliſſimum hunc Nicænorum Patrum conſeſſum, quo nihil deinde unquam illuſtrius habuit Eccleſia, ea eſt reverentia proſecutus, ut honoris eum cauſa primum ſalutans, ſuæ obſervantiæ ſummam ediderit ſignificationem: nihilque prætermiſerit, quod ad eum ornandum pertinere putaret. Neque vero intererat, tanquam in ſcena κωφὸν πρόσωπον: ſed ſuas ita partes egit & monendo & hortando & conſulendo, ut tanquam choragus actione etiam ſua totam illam nobiliſſimam coitionem valde confirmarit. Et vero cum videret, non ſatis alioqui inter eos, qui convenerant, bene convenire: nihil non fecit, modo hunc, modo illum prehenſans, ut depo-

ſitis privatis ſimultatibus revocarentur ad eum, quem commune periculum expoſcebat, ſyncretiſmum.

Illud vero memoria in primis dignum eſt, quod ſententiam dicturis iudicibus legem ſanctiſſimam præſcripſerit, brevem illam quidem, ſed qua iudicio Eccleſiaſtico nulla vel melior vel religioſior, aut dicta unquam lex fuit, aut dici profecto poſſet. Eius verba fuere:

Ευαγγελικαὶ βίβλοι καὶ ἀποςολικαὶ, καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεοπίσματα, σαφῶς ἡμᾶς ἃ χρὴ περί τοῦ θείου φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι. τὴν πολεμιὸν οὖν ἀπελάσαντες ἔριν, ἐκ τῶν θεοπνεύςων λόγων λάβωμεν τῶν ζητουμένων λύσιν.

Si qua fuit unquam & pii & prudentis principis conſtitutio in Eccleſia valde neceſſaria: hanc certe unam in primis tunc fuiſſe, & nunc eſſe maxime, facile omnes, qui ſano iudicio ſunt, vel me tacente, agnoſcunt; ut quod Conſtantinus ſenſit, omnes ſentiant, ſacras literas eſſe veluti tabulas a Deo conſignatas, quarum oraculis controverſiæ religionis definiantur: quarum iudicio verum a falſo diſcernatur: & ad quam denique, veluti regulam, tota Eccleſiæ doctrina exploretur: neque fas eſſe, ut Antiſtites aliam vel comminiſcantur vel excudant, ſed neque ab hac vel latum unguem diſcedere debere. Si civilis iurisdictio ſcriptis legibus magis regitur, quam arbitrio Magiſtra-

giſtratuum: ſi a Prætoris formula olim iudex datus recedere non potuit in iudicando: quid nos facere par eſt, cum de rebus divinis quæſtio eſt? Placuit itaque lex hæc Nicænis patribus: quam cum ſibi præſcribi non recuſarunt, quantum Synodis tribuerent poteſtatis, quantumque earum decretis tribuendum eſſe iudicarent, non obſcure ſignificarunt. Neque vero id iis tantum placuit, ſed multis etiam aliis deinde ſanctiſſimis & Epiſcopis & Principibus.

Ambroſius ad Gratianum Imp. ſcribens: Scripturæ (inquit) interrogentur, interrogentur Apoſtoli, interrogentur Prophetæ, interrogetur Chriſtus. Sed & Auguſtinus cum Petiliano Donatiano congreſſurus, in primis poſtulat hos arbitros: Non audiemus (inquit) hæc dico, hæc dicis: ſed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certe libri Dominici, quorum authoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus. Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram. Sed & cum illi res eſſet cum Maximino Ariano, illud ipſum urget, in eo inſiſtit. Sed neque ullis conciliis tantum tribui patitur, ut eorum potius quam ſacrarum literarum decretis negotium tranſigatur. Idem etiam narrat, Theodoſium, cum iuſſiſſet convenire Synodum Carthaginienſem, in qua Donatiani epiſcopi cum Chriſtianis committerentur, huic collationi (ut appellabatur) hanc legem præ-

 ſcri-

ſcripſiſſe, ut ſuperſtitionem manifeſta ratio refutaret. Chriſtianos autem inprimis proteſtatos eſſe, in ea quæ tum agitabatur quæſtione, non niſi divinarum ſcripturarum teſtimoniis uti ſeſe velle. Si poſteriorum etiam temporum exemplum aliquod requirimus, annis poſt noſtrum Conſtantinum plusquam trecentis, alius Conſtantinus IIII. Pogonatus, cum propter Monothelitas Synodum Conſtantinopolitanam coegiſſet, Epiſcopos, qui convenerant, inprimis monuiſſe dicitur, ut poſita contentione, verum religioſe inquirerent: ex ipſaque etiam bibliotheca Conſtantinopolitana, depromptos ſacrarum literarum libros iis propoſuiſſe.

His igitur armis inſtructi Niceni Patres, poſt religioſam maturamque deliberationem Arianum dogma iugulant, eique anathema denunciant: & Chriſtianam atque Apoſtolicam de æterna Chriſti divinitate doctrinam non modo fortiter conſtanterque aſſerunt, ſed & explicatam certa quadam formula concludunt.

Aderant multi ſenes, qui concilio Antiocheno, quod annis ante quinquaginta coierat, adverſus Samoſatenum, adoleſcentes interfuerant: & meminerant, quid iam tum illi, qui Apoſtolorum diſcipulis ſucceſſerant, magno conſenſu hac de re pronunciarant. Tali tantoque præiudicio valde confirmatum Nicenum decretum fuiſſe dubium non eſt: quanquam ſatis huic alioqui in oraculis ſacrarum literarum

eſſet

eſſet & firmamenti, & teſtimonii,& probationis. Neque vero diſſimulo,non ita potuiſſe rem componi, quin aliquid deinde turbarum etiam fuerit inter eos ipſos, qui orthodoxi alioqui erant, & ab Ario averſi: qualis illa contentio fuit, quæ propter vocem ὁμουσίυ inter Euſtathium Epiſcopum Antiochenum & Euſebium Cæſarienſem exarſit. Sed de verbo magis quam de re quæſtio inter eos erat.

Audivit ſanctiſſimam de Chriſto ſententiam Nicænam Conſtantinus. Sed neque propterea fractam Arianorum audaciam, neque inſolentiam compreſſam vidit. Quid faceret? Vult Paulus, ut hæreticum hominem poſt unam vel alteram admonitionem Epiſcopus fugiat, miſſumque faciat, tanquam hominem deploratum. Sed principem vel magiſtratum etiam hic ceſſare non iubet. Eſt quidem Eccleſiæ prima in hoc genere ſive cognitio, ſive iuriſdictio. Sed ubi & eius contemnitur iudicium, & diſciplina, Magiſtratum officium ſuum facere neceſſe eſt. Quid igitur fecit Conſtantinus? Natura mollis erat, & lenis. Videbat infelices Eccleſias diſſidiis conturbatas atque diſſectas. Ut coaleſcere poſſent, nihil non faciebat: multa largiebatur, ſæpe etiam plus quam oporteret. Ne malum augeret, ſi ageret aſperius, metuebat. Arium ipſe conuenit. Hic conventus, negavit in ea ſe eſſe hæreſi, in qua eſſe dicebatur: neque modo addidit mendacia culpæ, ſed & periurium. Tum

ve-

vero Conſtantinus non potuit attonitus aliud reſpondere, quam quod eum reſpondiſſe narrat Epiphanius: Si ita eſſet, & vere iuraret, & ex animo loqueretur Arius, inſontem eſſe poſſe: ſin minus, Deum periurii etiam ultorem fore. Facilis,& fortaſſe etiam paulo indulgentior erat Conſtantinus, cum durius nihil temere decernere auderet. Eius vero bonitate facile abutebantur aſtuti hypocritæ: ut erant ad fallendum ingenioſi. Idque intelligi etiam facile poteſt, cum ex Conſtantini ſententia legimus, & ab exilio ſemel revocatum fuiſſe Arium, eiusque patronum Euſebium Nicomedienſem epiſcopum: & relegatum aliquando ipſum Athanaſium. Sed ne boni principis patientia & facultate diutius abuterentur homines impii, huius tandem manum, quæ contumaciam intolerabilem comprimeret, armavit Deus. Monendo, atque etiam deprecando cum nihil ſe proficere vidit Conſtantinus, ad minas & iuſtam ſeveritatem aliquam ſeſe convertit. Arianos præfectos perpetuo exilio & infamia multari, eorumque libros concremari, & poſſeſſores, qui eos celaverint, etiam ſupplicio affici debere edixit. Extatque hoc adhuc eius edictum. Ultra progredi auſus non eſt. Sed Deus ipſe vivo & vidente Conſtantino Arium, principem & autorem illius deploratæ factionis, novo quodam & prodigioſo mortis genere confecit, ingreſſum iam Conſtantinopolim, & Alexandro epiſcopo Conſtan-

Socr. lib. 1. hiſt. Eccl.

ſtantinopolitano, ſi congrederetur, dira minantem. Nam cum eius fœtorem ne ipſæ quidem cloacæ ferrent, diſruptis effuſiſque inteſtinis, fœtidam animam eructando exhalavit. De hoc tragico non hominis, ſed portenti exitu, qui multa profecto nos monet, etſi plurima utiliter dici poſſent, plura nunc non dicam: privatis vero pii lectoris cogitationibus ea relinquam. Cum prodigioſum interitum vel Herodis vel Iuliani legimus, aperte agnoſcimus Domini iudicium, non ſolum ferientis, ſed armata etiam manu inſectantis ipſos tyrannos, deque iis palam triumphantis, & quædam in ſua Eccleſia veluti trophæa erigentis. Cum audimus Olympium quendam impium Carthaginenſem antiſtitem, quo tempore adverſus ſacroſanctam Trinitatem publice ſuas blaſphemias evomeret, igneis de cœlo iaculis confoſſum eſſe: & eadem ætate in Oriente Anaſtaſium Imp. cum ſuam neſcio quam Quaternitatem adorari præciperet, fulmine ictum repente concidiſſe: laudamus vindicem Dei dexteram, qui ſingulari aliquo exemplo palam aliquando teſtatur, quod iudicium maneat impios homines, qui vel Eccleſiæ inſultare impune ſe ſemper poſſe putant, vel ipſi etiam Deo Gigantæa quadam audacia bellum indicere. Sed in Ario impiæ huius conſpirationis principe in primis oportuit tale aliquod edi exemplum cœleſtis vindictæ, cuius recordatio & afflictam Eccleſiam conſolaretur, & eius hoſtes ter-

terreret, & poſteritatem ut ſibi caveret, moneret.

Ut ad Synodum Nicænam revertar: Epiphanius eius acta, piaque decreta Conſtantino accepta ferens, ait, duo maxima per hunc beneficia Eccleſiæ ſuæ Deum contuliſſe: certum nempe fidei ſymbolum, & certam atque conſtitutam celebrandi Paſchatis ſive rationem, ſive diem. Symbolo illo tota ſacrarum literarum ſententia de Trinitate, explicata, ſimulque in eam formulam, quæ depravari facile non poſſet, redacta eſt. Quo nihil vel maius, vel neceſſarium magis, Eccleſiæ relinqui potuit. Nam etſi de eo ipſo multæ deinde rixæ, & certamina conſecuta ſunt: convelli tamen non potuit, aut adulterari, aut Eccleſiæ extorqueri. De die Paſchæ quæſtio, res levior videri poterat: ſed multis iam tamen annis magnas & graves dederat turbas, & Eccleſias diſtraxerat, atque adeo Orientem & Occidentem hoſtiliter commiſerat. Qui eam itaque controverſiam ſuſtulit atque compoſuit, (ut in Nicæna ſynodo componi curavit Conſtantinus) & pernicioſum ſchiſma ſuſtulit, et publicæ tranquillitati Eccleſiarum prudenter conſuluit. Diſceſſum autem eſt magis in eam ſententiam, ut Paſchæ dies ſolennis eſſet Dominicus ille, qui proximus eſſet poſt plenilunium, & proxime ſequeretur ſolis & lunæ obiectum primum poſt hybernum ſive vernum Aequinoctium. Nam ipſo die plenilunii Paſcha celebrare noſtri noluerunt, ne quid

cum

cum Iudæis habere commune viderentur. Superſtitioſior fortaſſis fuit poſteritas in hoc genere, quam opus erat: atque ut eam puniret Deus, paſſus eſt, ſenſim vitiata anni menſiumque ſupputandorum vera ratione, & æquinoctiorum diligenti conſideratione neglecta, eo rem recidere, ut integro prope menſe imprudentes plerumque nunc diſſideamus ab eo, quem Niceni partes præfixerant, die Paſchæ. Olim Romani epiſcopi, ne fallerentur, ſolebant ſingulis annis Alexandrinum epiſcopum conſulere de æquinoctio verno, proximoque plenilunio. Nam in Alexandrina ſchola valde colebatur cognitio cœleſtium motuum atque aſtrorum; illa vero extincta atque diſſipata, facile per errorem receſſum eſt a Niceni decreti præſcripto. Sed & iam tempore Niceni conventus, anni menſiumque deſcriptio atque conſtitutio aliquam poſtulabat correctionem: dignam profecto, de qua Conſtantinus ad hunc veluti ſuum ſenatum, in quo multos fuiſſe rerum Aſtrologicarum peritos dubium non eſt, aliquid referret: & in hoc genere ſaltem Iulium Cæſarem non modo imitaretur, ſed etiam ſuperaret: neque modo quod ab eo bene inchoatum erat abſolveret, ſed & ſi quid eſſet temere neglectum, quod deinde temporis progreſſu magnos errores peperit, & poſteritati magis atque magis nocet, ſarciret. Nam & magna plerumque rerum momenta ſunt in momento temporis non magno.

Por-

Porro Conſtantinus id agens, ut in primis quod ad Eccleſiarum & coniunctionem & tranquillitatem pertinere videbatur conſtituat, nullamque vel diſſenſionis vel turbarum materiam relinquat, operam etiam dedit, ut Novatiana ſimul hæreſis, quæ iam annis prope centum, cum nullam veniæ ſpem iis, qui lapſi erant, relinqueret, Eccleſiam concuſſerat, reprimeretur: ſed ita repudiaretur, ut Eccleſiæ tamen diſciplina, & veteris exomologeſeos ſeveritas non labefactaretur. Intererat Nicæno conventui Aceſius Novatianorum epiſcopus. Hunc Conſtantinus interrogat, ecquid ſibi cum ſua ſecta velit? Ille ſic placide reſpondet, ut dogma Novati mollire videretur: Non recuſare ſe, quin ad pœnitentiam admittantur lapſi: ſed pœnitentes, ſic arcano Dei iudicio eſſe relinquendos, ut ab Eccleſiæ miniſtro non abſolvantur, ſed ad Dei tribunal incerti ſuſpenſique reiiciantur. Tam ambiguum reſponſum Conſtantinus, ut debuit, non ſecus atque ludibrium reſpuit. Rem autem totam ad Nicænos partes refert. Nam & audiebat in Africa Donatianos eandem prope telam texere, & meminerat hac tota de re inter Aegyptios quoque epiſcopos paulo ante acerbiſſimam contentionem exarſiſſe, & triſte ſchiſma natum eſſe, aliis Petri Alexandrini epiſcopi humaniorem ſententiam, aliis Meletii ſeveriorem defendentibus. Neque vero hic ſe Conſtantinus gerere, ut poſtea ſe geſſit Theodoſius in Synodo Conſtanti-

ſtantinopolitana, voluit: neque profecto debuit. Viderat Theodoſius Conſtantinopoli Siſinium Novatianorum antiſtitem ſecurum exultare, & luxu diffluentem ſcurriliter etiam illudere ſimplicitati piorum hominum. Viderat in Synodo Conſtantinopolitana, quæ Arianis atque Macedonianis confutandis occupata erat, hæreſim Novatianam, quia ab utriſque aliena eſſe videretur, cum tamen alioqui non minus malum aleret, non attingi: aut certe ſic elabi, ut ſpeciem quandam ſuffragii potius quam condemnationis referre videretur. Videbat hæc Theodoſius, & conniuebat: tantumque abeſt ut Novatianos caſtigaret, ut etiam legem de Apoſtatis tulerit, quæ ab eorum errore non omnino abhorrere viſa ſit. Prudentior Conſtantinus. Sciebat Novatum iampridem condemnatum eſſe in quodam conſeſſu Romano. Audiebat in Gallia Rheticum epiſcopum Heduorum, acerrima diſputatione Novatianos refutantem. Sed quia eorum multæ ſparſim erant reliquiæ, recte iudicavit, valde eſſe neceſſe, ſententiam Nicæni concilii etiam audire: & interea de tota ratione pœnitentiæ, & uſu exomologeſeos (qui diſciplinæ Eccleſiaſticæ tanquam nervus erat) certa quædam proferri decreta, præſertim cum multi hac in re etiam antiſtites peccarent, & modo ſeveriores erant atque duriores, modo indulgentiores. Nicæna ſynodus, ut intra ſuos fines rem totam revo-

caret, ſic Novatianam hæreſim damnavit, ut ſimul Eccleſiæ diſciplinam ſuis legibus communiret. Meminerat, Cyprianum in hac cauſa iuſtum hunc modum veluti præſcripſiſſe. Hoc itaque exemplo pronunciat adverſus Novatianos, ſive Catharos, (ſic enim ſe appellare non puduit impuros illos nebulones) non eſſe reiiciendos, aut plane ab Eccleſia exterminandos reos pœnitentes, ne eos quidem qui Novato nomen dediſſent. Ac cum his reſipiſcentibus mitius etiam agit. Solam enim ab iis exigit ingenuam erroris confeſſionem, & veluti teſtatam ſanioris doctrinæ approbationem. Erga lapſos durior eſt. Lapſos tunc appellabant, qui ad aliquam idololatriam, eiuſve ſimulationem pertracti fuiſſent. Hoc enim ſummum eſſe nefas exiſtimabant: neque de alio magis ullo peccato caſtigando ſolliciti veteres fuiſſe videntur. Nicæni iudices ſpe veniæ reliquam iis pœnitentibus ea lege faciunt, ut a cœnæ Dominicæ communione arceantur, donec præſcriptis annis in triſti reatu ſordidati, ſuæ pœnitentiæ ſolennem dederint ſignificationem. Hacque tota de re certos edunt canones, ſeveros profecto, ſed eorum temporum moribus neceſſarios. Actionem illam publicæ pœnitentiæ, quam Exomologeſim vocabant, in totum aliquando decennium protenderunt. Sed tunc loquuntur de iis, qui imperante Licinio, non tam ullo metu, quam ſua voluntate coacti, Chri-

ſti

ſti & Evangelii confeſſionem degeneri quadam levitate abieciſſent. Utut autem poſt impletam exomologeſim, lapſos, quos pœnituerat, recipi, & in Eccleſiam inſeri patiuntur: in clericorum tamen miniſtrorumve ordinem cooptari, vel in ullo Eccleſiæ miniſterio verſari (quod tamen Novatianis reſipiſcentibus negaſſe non videntur) poſſe negant. Fuit quidem vetus illa XII tab. lex: Sanatibus idem ius eſſe, quod fortibus. Sed qui eam ipſam Romæ laudabant, ſuos tamen deteriori iure habebant Dediticios. Cur eodem iure non cenſeret ſuos Sanates Eccleſia, & ut miniſterii dignitatem tueatur fortes præferret?

Eſt & illud ſingulari laude & ſempiterna memoria dignum, quod Nicæni Patres monuerunt, cum de pœnitentia ageretur, non eſſe hærendum in externa exomologeſi, quæ ſimulata eſſe poteſt: ſed interiorem animum, ex re ipſa æſtimandum eſſe. Nam hypocriſeos magnos eſſe receſſus, & fronti fidem non temere habendam eſſe, non ignorabant: neque neſciebant, quam lubenter ſoleant homines in externis ceremoniis hærere, atque ſubſidere. Erat quidem tam longa tamque difficilis actio præſcriptæ exomologeſeos, ut ſæpe deſperationem, ſæpe tædium, & ex hoc etiam hypocriſim pareret. Sed ſi indulgentiores fuiſſent, metuebant, ne aut vitiis habenas laxarent, aut Eccleſiæ communionem polluerent. Quid tamen poſtea acciderit, & quo

tandem eorum canones vel detorti ſint, vel receciderint, dicere non eſt huius loci. Illud conſtat, multis etiam poſt Conſtantinum annis retinuiſſe verum ſuum uſum, ut qui iis defungeretur, Eccleſiæ diceretur ſatisfacere. Sic enim & ipſe Auguſtinus loquitur. Ac ſi in hoc genere ſeveriores fuiſſe dicantur Nicæni Patres, dico non temere id feciſſe, ut & diſciplinæ vinculum aſtringerent, & cœnæ Dominicæ ſacroſanctam actionem religioſe colerent, neque ad eam quenquam niſi bene & diu exploratum admitterent.

Porro quod ad ordinem miniſtrorum Eccleſiæ attinet, Nicænis patribus placuit, eos gradus conſervandos eſſe, qui iam tacito quodam hominum conſenſu, ex diſciplinæ Eccleſiaſticæ uſu inſtituti receptique fuerant. Recens quidem adhuc erat memoria illius concionis, quam Cyprianus de ſimplicitate clericorum habuerat, ut oſtenderet omnium paſtorum Eccleſiæ unum & ſimilem eſſe (ut loquitur) Epiſcopatum ſub Chriſto, communi tanquam capite & principe; ſed ut nihilominus ad diſciplinam magis continendam, unus collegio presbyterorum præfectus Epiſcopus fuerat: ſic inter ſingularum civitatum Epiſcopos, ordo quidam & gradus neceſſarius eſſe viſus eſt. Ac illud quidem naturaliter evenerat, ut Eccleſias tanquam ſuas Metropoles in primis eæ ultro Eccleſiæ colerent ac revererentur, quæ ex illis veluti deductæ coloniæ fuerant. Itaque

que factum etiam iam inde ab initio eſt, ut in ſingulis provinciis plurimum & honoris & poteſtatis Eccleſiæ illi delatum ſit, ex qua erant aliæ veluti propogatæ: ut in Palæſtina Hieroſolymitanæ, in Aegypto & Africa Alexandrinæ, in Aſia Antiochenæ, in Italia Romanæ. Et ut in deſcriptione civitatum ac provinciarum, maximæ & nobiliſſimæ urbes quodam iure τῶν μητροπόλεων donabantur, ſic earum plerumque epiſcopi in ſuo genere maiori aliqua tanquam præfectura & dignitate ornabantur: & ubi præfecti Prætorio ſuas ſedes habebant, quibus reliqui magiſtratus parebant, ibi etiam epiſcopi hoc exemplo aliis paulo eſſe maiores videbantur. Denique ubi Præſides provinciarum ſuos conventus habebant, & forum: earum civitatum, quæ etiam Metropoles appellabantur, epiſcopi quoque modo Metropolitæ dicebantur, modo Patriarchæ, modo primates. Primas enim in eo tanquam Senatu ſuæ diœceſeos ii tenebant, quibus vetuſti canones tribuunt (ut horum verbis utar) ἐξουσίαν καὶ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς. Neque vero vel ad faſtum, vel ad tyrannidem, & quoddam tanquam regnum, aut certe oligarchiam quandam, illa (ut ita dicam) prærogativa pertinebat, non magis certe quam Conſulis poteſtas in Senatu: Sed ad ordinem Eccleſiæ, quæ iam longe lateque diffuſa per univerſum prope terrarum orbem erat, magis continendum, & diſciplinam aſtringendam, ut in Republ. deſcribuntur Magi-

ſtratuum & gradus, & præfecturæ, & ordines, & territoria, & poteſtates.

Dicere ſolebat Conſtantinus, Euſebium non unius modo Cæſareæ, ſed totius prope orbis epiſcopatu dignum eſſe. Minime tamen aut hunc aut alium quenquam huius generis Pontificem ſummum & Oecumenicum inſtituit: neque inſtituendum eſſe Nicæni Patres iudicarunt. Sed ius & ordinem & autoritatem eorum epiſcoporum, qui Metropoles regebant, conſeruarunt, ut hi Metropolitæ, qui & Archiepiſcopi dicti ſunt, in ſua prouincia, tanquam territorio, & iudiciis Eccleſiaſticis & Synodis & moribus ſingulorum epiſcoporum regendis veluti præeſſent. Nam & quod iuris habebant epiſcopi in ſuos clericos, hoc in epiſcopos aliquando tributum eſſe Metropolitis videtur: ſicuti paulo poſt etiam creati ſupra Metropolitas, ſunt quidam maiores Patriarchæ, qui plurium prouinciarum maiores Metropoles, & tanquam capita, ſimili ratione & tanquam ſumma rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione regebant. Vt autem hæc indies ex uſu Eccleſiaſticæ diſciplinæ magis atque magis conſtituebantur, ſic etiam quod in hoc genere obſcurius definitum erat in Nicæno concilio, planius explicatum eſt non multo poſt in concilio Antiocheno, & Chalcedonenſi & Conſtantinopolitano: & diligenter quæ huc pertinere viſa ſunt, ſunt conſtituta. Utinam vero ſic res hæc tota componi potuiſſet, ut quæ ad Eccleſiæ or-

dinem

dinem & diſciplinam initio utilis erat, ſemper etiam deinceps fuiſſet, & ambitioni Antiſtitum viam præcluſiſſet potius quam aperuiſſet. Quid enim dicam, hac ambitione plane peſſundatam poſtea fuiſſe Eccleſiam? Si conſideremus, ecquo res tandem reciderit, & qualia multis annis fuerint certamina quorundam Patriarcharum, ſive Romanum ſive Conſtantinopolitanum, ſive Antiochenum ſive Alexandrinum dicas: profecto agnoſcemus, ut olim Triumviri Rempubl. Romanam perdiderunt, ſic hos Quatuorviros, dum de ſuis opibus & dignitate dimicant, Eccleſiam perdidiſſe.

Sed hæc nihil ad Conſtantinum, qui tales aliquando Satrapas futuros, qui Eccleſiarum curatores eſſe debebant, prævidere non potuit: & interea, quantum potuit, cum Nicænis patribus prudenter, quod ex re Eccleſiaſtica erat, conſtituit. Nam & cum clericos a ſuis Epiſcopis ſeſe ſubducere, & tanquam fugitiva mancipia ad alterius epiſcopi ſedem, veluti ad aſylum temere confugere non paterentur, & aliqua tamen eos iniuria affici nollent: placuit, ut quotannis duæ in ſingulis provinciis Synodi convenirent, quæ clericorum provocationes audirent, & de ſingulorum moribus & vita, & vero etiam doctrina, veluti Cenſores eſſent: & denique cauſas aut controverſias Eccleſiaſticas, priusquam ad concilium maius deferrentur, ſi poſſent, componerent atque definirent. Nam concilio etiam Chalcedonenſi proditum

eſt, rem hanc totam hiſce Synodis provincialibus curæ eſſe debere. Neque ſane talibus comitiis quicquam utilius fuit, ad continendam Eccleſiarum diſciplinam: nihilque piis propterea principibus gratius. Fuit quidem hic mos conveniendi, ſæpe deinde intermiſſus: ut multi male ſibi conſcii ſemper fugiunt lucem & tribunal. Sed ſæpe etiam repetitus, & in uſum revocatus eſt, quandiu aliquis ordo fuit Eccleſiæ. Certe Iuſtinianus Imperator annis poſt Conſtantinum prope ducentis, hac de re Conſtitutionem edidit, quæ teſtis etiam eorum quæ dico, eſſe poteſt. Narrat, vetus hoc decretum fuiſſe, ut cum ſacerdotibus epiſcopi in ſingulis provinciis convenirent bis quotannis: & ſi quid vitii erroriſve in Eccleſia pullularet, ſupprimerent: & quid illud eſſet, diligenter excuterent: atque ſi opus eſſet præſenti remedio, & id præſtare poſſent, ſanarent. Conqueritur id multis iam ante annis non fuiſſe obſervatum; proptereaque multos multis & erroribus & vitiis laborare. Profitetur eſſe neceſſe, morem illum & ordinem in uſum revocari, iubet itaque, ut id omnino fiat: & ut ipſi etiam provinciarum præſides urgeant epiſcopos: aut etiam ſi hi moniti ceſſent, Imperatori reſcribant, qui tales ſive cunctatores ſive tergiverſatores caſtiget. Cum Iuſtinianum ita loquentem audio, Conſtantinum ipſum audire mihi videor: cuius eandem fuiſſe & ſententiam, & voluntatem, dubium non eſt.

Por-

Porro de creatione miniſtrorum Eccleſiæ, honeſtiſſimi quoque Canones in Nicæno conventu compoſiti ſunt, qui & Conſtantino valde probarentur, & poſteritati, quandiu diſciplinam retinuit ullam, plurimum placuerunt. Unusquisque Epiſcopus ſuos clericos religioſe examinatos, & publico teſtimonio probatos ordinabat, & certo miniſterio aſcribebat. Cyprianus hanc vocat ordinationem iuſtam & legitimam, quæ totius Eccleſiæ ſuffragio & iudicio fuerit examinata: & ſuo tempore uſitatam fuiſſe oſtendit. Hunc itaque morem diligenter retinendum eſſe, Nicæni Patres cenſuerunt; extatque eorum lex adverſus presbyteros, qui ordinati erant ἀνεξετάστως, hoc eſt, ſine examinatione. Porro in epiſcopo quoque deligendo iam receptus mos erat, ut rogarentur ſuffragia non cleri modo, ſed etiam populi. Hanc vero tanquam rogationem regebant vicini, qui eo nomine conveniebant epiſcopi: & eius qui deligendus erat, doctrinam atque mores explorabant. Neque, opinor, adhuc exoleverat mos ille vetus Chriſtianorum, qui illius viri nomen etiam publice proſcribebant, ut omnium de eo iudicia ſciſcitarentur. Certe hunc adhuc morem, centum ante Conſtantinum annis, in uſu fuiſſe, oſtendunt qui Alexandri Severi Imp. vitam deſcribunt. Tandem vero totius Eccleſiæ ſuffragiis creatus epiſcopus, tempore Conſtantini, confirmabatur, & veluti conſecrabatur, atque (ut ita loquar)

Cyprianus l. 1. epiſt. 4

inaugurabatur, manu & authoritate ipſius Metropolitæ, qui eo nomine conveniebat cum reliquis epiſcopis, & præſens hanc electionem regebat. Sic enim Canon Nicænus tribuit ei *κῦρος τῶν γινομένων*.

Eſt & illa memorabilis lex Nicæna, ut ſinguli Eccleſiæ miniſtri, ſuam diligenter ſtationem tuerentur, eique veluti affixi & tanquam glebæ aſcripti eſſent: neque deſultoria levitate, ex Eccleſia una ad aliam tranſirent. Iam ea multorum Eccleſiæ miniſtrorum animos occupaverat ambitioſa vanitas, ut ſedes ſæpe mutarent: & ſi poſſent, in Eccleſias maiores atque ampliores ſeſe inferrent. Hanc ſive inconſtantiam, ſive ambitionem, Nicæni patres coercere conati ſunt: & quam quisque ſemel nactus eſſet Spartam, eam ut ornaret, iuſſerunt, prohibuerunt vero, ne ſtatione ſua deſerta, alio tranſirent. Sed difficile eſt, inſanam comprimere hominum ambitionem. Sæpe itaque poſteriores Synodi coactæ ſunt Nicænum hoc decretum repetere, atque inculcare. Certe non multo poſt Conſtantinum, in conventu Sardicenſi, rurſus id edicere fuit neceſſe: & eorum fraudibus occurrere, qui precio etiam redimebant populi ſuffragia atque vocem, ut ſe, minime ſcilicet ambientes, ultro ab illa Eccleſia expetitos eſſe obtenderent. Oſius epiſcopus Cordubenſis, qui erat Conſtantino valde familiaris, intererat Nicæno concilio, cum lex adverſus hunc ambi-

bitum prima ferebatur. Sed ut apertius etiam in Synodo Sardicenſi explicaretur, operam dedit. Quid enim? Viderat Euſebium illum epiſcopum Nicomedienſem, Arianorum patronum, ſtatim atque mortuus Alexander pius antiſtes Conſtantinopoleos, qui Arium confecerat, fuisſet, Nicomedia deſerta, quo iure qua iniuria, contemptoque Canone Nicæno, irruere in ſedem Conſtantinopolitanam. Hæc vero ambitioſa tranſitio multis ſæpe decretis damnata, tam viſa eſt compluribus deinde viris piis res impia, ut Damaſus epiſcopus Romanus, cum ederet ſuæ fidei confeſſionem, non minus eam deteſtetur, quam hæreſim Arianam. Neque tamen tam ad vivum hæc reſeco, quin iuſta ex cauſa, ſi Eccleſiarum ſalus poſtulet, locum aliquando mutare poſſit epiſcopus (ſæpe enim id olim etiam recte factum eſſe, oſtendit Socrates lib. VII. hiſtor. Eccleſ.) ſed ne temere, leviterve id fiat, neve ambitioni indulgeatur, Veteres voluere.

Poſtremo, miniſtros Eccleſiarum, qui non exemplo minus quam verbo alios docere debent, tam caſte vivere debere, ut in hoc genere non modo crimine carerent, ſed etiam criminis ſuſpicione, cum Nicæni patres graviter iudicarunt, tum vero recte intellexit Conſtantinus. Audierant Synodum Antiochenam acriter reprehendiſſe, atque etiam accuſaſſe Paulum Samoſatenum, impudicum aſſectatorem mulierculaum, quod ſibi ſuisque ſectatoribus liberaliter permitteret, & familiari & domeſtica conſuetu-

ſuetudine atque contubernio earum mulierum, quas honeſtiori vocabulo tunc Antiocheni appellare ſolebant *συνεισάκτους*, libere uti frui. Videbant, hoc exemplo ſpecioſum turpis impudicitiæ prætextum multis dari. Itaque negant id ſe toleraturos: & talium mulierum conſuetudine, quæ ſuſpecta eſt, interdicunt Eccleſiarum miniſtris. Cyprianus ſcribit lib. I. epiſt. II. ſuo tempore Diaconos cum ſacris virginibus non modo eodem tecto, ſed & lecto uti voluiſſe: & illas, cum propterea reprehenderentur, iactaſſe nihilominus ſe virgines eſſe, & ad obſtetricum iudicium provocaſſe, interea turpiter multa feciſſe. Hæc audierunt & Nicæni patres. Itaque ut ſemel tota hæc labes elueretur, edixerunt, quod dixi. Sed quid non perfringit hypocritarum libido? Sæpe repetitum fuit hoc decretum expellendarum *τῶν συνεισάκτων*, extatque hac de re non modo Chryſoſtomi vehemens oratio, ſed & lex ſevera Iuſtiniani. Verum eadem impudentia, & hæc & illa tandem contempta eſt.

Legem Conſtantini de concubinis, libro ſequenti explicabimus, ut & alias eius de nuptiis leges. Nunc Nicænas tantum perſequamur. Illud vero novum & inſolens fuit, quod quidam in Nicæno conventu Patres, non contenti ea neſcio qua conſuetudine, quæ iis qui celibes ad Eccleſiæ miniſterium delecti eſſent, ius deinde uxoris ducendæ non dabat, niſi ſi miniſterio cedere vellent: præterea etiam voluerunt, alio-

rum

rum contractas antea nuptias dirimere: atque etiam iis qui cum mariti eſſent, in Eccleſiæ tamen miniſterium & ordinem fuerant cooptati, ſuarum coniugum uſu & conſuetudine interdicere. Fuit certe, fuit ea plerumque Græcorum levitas, ut modum nullum ſervarent. Initio polygamiam ita amarunt, ut una non eſſent contenti uxore. Nunc ne unam quidem vel ſibi vel aliis relinquunt. Quicunque tamen ille fuit, qui huius rei mentionem primus iniecit, certe in ſuam mox ſententiam ſuos collegas Nicænos pertraxerat: & perlata lex tam iniuſta fortaſſe etiam fuiſſet, niſi huic rogationi unus interceſſiſſet, ſingulari virtute vir, ſapientia & gravitate, Paphnutius epiſcopus Aegyptius: non ille quidem maritus (ne quis eum rem cauſamque ſuam egiſſe putet) neque ea ætate, ut aliquando eſſe aut poſſet, aut vellet: ſed prudens ſanctusque ſenex multa proſpiciebat pericula. Dixit itaque, & veluti legem recitans, eamque cœleſtem, fortiter aſſeruit, *τίμιον τὸν γάμον εἶναι: σωφροσύνην δὲ, τὴν πρὸς τὰς ἰδίας γυναῖκας συνουσίαν.* Ceſſere huic unius hominis voci patres Nicæni: & ut aſſentirentur, fortaſſis etiam effecit Conſtantinus, qui legitimis nuptiis valde favebat. Cæterum nunquam mihi huius rei in mentem venit, quin ſimile quoque exemplum memoria in primis dignum, quod & Paphnutius ſecutus videtur, occurrat. Dionyſius epiſcopus Corinthius, & antiquiſſimus & ſanctiſſimus, in ſua quadam ad Gnoſios Cretenſes epi-

ſtola,

ſtola, graviter etiam monuiſſe dicitur Pinitum eorum epiſcopum, neſcio quam de cœlibatu legem meditantem: atque ita monuiſſe, ut hic monenti paruerit. Extant etiamnum eius verba. Extat & Ignatii Græca ſententia non diſſimilis. Has vero veteres optimorum & ſapientiſſimorum Epiſcoporum ſententias, cum iam quidam vel oblivione vel contemptu negligerent: beneficio Paphnutii rurſus editas, & veluti renovatas eſſe, magni profecto beneficii loco haberi debet.

Expoſui breviter præcipua Nicæni concilii decreta, quibus in Eccleſia poſt Apoſtolos nihil aut illuſtrius auguſtiusve fuit, aut gravius habitum eſt, aut multis ſeculis magis in omnium ore atque etiam diſputatione verſatum. Felix imperium Conſtantini, quo tales canones editi ſunt. Felices canones, qui talem habuerunt & vindicem, & aſſertorem. Atque utinam in eam ætatem atque formam, ſemper intuita poſteritas fuiſſet: cumque de concilio habendo agebatur, Conſtantinum cum ſuo Nicæno ſibi propoſuiſſet. Utinam eo mentem & oculos ſaltem reflectant, quicunque de Eccleſia vel inſtauranda vel conſtituenda in Synodis deliberant. Atque utinam ſemper id feciſſent. Saltem nunc facerent, qui ſe ſimulant & multum tribuere antiquitati, & formulam requirere rerum bonarum, prudenterque olim & recte iudicatarum. Cur enim, non dico glandem appetunt, frugibus, quæ offeruntur, repudiatis: ſed optimis

illis

illis & ſimpliciſſimis religioſæ antiquitatis legibus contemptis, & obliquas & diſtortas ambages, quibus & ſe & alios involvant, vel conquirunt, vel ultro etiam connectunt? Quid nobis alios obtrudunt vel ſpurios, vel adulterinos, vel abortivos, vel degeneres canones? Quid nova neſcio quæ & barbara decreta, eorum & hominum & temporum, ut iis nomen vel Iuris vel Canonis, nemo adſcribere, niſi ſit aut valde barbarus, rerumque imperitus, aut vehementer profecto malus atque impudens ſit, poſſit? Sed valeant impoſtores, qui ex Lesbia regula & quæſtum avare, & ambitioſe gloriam captant. Nos, ſi ab hominibus exemplum, quod in conſtituenda Eccleſiæ diſciplina ſequamur, repetendum eſt, ad Conſtantini potius ætatem, & eius ætatis iudicia oculos reflectamus. Neque vero ignoro, neque diſſimulo, multa iam tum vitia notari poſſe, quæ minime profecto imitari oporteat. Sed multo tamen magis omnia degenerarunt, ſi quæ conſecuta deinde ſunt, videamus. Itaque quantum fieri poſſet, valde velim, rem revocari ad ſua initia, primamque veluti formam & inſtitutionem. Quid multis? Lex illa Nicæna, quæ tantopere Conſtantino placuit, nobis quoque placeat, & oraculi etiam cuiusdam loco ſit,

ΤΑ ΑΡΧΑΙΑ ΕΘΗ
ΚΡΑΘΕΙΤΩ.

FRAN-

FRANCISCI BALDVINI DE LEGIBVS CONSTANTINI MAGNI COMMENTARIORVM

LIBER SECVNDVS.

RELIGIONIS atque Eccleſiæ in hoc terrarum orbe domicilium, aut hoſpitium ſaltem aliquod eſſe debere in hac civili hominum ſocietate atque cœtibus, quos appellamus Civitates: & his propterea continendis atque gubernandis, operam eos dare debere, qui Rempubl. Chriſtianam conſtituere volunt: cum ab omnibus bonis ac vere ſapientibus cognitum confeſſumque eſt, tum vero Conſtantino noſtro perſpectum inprimis fuit. Atque hæc quidem eum cogitatio tanto etiam magis impulit, ut poſt religionem veram, quam in ſuam libertatem aſſeruerat, rem quoque civilem & prudenter conſtitueret, & in poſterum quoque communitam tueretur: præſertim cum in ea tam multa non modo ſuperiorum temporum vi atque iniuria perculſa, ſed proſtrata etiam atque perturbata videret: neque neſciret, qualem quantamque & quam vaſtam Imperii molem ſolus ſuſtineret. Magnam, ut erat neceſſe, rerum commutationem nova religionis

gionis conſtitutio attulerat. Maiorem etiam, mutata pro ratione temporum forma Reipubl. & Imperii quædam diviſio, cuius altera ſedes Byzantium translata erat: denique Orientis atque Occidentis nova veluti facies. Magna itaque prudentia, & verò divina potius quadam ſapientia opus erat, non modo ut ſine tumultu talis tantaque rerum diſiectarum moles componeretur: ſed & in poſterum ſine ulla vel iniuria vel confuſione contineretur, optimarum legum non modo firmiſſimo vinculo aſtricta, ſed & præſidio defenſa. Denique (quod Cicero ad Cæſarem aliquando ſcripſit) omnia excitanda erant, quæ temporum iniquitate proſtrata iacebant: conſtituenda iudicia, revocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles: omnia quæ dilapſa iam fluxerant, ſeveris legibus erant vincienda. In his vero omnibus valde elaboraſſe Conſtantinum, neque tacere poſſum, neque pluribus tamen verbis dicere valde eſt neceſſe. Nam & res ipſa ſatis loquitur: & cum in eam veluti præſentem ventum erit, melius etiam intelligetur. Certe eorum adhuc temporum extant panegyricæ orationes, quæ fauſtis acclamationibus palam profitentur, ut earum verbis utar, exornatas a Conſtantino mirandum in modum, ac prope de integro conditas civitates eſſe: novas leges regendis moribus & frangendis vitiis conſtitutas: veterum calumnioſas ambages reciſas.

F Cur

Cur Imperii domiciliique ſui ſedem, relicta Roma, Byzantium tranſtulerit, & in eo quoque ipſo alteram veluti Romam condiderit, multæ graves huius commigrationis cauſæ commemorari poſſunt. Quid? Roma, quæ trecentis annis Chriſtianorum ſanguine madens, Eccleſiam peſſundederat, & quotquot principes aluerat, totidem infeſtiſſimos hoſtes pietatis in eam veluti armarat, eademque prope omnes rabie imbuerat: denique domus, domicilium atque officina erat omnis idololatriæ: indigna profecto erat, quæ novum hunc & pietatis aſſertorem, & Eccleſiæ defenſorem atque patronum teneret, quem vel hoſpitem vel inquilinum domeſtica illa ſua fortaſſe diſciplina (qui loci illius genius fuit) corrupiſſet, & alumnum degeneri quadam educatione pravaque inſtitutione ad eandem vel ſævitiam vel impietatem flexiſſet. Tantum abeſt, digna ut fuerit, quæ veteris Imperii & gloriam retineret, & poſſeſſionem: cum illud ipſum iam Imperium, religioni & Eccleſiæ Chriſti, faſces veluti ſuos etiam ſummitteret.

Mutata, alioque translata Imperii ſede, mutata quoque eſt eius forma. Sed inepte faciunt, & imperite, qui quicquid usquam a veteris Reipubl. Rom. forma fortaſſe alienum, aut in huius Imperii ſtatu & gubernatione novum vel legunt vel audiunt, vel ex Cæſarum temporibus eorumque memoria repetunt, protinus id omne ad Conſtantinum, tanquam auctorem pri-

primum referunt. Meminiſſe ſaltem debuerant, Sex. Aurelium Victorem, qui temporibus Theodoſii vixit, ſcripſiſſe, publica officia & palatina & militaria, ipſum Adrianum Imp. ad eam formam revocaſſe, quæ paucis per Conſtantinum immutatis, Theodoſii adhuc ætate durabat. Quamquam ſane illam in Oriente Imperii novam & conſtitutionem, & faciem, tam Conſtantino acceptam ferri debere, quam ipſam Conſtantinopolim, diſſimulare nolim: eiusque maxime beneficio effectum eſſe, ut eadem interea eſſet & in Occidente: & biceps iam facta illa Aquila utrumque ſuum ſpectaret orbem, pulcherrimo quodam & ſplendore ornatum, & ordine ſubnixum. Extat Index, ſive (ut appellatur) Notitia omnium & civilium & militarium dignitatum, quæ tam erant in Oriente quam in Occidente. Ex qua deſcriptione intelligere utcunque poſſumus, quomodo partitus ſit Conſtantinus utriusque illius ſui Imperii provincias: quibus eas limitibus circumſcripſerit: quos denique iis magiſtratus præfecerit. Sed ego, quæ ex eo libro repeti poſſunt, neque hoc loco poſſent breviter ingeri, non invitus nunc prætereo: præſertim cum non conſtet, omnia illa eſſe Conſtantini: & multa tam exoleta ſint, ut nomina magis referri, quam res aut explicari aut intelligi ſatis poſſint. Nam & ea tempora caruerunt luce ſcriptorum: tamque ſunt multis tenebris involuta, ut longe facilius ſit totam vel Græcorum vel Romanorum antiquitatem per-

noſcere, quam ex illis multa, quæ recentiora tamen ſunt, certa aliqua recordatione complecti.

Erat tum in Occidente Magiſtratus ſummus, Præfectus Prætorio Italiæ: cuius poteſtas Africam quoque ipſam, & maiorem Illirici partem occupabat, ſicuti in Oriente ſumma poteſtas erat Præfecti Prætorio Orientis: cuius itidem diœceſis latiſſime patebat, & Thraciam, Pontum, Aſiam, Syriam, Aegyptum complectebatur. Ad hos itaque prætoriorum præfectos ex omnibus illis eorum provinciis provocabatur.

Porro, ut alter erat in Occidente ampliſſimus magiſtratus, præfectus prætorio Galliæ, cuius adminiſtratio & Hiſpaniam & Britanniam ſummo imperio tenebat: ſic erat alter in Oriente præfectus prætorio Illyrici Orientalis, cuius diœceſes erant Dacia & Macedonia, complectens ipſam quoque Epirum, Theſſaliam, Achaiam, Cretam. Singulæ deinde provinciæ habebant ſuos vel Præſides, vel Conſulares. Quid reliquorum magiſtratuum & ordinem & officia & deſcriptionem totam adiungam? Quid in ſingulis admirabilem Conſtantini prudentiam? Iam vero quid de militiis dicam? Militias illas dico eorum, qui vel in aula & principis comitatu verſabantur, vel Magiſtratibus aderant atque apparebant. Sic enim tum appellabantur, quæ nunc Officia dicuntur: & vel a Magiſtratibus ipſis conferebantur, vel a Principe: illorumque

que autoritates, huius literæ probatoriæ requirebantur. Quod etiam a Conſtantino diligenter expoſitum eſt. Ipſas etiam ſingularum civitatum Curias tam diligenter curavit, ut univerſæ Reipubl. gubernationem valde ſibi curæ eſſe, facile oſtenderet. Munera municipalia non dicebantur militiæ, neque annonas aut ſalaria à fiſco accipiebant. Et qui ab Militiarum privilegiis arcebantur, Decuriones tamen eſſe poterant: ut Actuarii, qui Exceptores iudicum dicebantur. Sed cum Rempubl. univerſam, tum vero & municipia quoque ſingula Conſtantino valde curæ fuiſſe, ſatis apparet. Multi tum munera Curialia fugiebant. Non enim erant, ut nunc ſunt, quæſtuoſa, neque ambitioſorum hominum cupiditatibus opportuna. Quid Conſtantinus? *Curiales omnes (inquit) iubemus interminatione moneri, ne civitates fugiant aut deſerant, rus habitandi cauſa: fundum, quem civitati prætulerint, ſcientes fiſco eſſe ſociandum: eoque rure ſe carituros, cuius cauſa impios ſe, patriam vitando, demonſtraverint.* **l. una. C. ſi cur. vel civit. rus hab. mal.**

Patria & reſp. primam ortus noſtri partem vindicare dicitur; & nos ei potius quam nobis naſcimur. Quis igitur eorum delicias ferat, qui ſui officii obliti, amœnos ruris receſſus, ubi ſe ſuaviter oblectent, ſibique vivant, ſuæ ſpartæ & publicis commodis anteponunt? Olim cum ab aratro accerſerentur Romani ſenatores, privatæ ſuæ quieti & ocio & agris Reipubl. curam

præferentes, ſtatim in urbem accurrebant, ipſoſque etiam ſæpe viatores præveniebant. Saltem ſuam in civitatibus publicam ſtationem tueantur, qui in earum iam ſunt gubernatione. Rura non deſerunt, qui glebæ aſcripti ſunt. Cur deſerunt urbes, qui iis & Reip. ſunt addicti? Scio quid ſuaves quidam & ocioſi philoſophi in umbra ſedentes dictitent. Sed eorum ſive delicias nimium molles, ſive ineptias inimicas humanæ ſocietati non tulit, neque ferre debuit Conſtantinus. Imo vero tam paſſus non eſt quenquam ſuum in Rep. locum deſerere, ut etiam hoc edictum evulgarit: *Qui derelicta curia militaverit, revocetur ad curiam.* Milites deſertores caſtigandi ſunt. Sed non minus puniendi, qui ſuam in civitate ſtationem deſerunt. Et quæ tandem rerum omnium erit confuſio, ſi alter alterius vel locum vel munus invadat, ſuum deſerat? An ignotum eſt, quales quantaſque det turbas πολυπραγμοσύνη? Sit igitur illa prima lex in Rep. & ſingulorum aures aſſidue circumſonet: Spartam nactus es, hanc orna.

l. 17. qui de relicta C. de Decur.

Conſtitutæ Reip. defenſio eſt, res militaris: quam quidem adeo non neglexit Conſtantinus, ut ſumma etiam cura ad optimam diſciplinam, & pulcherrimum revocarit ordinem. Non ſum tam ineptus, ut vel delirum illum ſenem Phormionem imitari velim, vel in umbra & ocio literarum educatus longam orationem de re militari inſtituam. Neque hiſto-

riam

riam ſcribo, ut res in bello fortiter a Conſtantino geſtas commemorem. Illud tantum dicam, eum fortiſſimis ducibus & clariſſimis imperatoribus nullis ceſſiſſe. Laudant Iuriſconſulti militarem Auguſti diſciplinam, eumque de ea libros ſcripſiſſe narrant. Diſciplinam caſtrorum fuiſſe veteribus Romanis antiquiorem ipſa etiam charitate liberorum, profitentur. Quid ſi Conſtantinum vidiſſent? Teſtis certe eſt Euſebius, eum quandiu vixit, non militares minus quam civiles leges tuliſſe. Non multæ quidem ex iis hodie ſuperſunt. Sed qualiscunque ſupereſt, earum memoria, exemplum quod imitatione dignum ſit, habet. Et principio quidem, quam ſancta quoque fuerit eius diſciplina caſtrenſis, & quam pio principe digna, quamque ab omni barbarie aliena, vel inde intelligi poteſt, quod non modo ſuos milites docuerit Deum verum & æternum vere invocare, ſed certam quoque huius invocationis & Chriſtianæ precationis formulam iis dictarit, conceptam lingua latina in hanc ſententiam: *Te unum Deum novimus: te agnoſcimus Regem: te opitulatorem invocamus. Tu victoria noſtra es. Per te hoſtes vincimus. Tibi accepta ferimus bona, quibus fruimur, omnia. Reliqua abs te uno expectamus. Te ſupplices precamur, ut Conſtantinum principem noſtrum, eiusque filios diutiſſime ſerves incolumes.*

l. officium. §. I. De re milit. l. poſtliminium. §. filius. De captis. & poſt l. revgr.

Euſeb. lib. 4. de vita Conſt.

Cum inter tubarum clangorem & claſſica, armorumque ſtrepitum & fragorem, tales voces ſonarent, & in ipſis etiam mediis caſtris

quædam Eccleſiæ veluti coirent: facile poſſumus coniicere, qualis reliqua eſſet diſciplina. Extruxerat Conſtantinus prope Agrippinienſem Coloniam in Germanica ripa Rheni munimentum quoddam, in quo milites ſtationarii degerent, ad coercendas Francorum excurſiones. Id poſterioribus ſeculis converſum eſt in monaſterium Benedictinorum. Quis hoc putaſſet? Ex caſtris fieri monaſteria? Edixerat olim lege lata Moſes, ut ſacræ tubæ Levitarum clangerent, quoties in bellum Iudæi proficiſcerentur: quo magis omnes intelligerent, non niſi Dei auſpiciis bella vel ſuſcipienda eſſe, vel gerenda: & inter arma non modo leges ſilere non debere, ſed ſacras etiam conciones circumſonare debere. Reliquas de re militari leges divinas adhuc nobis ſuppeditant ſacræ literæ. (Deut. c. 20.) Tali exemplo commotum Conſtantinum, multa in hoc genere valde pie ſtatuiſſe, dubium non eſt. Et quidem quam caſtam etiam diſciplinam in ſuis caſtris eſſe voluerit, vel inde intelligi poteſt, quod legem tulerit, (l. quicunque C. de re mil.) ut milites, quibus permiſiſſet familias ſuas ad ſe vocare, non niſi uxores, liberos, ſervosque ſuos caſtrenſes vel accerſere, vel circumducere poſſent. Certatum olim eſt tempore Tiberii in ſenatu Romano, an Præſides, duces, vel magiſtratus in provincias ituros comitari uxores recte poſſent? vicitque tandem Meſſalini ſententia, ut poſſent: (l. 3. §. proficiſci. De off. Procon.) & in eam rem factum Senatusconſultum. Ergo & militibus ſuas coniuges habere comites conceſſum fuit:

fuit: & his quidem mulieribus iure ſingulari conſultum, ut earum abſentia iisdem privilegiis, quibus milites ipſi donati ſunt, defenderetur. Hæc non ſuſtulit Conſtantinus: ſed ut luſtra & lupanaria in caſtris eſſe iudicavit rem non modo turpem, ſed publice etiam pernicioſam, & maximi periculi; ſic impedimenta, inter quæ & mulieres & ſervi & pueri referuntur, temere augeri paſſus non eſt: ſed eum tamen modum voluit ſervari, ut milites ſuis uxorib. filiis & ſervis quibus carere non poſſunt, contenti eſſent: alium comitatum, qui & eos onerarent, & aliis eſſet oneri, ſecum non traherent. Quid enim minus convenit iis, qui ſemper expediti tanquam in procinctu eſſe debent? **l. 1. & 2. C. de uxor. milit.**

Porro ut milites eſſent, quod eſſe debent, Reip. defenſores, & populi, non autem, quod eſſe ſolent, prædones: Conſtantinus eos ſtipendiis ſuis adeo iuſſit eſſe contentos, ut etiam legem ediderit, de ſalgamo non præſtando: qua graviter vetuit, milites a ſuis hoſpitibus exigere culcitram, lignum, oleum, ſalgami nomine. Salgami vocem, quæ condimenta & alia ad victum quotidianum pertinentia ſignificat, multis ante Conſtantinum annis in uſu fuiſſe, vel inde intelligi poteſt, quod eius meminerit Columella. **l. una C. de ſalga. hoſp. non. præſtan.**

Cæterum ubi ea vox obſolevit, lex quoque ipſa in oblivionem venit, vel barbaro potius contemtu repudiata eſt. Quid enim non audet, atque etiam ecquo non perrumpit armatorum furor?

Non neglexit Conſtantinus neceſſariam erogationem militaris annonæ: quid enim ſine tali commeatu eſſet exercitus? ſed ſobriam & frugalem, minimeque delicatam fuiſſe, ne rem militarem enervaret, non obſcure ſignificat. Ac buccellati quidem meminit. Sic autem olim vocatum fuiſſe frumentum, ad uſus diuturnitatem excoctum, ſcribit Ammian. Marcellinus lib. XVIII. Neque dubito, quin Conſtantinus ipſe, ubi opus erat, frugalitatis & continentiæ exemplum ſuis militibus eſſet, ſicuti & Spartianus narrat, Adrianum exemplo Traiani, Scipionis Aemiliani, & Metelli, libenter uti ſolitum cibis caſtrenſibus, larido, caſeo, & poſca.

l. 1. C. de erog. mil. an.

Eiusdem Traiani, vel etiam (ſi ſuperiores principes, qui libertatem teſtamenti militaris priores aſſeruerunt, repetamus) Iulii, Titi, Domitiani, Nervæ exemplo, Conſtantinus edixit, ut milites poſſent, ſicuti vellent, teſtamentum facere: ut etiamſi quid in vagina aut clypeo, literis ſanguine ſuo rutilantibus annotaverint, aut in pulvere inſcripſerint gladio, quo tempore in prælio occumbunt, rata eorum ſit ultima voluntas. Non eſt neceſſe, militum in hoc genere privilegia, quæ alii collegerunt, hoc loco recenſere. Illud ſolum dico, neglectis illis operoſis iuris Civilis ſolennibus, milites cum teſtamentum facerent, relictos eſſe libertati atque ſimplicitati iuris gentium. Contra bonos mores ſi quid ſuis teſtamentis abſcriberent,

l. milites. De teſta. mil.

berent, non minus repudiabitur, quam ſi pagani teſtatores id feciſſent. Id enim Iuri quoque gentium adverſatur. Sed quod iuris tantum civilis ſubtilitas exigit, cur privilegio quodam militibus teſtamentum facientibus remitteretur, magna profecto cauſa fuit. Sed & filiumfam. equeſtri militia & cingulo exornatum, etſi in caſtra miſſus non ſit, ſed in comitatu principum retentus, ius peculii caſtrenſis habere, deque eo teſtari iure militari poſſe, oſtendit Papinianus. Quod quidem tanto etiam libentius commemoro, ut Conſtantini conſtitutionem de omnium Palatinorum caſtrenſi peculio magis commendem.

l. ſi a milite. §. pen. De milit. teſtam.

l. pen. De milit. teſt.

Cæterum ad ſuperiorem eius conſtitutionem de militari teſtamento, propius illud accedit, magisque pertinet, ut obſervemus, militibus non tantum in acie & procinctu, ſed & in caſtris, & ubicunque militant, atque etiam degunt, Reip. magis quam privatorum ſuorum negotiorum cauſa licuiſſe, ut libebat, teſtamentum ſuum facere. In ipſa vero acie & præſenti periculo aliis quoque, qui ibi iuſta ex cauſa eſſent, etſi alioqui milites non eſſent, permiſſum fuiſſe eodem iure teſtari: ut ſaltem, ſi tum morerentur, ratum eorum tale teſtamentum eſſet. Quod quidem Ulpianus eleganter oſtendit. Sed reliqua breviter perſequamur. Scribit Lampridius, Alexandrum Severum olim prædia, quæ de hoſtibus capta eſſent, donaviſſe limitaneis ducibus & militibus: ut hæredum quo-

l. una De bon. poſſ. ex teſtam. mil.

quoque eſſent, ſi & ipſi militarent. Sed longe in hoc genere fuiſſe liberaliorem Conſtantinum accepimus. Primus enim dicitur lege caviſſe, ut qui agri, villæ, oppida, emeritis Comitibus præſertim & Ducibus ſuis, ut olim veteranis omnibus aſſignabantur, ad eorum quoque in univerſum hæredes tranſirent. Quid multis? Quam & militibus gratus eſſet Conſtantinus, & horum magna erga optimum principem eſſet obſervantia, vel ex illa eius intelligi poteſt conſtitutione de Veteranis, in qua & illud narratur. Cum aliquando Conſtantinus introiiſſet principia, ſtatim ab omnibus acclamatum eſſe: Auguſte Conſtantine, Deus te nobis ſervet: Noſtra ſalus, noſtra ſalus, &c. Quo quidem etiam loco relatum eſt, eum voluiſſe, ſtatuiſſeque, veteranos perenni quiete perfrui, nullo civili munere onerari, nihil fiſco pendere, ſive quid emant, ſive vendant. Abuſi quidem non multo poſt ſunt & ocio, & hiſce ſuis privilegiis: ſed caſtigati etiam ſtatim ſunt. Extat Conſtantii edictum, Veteranos, qui ex negligentia vitæ neque rus colunt, nec quid honeſtum peragunt, ſed latrociniis ſe dederunt, privilegiis omnibus exutos puniri debere a Rectoribus provinciarum. Quid multis? Non alio quam Reip. nomine rem militarem Conſtantinus conſervabat. Neque vero latrones armatos pro militibus habuit: imo vero ut Reip. hoſtes caſtigavit. Cæterum bonis non modo armatis, ſed etiam togatis, & vero omnibus qui

l. 2. C. de veteran.

Reip.

Reip. operam dabant, atque adeo multis privatis hominibus liberaliter de publico dedit, unde ſe alerent. Inſtituerant Romæ Traianus & Severus Canonem (ſic enim appellabatur) frumentarium. Conſtantinus novam ſuam & alteram Romam non minus aluit. Nam inſtituiſſe, ut quotannis populo Conſtantinopolitano octo myriades medimnorum frumenti darentur, memoriæ traditum eſt. Ac eius quidem filius & hæres Conſtantinus dimidium detraxit. Sed Theodoſius paulo poſt tantundem adiecit. Idem Theodoſius teſtis eſt, annonas publicas non tam titulis dignitatum, quam ſingulorum virorum meritis, attributas eſſe, liberalitate Conſtantini: easque etiam vult non modo ad hæredes proprios iure ſanguinis tranſmitti, ſed & in extraneos venditionis titulo tranſcribi poſſe. Erant itaque pepetui quidam hi reditus, qui de publico percipiebantur. Sicuti & Iuſtinianus meminit panum civilium, qui in dotem dabantur.

l. 1. C. de anno civil.

l. ult. C. de iure dot.

Iam vero, quod proximum eſt, ſapienter intellexit Conſtantinus, non modo belli nervos eſſe numos (quod olim Demoſthenes dixit) & ſine his nullam eſſe vim rei militaris: ſed & in tributis eſſe vim rei militaris: ſed & in tributis eſſe (quod & Ulpianus prudenter monuit, & ante eum ſcripſit M. Tullius) univerſæ Reip. nervos, nullum ut ſine his imperii tanquam corpus aut conſiſtere poſſit, aut contineri. Non meum eſt, ſed Cor. Taciti, graviſſimi

mi ſcriptoris, dictum: Neque quietem gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſe. Quam vero conſtituerit tributorum vectigaliumque rationem æquabilem Conſtantinus, priusquam dicam, facere equidem non poſſum, quin deteſter impium illum Zoſimum, qui temporibus Honorii & Arcadii, cum Conſtantinum non minus quam Chriſtum odiſſet, ac ſi illius infamis eſſet memoria, Eccleſiæ quoque Chriſtianæ nomen infame fore exiſtimaret, impudenter mentitus eſt, Conſtantinum primum inſtituiſſe genus illud turpiſſimi tributi, quod Chryſargyrum vocabatur: & ab iis qui palam & impune ſcortari vellent, aut in luſtris & lupanaribus quæſtum facere, pendebatur fiſco, veluti quædam permiſſæ impudicitiæ merces, & impunitatis in hoc genere precium. Id aliquando ſuſtuliſſe Anaſtaſium Imp. narrat Evagrius, non omnino malus in hoc genere teſtis. quis vero primus id collegerit, non refert: ſed tamen affirmat, multisque etiam argumentis probat, nihil falſum magis dici poſſe, quam, tam turpis & flagitioſi tributi autorem fuiſſe Conſtantinum.

Audio adhuc Romæ in Vaticana bibliotheca extare Græcas Iuliani Apoſtatæ orationes, quibus impius & diſertus conviciator debacchatur in Conſtantinum. Sed adiunctas quoque eſſe audio harum calumniarum graves confutationes, ab Artemio, viro clariſſ. qui dux mili-

tiæ

tiæ ſub Conſtantino fuit, ſcriptas. Verum quid his opus eſt? Nihil ad ſempiternam laudem glorioſius eſſe poteſt, quam neminem illis temporibus Eccleſiæ & Chriſti hoſtem fuiſſe, qui non bellum etiam Conſtantino indixerit. Ipſe quoque Ammian. Marcellinus ſcripſit, Iulianum Conſtantini memoriam, ut novatoris turbatoriſque priſcarum legum, & moris antiquitus recepti, multis conviciis vexaſſe. Sed quis non videt, ieiunum hunc canem, cum nihil habet quod arrodat, inani ſeſe latratu paſcere? Quis non intelligit, quid huic calumniatori doleat: quid eum non ſolum urat, ſed & ad rabiem prope adigat? veterem nempe idololatriam a Conſtantino fuiſſe ſublatam? Certe tantum abeſt (nam ad id, unde ſum digreſſus, revertor) ut vel turpes augendi ſui fiſci rationes, vel inhoneſtas colligendæ pecuniæ prætextus conquiſierit Conſtantinus: ut etiam quod honeſtiſſime percipere potuerat, ultro perſæpe remiſerit. Nam ut in tributis eſſe, vt dixi, ſciebat Reip. nervos: ſic etiam non ignorabat (quod Traianum ingenue olim dixiſſe ferunt) fiſcum eſſe veluti lienem: quo increſcente, reliqua membra imminui atque contabeſcere aiunt. Magna vero, atque adeo rara & ſingularis virtus atque ſapientia principis eſt, iuſtum hac tota in re modum aliquem tenentis. Sed domeſticum habebat exemplum Conſtantinus, quod ſequeretur. Audiebat partem ſuum Conſtantium provincialium magis hominum ſingulorum, quam fiſci ſui rationem habuiſſe: ſoli-

Eutrop. lib. 10. Euſeb. lib. 1. de vita Conſt.

ſolitumque etiam dicere, publicas opes magis in tuto eſſe, cum a populo adſervantur: idque re ipſa expertum eſſe. An eum potius non imitaretur, quam infamem illam & ſordidam Veſpaſiani avaritiam, ab ipſis quoque mendicis non tam tributum quam ſtipem exigentis? Saltem quid illud Tiberii ſibi vellet, Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere, intelligebat. Habebat quidem ſuum & ærarium & fiſcum valde attritum, & multis bellorum ſumptibus neceſſariis exhauſtum. Sed populum eadem temporum calamitate afflictum eſſe ſciebat. Remiſit itaque illi aliquando quadrantem cuiusdam vectigalis, quod fiſco pendi quotannis ſolebat. Cenſuiſſe quidem dicitur in Senatu quandoque Iulius Cæſar tertiam tributorum partem remittendam eſſe. Sed de alieno liberalis erat, in rem ſuam. Hoc enim agebat homo ambitioſus, non tam ut populo conſuleret, quam auram popularem ut caparet, ſibique ad ſuam monarchiam hac ratione viam ſterneret. Conſtantini alia & mens fuit, & ſententia. Audiebat Ulpianum pronunciantem, ſterilitatis cauſam eſſe iuſtiſſimam, propter quam poſſeſſores tributis releventur, nam & hoc nomine privati domini ſuis colonis mercedem remittunt. Quid ipſe in hoc genere non ediceret, atque etiam faceret? Suos aliquando in Gallia Heduos per abrupta quoque itinera inviſit. Ubi ſteriles eorum agros vidit, illachrymatus eſt: ultroque ſtatim remiſit & annorum

Euſeb. l. 4. de vit. Conſtant. Appian. l. 2. de bellis civil.

lib. 4. de cenſib.

rum quinque reliqua, & maiorem tributorum partem. Teſtem huius rei habemus Heduum eius temporis oratorem. Hoc certe eſt boni principis, non illinere chartis mutas & inanes leges: ſed factis eas exprimere, quæ aut ſapienter ab aliis ſcriptæ ſunt, aut ſcribi profecto debent.

Sed videamus, quæ fuerit in Imperio Rom. conſtitutio vectigalium atque tributorum. Vectigalia proprie appellabant, quæ a publicanis veluti conductorib. pendebantur: percipiebanturque vel ex cultu agrorum, qui fere publici erant: vel ex paſcuis publicis, quæ res ſcriptura appellabatur: vel ex mercium traiectu, quod dicebatur Portorium. In his Cicero eſſe ait & Reipubl. nervos, & belli ſubſidia, & pacis ornamenta. eiusque tempore poſt Aſiatica bella Pompeii, excreverant ad octies mille & quingentas myriadas drachmarum Atticarum: quam ſummam æſtimant, octo (ut nunc loquimur) millionibus aureorum coronatorum. Sub Cæſaribus modo imminuebantur modo augebantur. Ac narrat quidem Corn. Tacitus, Neronem aliquando in deliberationem vocaſſe, an univerſa vectigalia remitteret. Sed Senatum, etſi hanc eius animi magnitudinem laudaret, obſtitiſſe tamen, & dixiſſe eam Imperii diſſolutionem fore. Cenſuiſſe vero, reprimendam eſſe Publicanorum acerbitatem. Et quidem Prætoris edicto in duplum, ſaltem intra annum, hi tenebantur, ſi quam vim facerent. Sed Con-

ſtantinus, qui iudicabat neceſſariam eſſe acerbiorem aliquam pœnam, cum vectigalia tollere non poſſet, neque id ex Repub. fore intelligeret, edixit perpetuo ut exilio plecteretur publicanus, qui quod non deberetur, exigeret, quod & ad tributorum exactores pertinet.

l. 3. C. de anno & trib.

Tributa proprie appellabantur, quæ pro modo cenſus & facultatum a ſingulis penſitabantur: qui quidem ideo etiam tenebantur facultates omnes ſuas bona fide profiteri apud Cenſorem, (qui & magiſter Cenſus, & Cenſitor appellatus poſtea fuit) ut ab eo æſtimarentur, & pro earum ratione tributa imperarentur, æquabili aliqua proportione. Nam & hoc nomine appellabatur Peræquator: & ſi iuſtum modum non ſervaret, ab eo provocatio erat.

l. qui gravatos C. de cenſib. & cenſit.
l. 1. C. de cenſib.

Hucque etiam pertinet lex illa Conſtantini ad Populum: *Quoniam tabularii civitatum per colluſionem potentiorum ſarcinam ad inferiores transferunt: iubemus, ut quisquis ſe gravatum probaverit, ſuam tantum profeſſionem agnoſcat.* Quid multis? Quintus ad M. Ciceronem fratrem Aſiæ proconſulem ſcribens, illud in eo in primis laudat, quod effecerit, ut tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fines incolunt, tolerarentur æquabiliter. Nos itaque illud quoque ipſum non in civitatibus Aſiæ modo, ſed & toto terrarum orbe factum eſſe a Conſtantino ſumma laude dignum eſſe, ut eſt, iudicemus.

Nulla

Nulla religio vetat, Principes aut vectigalia exigere, aut tributa: & ita erant inſtituti Chriſtiani, ut ea pendere non recuſarent. Illud modo curandum fuit, quod Conſtantino curæ erat, ut iuſto modo & æquabili exigerentur: & quæ exacta eſſent, in uſum Reipub. impenderentur. His ergo conditionibus ſenſit Conſtantinus ſibi fas eſſe exigere, quantum ſibi & Reipub. atque Imperio eſſe opus intelligebat: & quantum potuit, propterea cavit, ut in tuto eſſet tributorum cauſa. In primis itaque confirmavit veterem illam legem, ſine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe: & edixit, fundi poſſeſſorem ſemper teneri tam ad ſolitos cenſus, quam ad reliqua omnia. Vetus eſt illud, Ius fiſcale, privatorum pactione convelli non poſſe, quicquid tandem inter emtorem atque venditorem convenerit: & poſſeſſores ſemper conveniri, etiam præteritorum reliquorum nomine: cum non tam perſonæ quam prædia ipſa hic obligari intelligantur, quin etiam prædiis a fiſco diſtractis, præteriti temporis tributum ab emptore exigi. Hoc ius Conſtantino quoque placuit. Iuſtinianus vero adiecit, venditoris potius quam fiſci damnum & periculum fore, ſi fundus cenſualis venditus ei fuerit, qui ſolvendo non ſit.

l. 2. C. ſine cenſu vel relig.

l. inter debitorem. De pact.

l. Imp. de publica.

l. 36. prædiis. De iure fiſci.

Nov. conſtit. 17.

Porro extat Conſtantini conſtitutio de capiendis & diſtrahendis pignoribus tributorum cauſa, unde intelligimus, non ipſum modo prædium tributarium, ſed & alia eius qui tribu-

l. 2. & ult. C. ſi propter pub. penſit. l. 10. Cod. tit. 20.

tum debet, impeti poſſe, atque etiam recte vendi (quod palam fiebat ſub haſta, adhibitis ſolennibus publicæ auctionis) poſſe. *Res (inquit) eorum qui fiſcalibus debitis per contumaciam ſatisfacere differunt, diſtrahantur, comparatoribus data perpetua firmitate poſſidendi.*

Non eſt novum, ut quod pignoris iure venditum eſt, emptoris ſit. Nam & plerumque tutius eſt, a creditore hypothecario emere, quam ab ipſo domino. Qui enim ab illo emit, ſecurus eſt, nec metuit poſteriores aliorum hypothecas. Sed illud novum magis & inſolens eſt, fiſcum non modo res, quas habet cum alio communes in ſolitum alienare recte poſſe: ſed & ſi plane alienas nullo iure vendiderit, ſtatim dominum facere emptorem, & priori domino non niſi ad pretium actionem, eamque temporalem relinquere. Fuit hoc ius (ſi ius appellandum eſt) primum a Zenone Imp. introductum. Conſtantino vero fuit ignotum, ſicuti & aliis Iuriſconſultis, qui evinci poſſe, quod fiſcus vendiderit, confeſſi ſunt: quanquam emptorem non duplum, ſed ſimplum tantum pretium petere patiantur.

Obſervandum autem eſt, non propter omnem dilationem ſolvendi tributi ſtatim debitoris bona diſtrahi, ſed propter eam demum, quæ cum aliqua fuerit vel contumacia vel improba mora coniuncta. Id autem & a veteribus Iuriſconſultis ſumpſiſſe Conſtantinus videtur: qui reſponderunt, pro pecunia tributi, quod

quod ſua die ſolutum non eſt, quo minus prædium iure pignoris diſtrahatur, oblatam moratoriam cautionem non admitti. Neque tamem omnem fiſci debitoribus dilationem denegari, ſi quam petant ad pecuniam comparandam. Cæterum non niſi tres menſes in maioribus ſummis, in minoribus duos a Magiſtratu dari poſſe. Prolixioris autem temporis ſpacium, eſſe ab Imperatore poſtulandum. Omitto quod edixit Conſtantinus, ne executores, qui ad tributa exigenda mittuntur, manum iniiciant inſtrumentis ruſticis, aut bobus agricolarum. De eo enim poſtea dicam, ubi de re ruſtica leges commemorabo.

l. 5. §. ult. De cenſib.

l. 45. in fraudem. §. fiſcalibus. De iure fiſci.

Ubi debitorum fiſcalium contumacia pignoribus captis coerceri ſatis non poteſt, tandem in eos etiam ipſos manus iniiciuntur, & carcere quoque fatigandos eſſe iudicant Romanæ leges. Sed neque ſtatim, neque temere id fieri: neque cum fieret, humaniſſimæ lenitatis exemplum intermitti, paſſus eſt Conſtantinus. Ac olim quidem Labeo iuriſconſ. adverſus eum qui, cum in provinciam abiret, pecuniam, quæ penes ſe eſſet, ad ærarium profeſſus, non eſſe reſiduæ pecuniæ actionem reſpondit, quia eam privatus fiſco debebat: & ideo inter debitores eum referri; ſic tamen ab eo exigi, ut non modo pignus capiatur, mulctave ei dicatur, ſed etiam corpus retineatur. Verum tanto magis iudicavit in eum manus iniici poſſe, quod prope reſidua pecunia eſſet, quam retineret, & ex ea cauſa fiſco deberet, quæ arctiſſime eum obſtrin-

Cap. 9. §. ult. Ad leg. Iul. pecul.

geret. Receperat enim, & retinebat, quod omnino fiſci erat. Cæterum ſi quis non alio nomine debet, quam quod tributum pendendum ſit: mitius paulo cum eo agitur. Edixit itaque Conſtantinus, exactores tributorum, carcere & vinculis in debitores ſævire non debere.

l. 2. C. de exact. tribut.

Prima in tributis & optima ratio æquabilitatis conſervandæ eſt, ne quorundam immunitas alios oneret. Nam & reſcripſit aliquando Conſtantinus ad Pacatianum in Britannia ſua vicarium, alios pro aliis in hac cauſa conveniri non debere. Fuit itaque apud veteres prudenter & magna ratione cautum, ne temere quisquam, qui prædium aliquod tributarium poſſideret, a penſitandis eximeretur. Itaque & Conſtantius patris ſui iudicium ſecutus ſtatuit, actores quoque ſuos compellendos eſſe ad exſoluenda tributa, ne eorum immunitas reliquos provinciales oneraret. A capitatione facilius aliquis eximebatur. Erat autem capitatio genus quoddam perſonalis (ut ita loquar) tributi, quod capiti ſive perſonæ magis quam rebus aut facultatibus imponebatur: & ab iis etiam, qui nullum cenſum haberent, nullaque prædia poſſiderent, exigebatur: ſicuti & olim Romæ fuiſſe Capitecenſos accepimus. Ac quidem ab hoc tributo plebem urbanam liberam & immunem eſſe aliquando Conſtantinus edixit. Sed quo iuſtius eſt tributum quod prædiis imponitur, & pro ratione facultatum penditur; tanto minus eſt temere quisquam ab eo eximendus.

l. 4. C. de exact. trib.

l. una. C. de capit. civ. cenſib. exim.

Me-

Mecoenas agens cum Auguſto de ratione Reip. recte conſtituendæ, prudenter monet, tributa ex omnibus prædiis, quæ ſterilia non ſunt, colligi pro ratione & modo fructuum debere. Ac Romani quidem Italica prædia libera eſſe & immunia voluerunt. Sed provincialia, ſaltem quæ tributaria erant, a quocunque tandem poſſiderentur, tributum pendebant. Nam & ſi is ea comparaſſet, qui perſonali (ut loquuntur) privilegio immunis erat a capitatione: huius tamen ſuæ poſſeſſionis prædiive cauſa tributum ſolvebat. Sed neque clericos exemptos ab eo fuiſſe, dictum eſt libro ſuperiori. De iis, qui nobiles dicuntur, idem dicitur: quales olim erant, qui aliqua dignitate civili vel militari erant præditi, & vel Illuſtres, vel Spectabiles, vel Clariſſimi, vel Perfectiſſimi appellabantur, ſive etiam qui ab iis prognati erant. Hæc (inquam) ſive honoris ſive generis nobilitas, quæ Cæſarum præcipue Conſtantinopolitanorum tempore fuit, non temere tribuebat ullam immunitatem vel a tributis, vel a muneribus patrimoniorum: quanquam Theodoſius teſtis ſit, antiquitus ſtatutum fuiſſe, ut militibus ſine ullo prorſus collationis onere agri limitanei aſſignarentur, propterea que facile putarem, Conſtantinum ſuis ducibus, comitibus, & militibus Caſtellanis, quibus, ut antea dixi, prædia dabat, atque ita aſſignabat, ut ad eorum etiam hæredes tranſirent, donaviſſe plane immunia & libera ab omni collatione,

Dion. l. 52.

l. ult. §. patrimoniorum De mun. & hon. l. 2. 3. & ult. C. de mun. patrim.

l. ult. C. de fun. limit.

munereque tum perſonali, tum patrimoniali, excepto ſolo militari officio.

Porro ut eſſet facilior ratio, & facultas liberior tributorum perſolvendorum, edixit Conſtantinus, ut non minus auro quam argento dependi ea poſſent. Plinius ſcribit, veteres Romanos, cum de tributis ageretur, provinciis ſemper argentum imperitaſſe, non aurum. Neque tamen exiſtimo tam fuiſſe poſtea moroſos atque difficiles, ut aureorum numorum ſolutionem repudiarent. Sed ut æſtimatio, ſi etiam proportio difficilis erat. Ergo Conſtantinus: *Iubemus* (inquit) *ut pro argenti ſumma, quam quis theſauris fuerat illaturus, inferendi auri accipiat facultatem: ita ut pro ſingulis libris argenti, quinos ſolidos inferat.*

Lib. 33. cap. 3.

l. una. C. de argent. prec.

De ſolidorum æſtimatione dictum eſt alias ſæpe: quanquam & pondus & pretium ſæpe iactatum mutatumque fuerit. Certe Ioachimus Camerarius narrat, ſe appendiſſe veterem quendam Conſtantini nummum aureum, ac reperiſſe pondus denarii unius ac fere quadrantis, appendiſſe & alterum Diocletiani paulo graviorem, leviorem tamen veteribus illis, qui erant ponderis denariûm duûm. Narrat & Budæus, ſe vidiſſe Conſtantini noſtri, & Iuliani & Magnentii aureos, ſed ita imminuto pondere, ut ſeni & ſemis vix æquarent unciam auri: cum olim quaterni in uncias ſignarentur. Sed & de libra auri & argenti copioſe alii ſcripſerunt. Sane ut hæc Conſtantini lex ſuam argenti libram æſtimat quinque

ſoli-

ſolidis aureis: ſic Imp. Alexandri conſtitutio libram auri ſolidis ſeptuaginta duobus, Arcadii autem & Honorii, libram æris, vigeſima ſolidi aurei parte. Sic enim edicunt, ut pro viginti libris æris, unus auri ſolidus a provincialibus exigatur. Illud vero præcipue hic obſervemus, quod colligere hinc poſſumus, quænam iis temporibus fuerit proportio auri ad argentum, & argenti ad æs: nempe, argentum cum ære collatum, ſi de æſtimatione quæratur, fuiſſe centuplum: aurum vero cum argento comparatum, fuiſſe prope quindecuplum: hoc eſt, ut craſſius loquar, & apertius, libram unam argenti valuiſſe centum libras æris: auri vero libram, argenti libras quatuordecim, ac prope dimidiam. Ac ſane ex Plinio etiam intelligi poteſt, cum primum Romæ numus aureus excuſus eſt, eam fuiſſe proportionem auri ad argentum, quæ eſt unius ad quindecim. Herodotus ſuo tempore in Aſia ſignificat aurum cum argento collatum, non niſi (ut loquitur) τρισκαιδεκαστάσιον fuiſſe: qualis eſt proportio unius ad tredecim. Hancque rationem ſecutus Darius eſſe videtur, qui in exigendis tributis dicitur ſingula auri talenta æſtimaſſe tredecim talentis argenti. Noſtro iam tempore minus auro, argento vero plus tributum eſt. Nam hodie vix eſt auri ad argentum duodecupla proportio: quam tamen apud Platonem Hipparchus ſignificat eſſe iuſtiſſimam. Pollux vero non niſi decuplex aurum eſſe in comparatione argenti ſcribit, & teſtimonio Menandri probare id conatur.

l. quoties. C. de ſuſceptor.

l. una. C. de collat. æris.

Nunc quoniam rem numariam ingreſſi ſumus, quid præterea Conſtantinus ſtatuerit, videamus: ut certe res eſt in Rep. in primis neceſſaria. Laudarunt olim Romani, multisque vicatim ſtatuis, quas & thure & cereis (ut Cicero ſcribit) honorabant, ornarunt Marium Gratidianum, quod cum Prætor eſſet, rem numariam de communi ſententia collegii conſtituiſſet, edictumque de ea conſcriptum edidiſſet: quo alioqui tempore ſic iactabatur numus, ut nemo (quemadmodum inquit Cicero) ſcire poſſet, quid haberet. Addit & Plinius, rogationem pertuliſſe de ſchola inſtituenda, in qua iuventus doceretur numos probare, & ab adulterinis probos diſcernere. Vellem equidem & illud huius Gratidiani edictum extaret, & ſchola talis retenta eſſet. Sed quando utrumque hoc beneficium nobis iniquitas temporum invidit, ſaltem Conſtantini hac de re leges, quæ ſuperſunt, retineamus. Apud Dionem Mecœnas agens cum Auguſto de partibus rationibusque Reipubl. recte & ſapienter conſtituendæ, poſteaquam de tributis verba fecit, ſubiungit de re numaria: Auguſtum pati non debere, ut quisquam in orbe Romano aut privatim numos cudat, aut aliis menſuris, ponderibus numiſmatibusve, quam Romanis utatur. Nos quoque poſt tributarias Conſtantini leges, numarias iam videamus: quibus & longe plura, quæ & magis neceſſaria erant, prudenter eum providiſſe, & bonis legibus ſapienter communiiſſe conſtat.

Ac

Ac in primis quidem occurrunt duæ illæ nobiliſſimæ eius conſtitutiones, de veteris numiſmatis poteſtate, quæ libro II. Cod. extant. Prioris verba ſunt hæc: *Solidos veterum principum veneratione firmatos, ita tradi & ſuſcipi ab ementibus & diſtrahentibus iubemus, ut nihil omnino refragationis oriatur; modo ut debiti ponderis ſint, & ſpeciei probæ. Scituris univerſis, his qui aliter fecerint, haud leviter in ſe vindicandum.*

Dixit aliquando Ulpianus, reprobos numos non liberare ſolventem. Eos vero demum non eſſe reprobos, nunc definit Conſtantinus, qui non modo formam notamque legitimam præ ſe ferunt inſculptam, impreſſamve: ſed & iuſtum ſuum pondus habent, & ſunt materiæ probæ; & quidem hac lege complectitur tria illa, quæ in numis ſpectamus: materiam nempe, ex qua conflantur: eiusque & qualitatem & quantitatem: poſtremo ipſum, ut vocant, characterem, figuramve.

l. 24. eleganter. §. qui reprobos. De pign. act.

Ad materiam quod attinet, non niſi tria metallorum genera ſunt, ex quibus numus conflari probus poſſit: aurum, argentum, æs; ut & olim Romæ Triumviri monetales dicebantur, auri, argenti, æris flatores. Et ne quis ſtanneos plumbeosve numos haberet, lege Cornelia cautum fuit. Et Plautus in Moſtell. fabrum quendam accuſat, qui plumbeos cudere ſolebat. Scio Dionyſium Siculum tyrannum ſuos aliquando Syra-

lege Cornelia cavetur. §. eadem. Ad leg. Corn. de fal.

Syracuſanos cœgiſſe, ſtanneis numis uti. Et Spartanam, ſicuti & Byzantinam monetam, fuiſſe aliquando plane ferream accepimus. Sed prudentiores fuerunt Romani, qui totum hoc
l. 102. creditor. de ſolut. vitioſi numiſmatis genus reiecerunt. Ac noſter quidem Scævola etiam ærosam pecuniam reprobam eſſe, tollique debere ſignificat. Sed ærosam appellat, quæ plus habet admixti æris, minusque vel auri vel argenti, quam oporteat. Ulpianus quoque ait, lege Cornelia caveri, ut qui in aurum vitii quid addiderit, falſi crimine teneatur. Ut certe vitioſa hæc additamenta tolli, eorumque autores, qui tam multis tam malitioſe imponunt, graviſſime coerceri oportet. Nam & olim fraus hæc fuit frequens, & ſæpe prudentiſſimum quemque fallebat. Ipſe ad Atticum ſuum ſcribens Cicero: Vide quæſo, (inquit) ne qua lacuna ſit in auro. Ego iſta non novi. Sed quo minus hæ lacunæ (ſic enim vocat, quod in numo, qui aureus habetur, eſt non aureum) deprehendi poſſunt, tanto eſt neceſſe magis talem impoſturam caſtigari. Neque tamen ignoramus, numos nõn conflari ex auro argentove, quod omnino purum putumque ſit. Satis eſt, ſervari iuſtam illam & publice definitam, certoque iudicio conſtitutam, paſſimque adeo receptam commixtionem, quæ neceſſaria
l. 2. C. de ponderat. eſſe viſa eſt ad uſum commodiorem. Ea ſi ſervetur, eſſe dicitur (quod in primis requirit Conſtantinus) ſpecies proba. Iuſtinianus qualitatem appellare videtur, cum ſtatuit, ut ſi de qua-

litate

litate ſolidorum orta fuerit dubitatio, zygoſtates per ſingulas civitates conſtitutus, pro ſua fide atque induſtria ſic dirimat controverſiam, ut neque fallatur, neque fallat quenquam.

Quo autem modo veteres definierint hanc (ut appellamus) qualitatem, certo equidem dicere vix poſſum. Sed valde profecto damnant M. Antonium, quem plurimum ferri denariis admiſcuiſſe ſcribit Plinius: & Antoninum Caracallam, quem Dion narrat in uſu habuiſſe numos adulterinos, plumbumque argentatum, & æs inauratum, pro argento vel auro ſuis ſenatoribus dediſſe. Excuſant vero Livium Druſum tribunum pl. qui conſenſu & iudicio populi, cum numos cuderet, argento miſcuit octavam æris partem. Sane in Gallia veterum Regum edictis conſtitutum eſt, argentum, ex quo numus conflandus eſt, non niſi vigeſima quarta ſui parte abeſſe debere ab ſolida abſolutaque puritate. Hocque ideo argentum, ad hunc modum dilutum, Regium appellant. Sed quo minus is ſemper ſervaretur modus, isque ſummus veluti gradus argenti optimi perpetuo retineretur, per temporum calamitates factum eſt.

Quod ad materiæ quantitatem (ſic enim populariter nunc loqui cogimur) attinet, ſapienter edixit Conſtantinus, iuſtum pondus ſervari debere. Ac alio quidem etiam loco ſignificat, ſuos Quæſtores, pecuniam, quæ tributorum nomine ſolvebatur, ſolitos eſſe appendere: edixitque, ut id æqua lance librave fiat. Quo autem

d. l. I. C. de vet. num. poteſt.

l. I. C. de ponderat.

tem modo quantitatem hanc definiant Veteres, vix in univerſum dici poteſt. Optandum fortaſſe eſſet, publicis ſumptibus numos eo pondere excudi, ut non minoris ſit rude quam ſignatum metallum. Sic enim facilius fieret, ut (quod eſſe debere dixit noſter Caius) una eſſet ubique & eadem pecuniæ poteſtas: & ſublata lucri ſpe, privatis hominibus omnis occaſio monetæ clam excudendæ ablata eſſet. Sed quoniam, quod optamus, & veteres quidam etiam Iuriſperiti non modo optarunt, ſed etiam poſtulavere, nulla ſpes eſt, impetrari aliquando ut poſſit: proximum eſt, ut quantitatis, de qua nunc loquimur, ad qualitatem proportio, ſi non omnino æqualis, ſaltem iuſta quædam, & certo modo definita ſit. Quanquam rurſus per publicas clades non unus ſemper hic ſervatus ſit modus. Secundo bello Punico, cum ærarium Rom. belli ſumptibus non ſufficeret, decreto ſenatus, & populi conſenſu, as libralis factus eſt ſextantarius: ut qui antea XII. unciarum erat, non niſi duarum unicarum fieret; manente nihilominus veteri eademque æſtimatione. Deinde propius inſtante Hannibale, dicitur etiam factus uncialis. Cæterum ſi quis privatim numos raſerit, teneri lege Cornelia de falſis, dubium non eſt.

l. 3. de eo quod cert. loco.

l. quicunque. Ad legem Corn. de falſ.

Non eſt ſatis, numum probæ eſſe materiæ, iuſtique ponderis: ſignari etiam, efformarique debere publica auctoritate & iuſſu Principis, ut impreſſus hic character, ſit veluti publica teſtificatio, approbatioque numi, ſenſit Conſtanti-

nus.

nus. Privatis certe hominibus ne olim quidem licuiſſe numum cudere, conſtat. Nam & Aſconius Pedianus teſtis eſt, legem Corneliam numariam fuiſſe de moneta, ne quis privatus pecuniam faceret. Eiusque legis numariæ meminit Cicero III. Verrina. Sed & habebant veteres Romani ſuos Triumviros monetales, auro, argento, æri, flando, feriendo. Eratque Romæ officina monetæ, vicina templo Iunonis monetæ. Apud Ariſtotelem lib. I. Polit. legimus, numis impreſſum eſſe characterem, ut eſſet τȣ̃ ποσȣ̃ σημεῖον, nempe ut indicaret ipſam æſtimationem lege impoſitam, in qua ſita eſt tota vis pecuniæ, & veluti ſubſtantia, magis certe quam in eius materia; quod & Paulus ſubtiliter aliquando ſignificavit. l. 1. de contrah. emp.

Miſſam hanc rem faciam, ſi illud breviter adiecero, quod Euſebius ſcribit, noluiſſe Conſtantinum ſuam numis excuſis effigiem ſic inſculpi, ut hominis Deum flexis genibus invocantis ſpeciem præ ſe ferret.

Ubi rite excuſi numi ſunt, de eorum æſtimatione, quæ non eadem plerumque eſt, ſed ſæpe iactari ſolet, quærendum eſt. Hac de re agit altera illa, quam antea proferre pollicitus ſum, Conſtantini conſtitutio, quæ his verbis edita eſt: *Pro imminutione, quæ in æſtimatione ſolidi forte tractatur, omnium quoque pretia ſpecierum decreſcere oportet.*

Brevis eſt, ſed valde obſcura lex. Et accidit quidem neſcio quo modo plerumque, ut Cæſares Conſtantinopolitani in ſuis conſtitutionibus

eden-

edendis verboſi eſſent, ubi non erat multis verbis opus: ubi vero res verboſius explicanda erat, valde conciſi. Conabor tamen, quam propoſitæ legis ſententiam eſſe accepi, familiariter patefacere, & ad uſum communem referre. Hic dicitur prudenter intellexiſſe. Conſtantinus, æſtimationem unius alicuius ſpeciei generisve numorum, veluti ſolidorum, imminui non debere: quin itidem iuſta proportione imminuatur aliorum numorum, qui alterius fortaſſe generis ſunt, æſtimatio. Hinc autem recte conſequi, quod ille vult: imminuta nempe ad eum modum & proportionem æſtimatione omnium numorum, aliarum quoque rerum omnium, quæ numo æſtimantur, pretia imminui atque decreſcere, ſicuti & contraria ratione creſcere atque augeri debere. Cæterum ſi unius tantum alicuius generis numorum, veluti ſolidorum, minueretur æſtimatio: reliqui vero numi alterius generis, priorem ſuam retinerent æſtimationem, non conſequeretur, pretia rerum decreſcere. Nam hæc eadem manerent, quod ad eos numos attinet, quorum neque mutata neque imminuta æſtimatio eſt. Quod ad eos vero ſolidos, quorum pretium decrevit, etiam augeri videntur. Quid enim? Finge aurei tantum coronati æſtimationem eſſe imminutam, ut qui æſtimabatur quadraginta quinque aſſibus, nunc ſolum æſtimetur quadraginta. Certe equus, qui antea decem coronatis æſtimatus fuiſſet, iam æſtimabitur undecim coronatis, & decem aſſibus.

aſſibus. Sic e diverſo, ſi ſolius coronati augeatur æſtimatio, ut qui prius erat aſſium quadraginta, fiat quadraginta quinque: certe iam quod ad eum attinet, decreſcere videbuntur rerum pretia: & equus ille, qui antea æſtimatus fuiſſet decem coronatis, iam ſolum æſtimabitur octo coronatis, & aſſibus quadraginta. Eſt quidem revera ſemper eadem æſtimatio, ſi vim & uſum ſpectes. Sed pauciores coronati numerantur, ubi maior eorum æſtimatio eſt: & quo minor facta eſt, tanto etiam plures dabuntur. Cæterum ubi omnium numorum, cuiuscunque generis ſint, æſtimatio, æqua proportione vel augetur vel minuitur, recte dici videtur quod Conſtantinus ait, rerum itidem aliarum omnium pretia vel augeri, vel decreſcere: veluti ſi pro decima parte generaliter numus minuatur: & qui antea decem libras habere dicebatur, iam tantum habeat novem: certe res quæ prius æſtimabatur decem libris, iam novem tantum æſtimabitur. Non de negociatoribus nunc loquor, iisve qui rem, quanti poſſunt, ſemper vendunt, & plurimi faciunt, maximoque æſtimant. Loquor de vera rerum æſtimatione, de qua apud iudicem vel arbitrum quæreretur. Dixi, quam potui ſimpliciſſime, quod ſuperiori Conſtantini conſtitutione tradi, ab ingenioſis hominibus accepi: quod quidem & iuſtum eſſe, & magnum in Reip. uſum habere poſſe, nemo non videt, illudque etiam contineri, ne unius alicuius ſpeciei numorum æſti-

matio vel imminuatur, vel augeatur: quin de aliis omnibus numis, æqua proportione, idem ſtatuatur. Nam alioqui cum multa iniqua fierent, tum vero commercia interturbarentur, & magnæ in Republ. turbæ naſcerentur.

Atque huius quidem etiam loci eſſe videtur illa, quæ eodem Codicis Iuſtiniani tractatu ſubiecta eſt Gratiani, Valentiniani & Theodoſii conſtitutio, obryzatorum omnium ſolidorum uniforme pretium eſſe debere. Vulgus exiſtimat ea lege caveri, pretium numorum ſic in perpetuum ſemel ſtatuendum eſſe, & veluti figendum, ut nunquam vel augeri vel imminui poſſit. Quod quidem tam effici non poteſt, quam & ſtultum & ineptum eſſet, & Reipubl. plerumque pernicioſum, ſi fieret. Sed illud potius, ſicuti accepimus, lex illa edicit, (quod quidem magnæ & prudentiæ & rationis eſt) unius alicuius certæ ſpeciei ſolidorum variam diverſamque æſtimationem eſſe non debere: ac ſi eiusdem & materiæ ſint & ponderis, eiusdem quoque pretii eſſe, tametſi fortaſſe non eadem ſint forma excuſi. Obryzatos autem vocari ſolidos, qui ex auro optimo & puriſſimo conflati ſunt, dubium
Plin. lib. 33. cap. 3. non eſt. Nam & Plinius ſcribit, obryzum aurum vocari, quod, cum igne probatur, ſimili colore, quo ignis, rubet. Ac ipſe quidem etiam noſter Conſtantinus quodam loco ſolidorum
l. una, C. de oblat. vot. obryzatorum meminit, cum de votorum oblatione loquitur, & hanc (ut appellat) populi devotionem, ſi modum ſerves, ſibi gratam eſſe profitetur.

fitetur. Vetus Romæ mos fuit (nam hoc obiter explicandum eſt) ut pro ſalute Principis multa ſolennia vota conciperentur, nuncuparentur, atque etiam religioſe perſolverentur. Itaque & Auguſtus hoc nomine quotannis a Populo Romano veluti ſtipem colligebat. Edixerat autem, ne quis pro ſalute ſua, Imperiive fortuna publica, quicquam voveret, quod ſupra ſuas facultates eſſet. Sed ſimul inſtituerat illas, quas accipiebat, argenti oblationes: quas Claudius Imp. poſtea ſuſtuliſſe dicitur. **Dion. lib. 52. & 58.**

Conſtantinus tam moroſus non fuit, quin illa populi munuſcula, & veluti ſtrenas bene precantis, grato & libenti animo exciperet. Sed tam avarus non fuit, quin largitiones tales ad iuſtum modum revocaret. Qua quidem de re multa utiliter fortaſſe dicere poſſem: ſed me nunc revocat res monetaria, quam ut abſoluam, dicam duas, quæ occurrunt, & ad eam ſanciendam pertinent, abs Conſtantino graviſſimas conſtitutiones editas eſſe, adverſus eos qui falſam monetam excuderent. **l. 1. & 2. C. de falſ. mon.** Conſtat, rem hanc in primis animadvertendam eſſe: veteresque omnem, quæ adhiberi potuit, adhibuiſſe cautionem, ut huic ſpeciei falſi occurrerent. Et ut illa quæ ſatis nota ſunt, nunc non commemorem: extat vetus quidam de re bellica libellus, olim ſcriptus ad Theodoſium Imp. & eius filios, ut numarii & opifices monetæ in aliqua inſula, in quam aliis nullus acceſſus pateat, veluti concludantur. Sed quis (inquit ille) cuſtodiet ipſos cuſtodes? Quod

extremum fuit, Conſtantinus acerbitate ſuppliciorum hoc crimen repreſſit. Iubet itaque adulteros ſolidorum (ſic enim eos vocat) flammarum accenſionibus (ut loquitur) tradi, ſine ullo provocationis beneficio: neque eorum modo bona publicari, ſed & domum ipſam, in qua adulterini numi excuſi erunt, ac ne dominum quidem ignorantem excuſari, niſi ſi aut procul abfuerit, aut ſtatim atque reſciuit, quod ſuis in ædibus factum eſt, ultro prodiderit. Viduis tamen infelicibus, & pupillis innocentibus humaniter parcendum eſſe monet. Sed interea tutores, qui ignorare, quod in domo pupillari fieret, non debebant, condemnat, tantum ut fiſco de ſuo pendant, quanti domus illa eſt. Severa profecto lex. Sed neceſſaria erat, ut modis omnibus tolleretur malum illud, quo vix quicquam eſt in Rep. magis perniciofum. Ac illa quidem tempora, quibus multos bellis civilibus & tyrannorum exactionibus exhauſtos paupertas nihil non & audere & tentare cogebat; ſeveritatem hanc requirebant. Sed neque hic prætermittenda eſt illa, quæ libro IX. Cod. Theodoſ. extat Conſtantini conſtitutio, adverſus eos qui ſolidi circulum exteriorem inciderint: quos capitali ſupplicio puniri iubet. Reſponſum quidem iam antea fuerat, lege Cornelia teneri, qui excuſos numos raſerit. Sed bonas ſæpius leges ferri cogunt mali hominum mores: & graſſantibus delictis pœnas exacerbandas eſſe, veteres monuerunt. Olim apud Aegyptios falſæ monetæ convictis non niſi manus præcidebantur,

l. quicunque ad Leg. Corn. de falſ.

bantur, ut Diodorus narrat. Nunc cum caput ipſum præciditur, & atrociori etiam ſupplicio hoc maleficium punitur, deterreri tamen hominum audacia non poteſt: vixque ulla adverſus eam cautio ſatis idonea poteſt excogitari. Illud tandem præterire non poſſum, quod Paulus reſpondit: Eos, qui falſam monetam percuſſerint, ſi in totum efformare noluerint, ſuffragio iuſtæ pœnitentiæ abſolvi. Conſtituta re militari, quæ Reipubl. neceſſaria defenſio eſt, eiusque veluti nervis bene compoſitis, qui in vectigalibus & tributis eſſe dicuntur, totaque adeo re monetaria, quod magnum eſt Reipubl. tanquam vinculum, prudenter deſcripta atque ſancita: magna iacta eſſe videntur quietis publicæ, quam civilis hominum ſocietas exigit, fundamenta. Sed ut iuſtas de bello leges, deque diſciplina militari continendà, ut in ocio cives vivere ſine iniuria poſſint, neceſſarias eſſe vidit Conſtantinus: ſic etiam gladiatoria domi certamina retineri paſſus non eſt, crudelemque illum totum & ſanguinarium laniſtarum ludum ſuſtulit. Non tulit olim Cato Cenſor, neq; ferre debuit, L. Flaminium, qui ut ſævos ſui ſcorti paſceret oculos, inter epulas iuſſerat reum neſcio quem, rei capitalis damnatum ſecuri cædi. Cur inſani populi talem ludum poſtulantis, inſanas delicias ferret Conſtantinus? Fuerat hic Romæ multis iam annis mos inhumanus, ut multi etiam privati homines ambitioſe populo exhiberent paria gladiatorum. Nam & in libris Iuriſconſultorum frequens mentio teſtatorum eſt,

Diod. l. 21

l. qui falſam. Ad. leg. Corn. de falſ.

tale (ut appellabatur) munus dari edive iubentium. Ac tempore quidem Tiberii, ſenatus conſulto cautum fuiſſe accepimus, ne quis illud dare poſſet, cui minor quadringentis millibus cenſus eſſet. Sed interea ſaltem viri Principes, aut locupletes, ut populo placerent, tanto id magis præſtabant. Quid? Ipſe Philippus Imp. cum quidem etiam Chriſtianum alioquin ſe eſſe fingeret, celebrans, anno ab Urbe condita milleſimo, Seculares illos ſuos ludos, mille gladiatorum paria commiſiſſe dicitur. Sed quanto & Reip. amantior, & Imperio dignior, & vero ſui & muneris & nominis religionisque obſervantior Conſtantinus, qui lege lata gladiatoriam illam lanienam, quæ non tam hominum eſt quam ferarum, primus ſuſtulit, & e Rep. Chriſtiana ſummovit? Verba eius legis in Iuſtiniani Codice hæc proponuntur: *Cruenta ſpectacula in ocio civili & domeſtica quiete non placent. Quapropter omnimodo gladiatores eſſe prohibemus.*

l. una C. de gladiat.

In Codice Theodoſiano: *Cruenta ſpectacula in ocio civili & domeſtica quiete non placent. Quapropter qui omnino gladiatores eſſe prohibemus, eos qui forte delictorum cauſa hanc conditionem atque ſententiam mereri conſueverant, metallo magis facies inſervire, ut ſine ſanguine ſuorum ſcelerum pœnas agnoſcant.*

Edidit hanc conſtitutionem, quo anno ſynodum Nicænam coegerat, neque dubium eſt, quin ſancti illi patres, qui concilio intererant, valde

eum

eum hoc etiam nomine laudarint. Nam & veteres Chriſtiani tam valde ab gladiatoriis ludis abhorrebant, ut omnino ſtatuerent ſibi fas non eſſe, cruentis illis intereſſe ſpectaculis. Quid? Vivo adhuc Conſtantino perſonabant illæ Lactantii voces: Eodem facinore ſpectatorem gladiatorum obſtringi, quo & admiſſorem: ac in his gladiatorum ſceleribus non minus eum cruore perfundi, qui ſpectat, quam qui facit: ne poſſe immunem eſſe a ſanguine, qui voluit effundi: aut videri non interfeciſſe, qui interfectori & favet, & præmium poſtulavit. Fugienda igitur omnia huiusmodi ſpectacula eſſe. Cum has conciones audiret Conſtantinus, an officium ſuum non faceret? Dicebat olim Ci- Lib. 2.
cero: Crudele gladiatorum ſpectaculum & in- Thuſcul.
humanum nonnullis videri ſolet, & haud ſcio an ita ſit, ut nunc fit. Ac Conſtantino cur ita videretur, & vero cur non dubitaret ita eſſe, itaque bonis omnibus videri debere, magna profecto cauſa erat. Fecit itaque quod Principem & pium & humanum, & denique non barbarum facere oportuit. Certe ſcriptores Eccleſiaſtici inter res a Conſtantino præclare geſtas non poſtremo loco numerant, ſublatos gladiatores; παύει (inquit Socrates) τὰ μονομάχια. Et Sozomenus: παρὰ ῥωμαίοις τότε πρῶτον ἡ τῶν μονομαχῶν ἐκωλύθη θέα. Proferrem aliquot Principes Roman. qui cum multis alioqui vitiis laborarent, hac tamen humanitate fuerunt, ut valde abhorre-

rent ab illis ſpectaculis: nec niſi inviti & prope illachrymantes talia munera populo darent. Sed cum noſtro Conſtantino comparari non poſſunt, neque debent: qui tam non indulſit inſano populo, ut primus auſus ſit etiam invitum ab hoc ludo revocare. Neque tamen efficere potuit, quin aliquando ad ingenium feri homines redierint, Sic ubi mortuus fuit Conſtantinus, contemptam eius legem fuiſſe, & ſuum iterum ludum laniſtas aperuiſſe conſtat: & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narrant, cum temporibus Honorii atque Arcadii quidam ab Oriente Romam veniſſet monachus, & monomachias illas vehementer damnans, ſuo etiam obiecto corpore cuperet eas dirimere, valdeque inſtaret, ut talia certamina tollerentur, lapidibus a populo, qui hanc ſibi voluptatem eripi non ferebat, obrutum eſſe: eaque re commotos Honorium atque Arcadium Impp. legem de hiſce ludis gladiatoriis tollendis repetiiſſe, Conſtantinique iudicium confirmaſſe. Sed difficile erat, laniſtas cum ſuis gladiatoribus, retiariis, ſecutoribus, mirmillonibus, hoplomachis, & tota illa carnificum cohorte, urbe pellere atque eiicere. Porro tam ſeverus & tetricus, & ab omni ludo abhorrens non fuit Conſtantinus, quin Gymnici agonis, qui incruentus erat, ſpectacula, oblectamenti cauſa populo reliquerit. Qua de re quædam eius extat conſtitutio. Laudat quidem in ſuis Epiſtolis Plinius Trebonium ſuum Rufinum, quod cum Duumvir Viennæ eſſet, Gymnicum agona lege lata ſuſtulerit; quo nomine accuſatum fuiſſe narrat: ſed fuiſſe

l. 1. C. de ſpectac.

fuiſſe etiam a Traiano Imp. abſolutum ſcribit. Si ſuſtulit Gymnica illa certamina, quæ humano ſanguine reſpergebantur, (quales illi erant ludi funebres, in quibus buſtuarii gladiatores committebantur,) bene profecto & ſapienter fecit, & erat laude quam accuſatione dignior. Sed Gymnicum agona, qui virtutis tantum cauſa exercebatur, non magis damnare quisquam poſſit, quam colluctationem, aut pancratium. Huius vero generis ſpectaculis, ut Conſules populum oblectarent, permiſit etiam lege lata Iuſtinianus. Quid? In eodem illo ſuo de ſpectaculis tractatu, dignam eſſe putavit, quam commendaret, legem Valentiniani, Gratiani, & Theodoſii, ludis Circenſibus tam valde faventem, ut aurigas qui in iis equos agitant, nullo præter Circenſe certamen ſupplicio, ſi deliquerint, afficiendos eſſe profiteatur. Laudat tamen Valentinianum Ambroſius, quod cum ludis Circenſibus nimium oblectari diceretur, ſic ſeſe caſtigarit, ut ne ſolennibus quidem Principum natalibus eos celebrari pateretur. Sed populo ludorum omnem oblectationem adimere vix boni principes poſſunt, neque ſemper opus eſt. Extat quædam Arcadii atque Honorii conſtitutio de Maiuma, ut eius feſti lætitia provincialibus reddatur. Ludus erat, qui menſe Maio celebrabatur, non diſſimilis (ut Cicero appellat) Tiberinæ decurſioni, cum plebs Romana ad maritimam civitatem Oſtiam ſecundo Tiberi decurrens, iaculandis aquis ſeſe oblectabat.

l. eos qui. C. de ſpect.

Sed illas populares ſive delicias ſive ineptias omitto: quanquam laudandæ leges ſint, quæ iuſtum in iis modum ſervari præcipiant. Illud vero & lubentius laudo, & maiori etiam laude dignum eſt, quod Gymnaſia bonarum artium, literarumque ludos, Conſtantinus conſervarit, multisque etiam modis auxerit atque ornarit. Ac ſuperiori quidem libro dictum copioſe eſt, de ſcholis Eccleſiaſticis. De civilibus, quæ liberalium artium cuſtodes ſunt, dicendum nunc eſt. Has enim, ut illas, Conſtantino valde curæ fuiſſe ſcimus: & eſſe debere, ſemperque fuiſſe omnibus, qui rempub. resque bonas amant, profitemur. Sed Conſtantini legem prius audiamus.

Medicos, Grammaticos, & alios profeſſores literarum, & doctores Legum, cum uxoribus & liberis, nec non & rebus quas in ſuis civitatibus poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus civilib. vel publicis immunes eſſe præcipimus: & neque in provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, vel iniuriam pati: vel ſi quis eos vexaverit, pœna arbitrio iudicis plectetur. Mercedes autem eorum & ſalaria reddi iubemus, quo facilius liberalibus & memoratis artibus multos inſtituant.

Extant libro decimo tertio Codicis Theodoſiani, tres huius generis conſtitutiones Conſtantini: quas in hanc unam Iuſtinianus, ut ſæpe alias fecit, contraxiſſe videtur. Singulas nunc

nunc iterum aut deſcribere aut recitare, non eſt neceſſe. Sed illud obiter obſervandum eſſe puto, primam editam eſſe Sirmii in Pannonia, proximo poſt victum Licinium anno: ſecundam Conſtantinopoli, ſtatim poſt Nicænam ſynodum: tertiam eodem quidem loco, ſed ſeptem poſt annis. Quo magis intelligamus, conſtantem hanc eius fuiſſe atque perpetuam voluntatem: neque impetu quodam & inconſulto calore cæci favoris veluti abreptum eum fuiſſe, ſed certo concilio iudicioque, & ratione diu cogitata commotum. Laudat Euſebius ſapientiſſimum hunc, & (quod maius eſt, eſtque perrarum) vere Chriſtianum principem, quod liberos diligenter ſuos erudiri voluerit, atque etiam curarit: optimisque eos erudiendos tradiderit præceptoribus, non rei tantum (ut fit) militaris, ſed religionis in primis doctrinæque Chriſtianæ, & Iuris deinde Civilis, ut & aliarum bonarum literarum. Cæterum ut ſuæ priuatim familiæ (cuius tamen bonam inſtitutionem etiam Reipublicæ valde ſalutarem fore ſciebat) & Imperio recte hac ratione conſultum eſſe voluit: ſic etiam voluit alios bonos patresfamilias ad ſui exempli imitationem revocare: & interea, quæ ad hanc rem neceſſaria eſſe videbantur, publice ſuppeditare. Non meum eſt, ſed Sexti Aurelii Victoris vetus dictum, Conſtantinum nutriiſſe artes bonas præcipueque ſtudia literarum. Et ſane cum Lactantium Firmianum, qui Nicomediæ multis annis bonas literas

do-

docuerat, filio ſuo Criſpo præceptorem in Gallia dedit, præſtantem magnumque non eloquentiæ tantum (quæ in eo ſumma fuit, & iis præſertim temporibus, plane admirabilis atque ſingularis) ſed & religionis veræ & pietatis doctorem: eumque ipſe iam ſenem, & ab ingratis auditoribus deſertum, tantopere coluit: non obſcure ſignificavit, ſeſe talem eſſe in hoc quoque genere principem, qualis & eſſe dicebatur, & debebat eſſe. Ac domeſticum quidem etiam patris ſui exemplum, quod imitaretur, habebat. Quam enim is Conſtantinus ſcholis literarum tuendis curam impenderit, quamque omnia quæ potuit, liberaliter ſuppeditarit, vel ex unius Eumenii rhetoris, qui eo tempore cum eſſet magiſter ſacræ memoriæ, ſcholis Clivienſium præfectus fuit, oratione non ignobili ad Præſidem Galliarum habita, intelligi facile poteſt. Huius certe orationis memoria recens adhuc erat, & aures Conſtantini circumſonabat. Denique hic videbat Licinium, quem invitus habebat collegam & veluti conſortem Imperii, tam eſſe literis omnibus infenſum atque iniquum, ut eas etiam publice damnare auderet, & appellare peſtem Reipublicæ: cum quidem earum tam eſſet ipſe ignarus atque rudis, ut ne decretis quidem ſuis nomen ſubſcribere ſuum poſſet, quod plane vereque fuit, neſcire literas. Huius igitur impuri barbarique tyranni furores, ne, quam ruinam minabantur, darent, repreſſit Conſtan-

ſtantinus: bonamque literarum bonarum cauſam acerrime, ut debuit, defendit, neque ſane in hoc genere vel ab ipſo Traiano vinci voluiſſet. Plinii ad Traianum hæc oratio eſt plena gratulationis atque laudis iuſtiſſimæ: Quid, vitam? quid, mores iuventutis, quam principaliter formas? Quem honorem dicendi magiſtris? quam dignitatem ſapientiæ doctoribus habes? Ut ſub te & ſpiritum & ſanguinem, & patriam receperunt ſtudia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum ſibi omnium vitiorum conſcius princeps, inimicas vitiis artes, non odio magis quam reverentia relegabat. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes.

Si hac oratione ad Conſtantinum utamur, eandemque illi laudem tribuamus, iure id nos facere profecto exiſtimabimus. Magis certe vidit, literas & artes bonas non ſolum non eſſe, quod ille improbe Licinius mentiebatur, peſtem reipublicæ: ſed eſſe ſalutem & vitam, & lucem, & veluti ſolem: neque Reipublicæ tantum, ſed & ipſius Eccleſiæ magnum eſſe decus atque ornamentum. Nam & hanc certe paulo poſt cum peſſundare impius ille, ſed minime alioqui hebes, Iulianus vellet, & vim literarum atque eruditionis intelligeret, Chriſtianis pueris ludos literarum obſtruxit, quos aliis tamen profanæ ſuæ ſectæ addictis aperuit. Nam & eius etiamnum lex eſt in Iuſtiniani Codice, quæ ſtatuit, magiſtros, doctoreſque præ- L. magiſtros. C. de prof. & med.

ſtan-

ſtantiſſimos eſſe delingendos, & ordinis iudicio, decretoque Curiæ probandos.

Ut ad Conſtantini noſtri conſtitutionem propius accedam, videor eam recte poſſe appellare Privilegium. Privilegia olim ſæpius appellabantur, quæ de ſingulis hominibus ferebantur, & magis erant unius perſonæ quam cauſæ. De iis proprie loquebatur illa lex duodecim Tabularum: Privilegia, niſi Centuriatis comitiis, ne irroganto. Sic enim Cicero libro tertio de Legibus interpretatur, ſublata ea eſſe, ut de ſingulis hominibus ferri non poſſent, niſi illis comitiis. Sed nonnunquam etiam Privilegium veteres appellant, quod eſt cauſæ magis quam perſonæ: nec de uno aliquo homine, ſed de certo potius quodam hominum ordine fertur. Cuius generis privilegia ſunt, quæ in Iuris civilis libris multa commemorantur, & plerumque Iura ſingularia appellantur. Iulius Paulus, qui librum ſingularem de iure ſingulari ſcripſit, definit Ius ſingulare eſſe quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate conſtituentium introductum eſt. Ac conſtat quidem privilegiis nihil eſſe iniuſtius, nihilque in Republica perniciosius, niſi ſi & iuſta eorum cauſa ſit, & iuſtus ſit modus. Sed ubi hæc ſunt, nihil eſt æquius, nihil utilius. Theodoſius & Valentinianus Imperatores prudentiſſimi, aiunt in ſua quadam conſtitutione, ſeſe ſtudiorum reverentia præſtare multa privilegia. Hæc autem profecto iuſtiſſima, ſi ulla eſſe

Cap. 16. de legibus.

L. quicquid.

eſſe poteſt, cauſa eſt, iuris alicuius & beneficii ſingularis. Illud videndum eſt, ne qui abutantur. C. de advo. diu. iudic.

Cæterum non fuiſſe Centuriatis quibusdam comitiis opus, cum aliquo privilegio ornandus literatorum hominum ordo eſſet, & literarum collegiis facile id fuiſſe conceſſum, conſtat. Ne longius rem repetam, Diocletianus Imp. reſcripſit: decreto Decurionum poſſe immunitatem dari antiſtitibus liberalium ſtudiorum, licet aliis non item poſſit. Et Ulpinanus reſpondit, ambitioſa quidem decreta Decurionum reſcindi debere, ſi decreverint certam quantitatem alicui de publico præſtari: non eſſe tamen reſcindenda, ſi ob liberalem artem id fuerit conſtitutum. Ob hanc enim cauſam poſſe conſtitui ſalaria. l. I. C. de dec. Decur. Cap. 4. De decret. ab ord. fact.

Privilegia, quæ bonarum artium literarumque doctoribus tribuit ſuperior conſtitutio Conſtantini, conſiſtunt vel in immunitate, vel in honorario, vel in aliqua fori præſcriptione. Sed anteceſſoribus, ut tum appellabantur, hoc eſt, legum & Iuris profeſſoribus, honores etiam iure quodam magis ſingulari additi ſunt. Nam Valentinianus Imp. ſtatuit, Iurisperitos, qui in urbe Conſtantinopolitana longo tempore docuiſſent, vicaria illa dignitate ornari: quam deinde Zeno Imp. ſuis comitibus, qui provincias rexerant, ſummi honoris cauſa conceſſit.

Privilegii, de quo Conſtantinus agit, prima, ut dixi, pars eſt immunitas; ac eam quidem ita donat, ut omnem omnino donare videa-

tur

tur vacationem ab omnibus non ſolum perſonalibus (ut appellantur) ſed & patrimoniorum muneribus. Verum etſi beneficia Principum latiſſime etiam nos interpretari debere dicant Iuriſconſulti: tamen non recuſo, quin verba huius conſtitutionis Conſtantinæ paululum reſtringantur. Mitto, quod Modeſtinus de excuſationibus ſcribens ait. Illud tantum dico, capitationem poſſe facile hic intelligi remiſſam: at non etiam iugationem. Vtor iis verbis, quibus tum Cæſares utebantur. Certe cum a publicis muneribus vacatio generaliter dari dicitur, ſæpius id intelligi ſolet de perſonalibus. Nam patrimoniorum munera, præſertim ordinaria, non temere cuiquam remittuntur: ac ne Pontificem quidem ab iis excuſari, in Pandectis legimus. Et quam acriter reiecti ſint Philoſophi, atque repulſi, qui talem immunitatem petebant, oſtendunt reſponſa, quæ in Iuſtiniani libris ſuperſunt. Cæterum, ut auditoria ipſa, in quibus bonæ & liberales diſciplinæ docentur, tranquilla, & ab omnibus procul turbis ſemota eſſe Leges volunt: ſic etiam æquum fuit privatas profeſſorum ædes non interturbari. Ergo Conſtantinus ſua etiam conſtitutione eſt complexus, quod Arcadius ſcribit, Veſpaſianum, & deinde Adrianum, teſtatos eſſe profeſſoribus datam eſſe immunitatem, ne quem hoſpitio excipere cogantur: quodque Paulus ait, angariarum præ-

l.ult. §.patrimoniorum. De muneribus & hon.
l.in honoribus §. in Philoſophis. De mũ.& hon.
l.profeſſio. C. de muneribus patrim.
l. una C. De ſtud. lib. ur. Ro.

præſtationem, recipiendique hoſpitis neceſſitatem, non minus iis quam militibus remitti. Sicuti & Conſtantinum hac in re ſecuti ſunt Honorius atque Theodoſius: & alter deinde cum ſuo Valentiniano Theodoſius.

l. ult. §. ult. De mun. & honor. l. ab his. De vacat. mun.

Secundum in Conſtantini conſtitutione privilegium eſſe notavi, in ſalario ſive honorario profeſſorum. Extat libro duodecimo Codicis Theodoſiani quædam Conſtantini conſtitutio, in hæc verba: *Nulli ſalarium tribuatur, niſi ei qui iubentibus nobis ſpecialiter fuerit conſecutus.* Meminerat ſapientiſſimus hic Princeps, Alexandrum Severum graviter ſæpe dixiſſe, malum pupillum eſſe Imperatorem, qui ex provincialium viſceribus homines non neceſſarios, neque Reip. utiles paſceret. Sed rurſus intelligebat, improbum ingratumque ſe fore, ſi eos, qui neceſſarii & utiles ſunt Reipubl. non paſceret. Ergo ſpecialiter iuſſit, præceptoribus liberalium ſtudiorum ſalarium dari: aliis adimi; imitatusque eſt Antoninum Pium, quem Capitolinus ait, ſalaria multis ſubtraxiſſe, quos ocioſos eſſe videbat, ac dixiſſe: Nihil eſſe ſordidius, crudeliusve, quam ſi Rempubl. ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. Interea vero bonarum artium doctoribus, per omnes provincias iuſſiſſe & honores & annua ſalaria deferri. Si extaret vetuſtiſſima lex illa Charondæ, qua Diodorus narrat hunc apud ſuos primum conſtituiſſe, publice dari mercedem literarum magiſtris: eam nunc ego lubenter cum Romano-

l. ult. C. De prof. & med. l. archiatros. C. de metat.

rum Cæſarum legibus conferrem. Sed ut in eorum, & quidem poſteriorum temporibus nunc conſiſtamus, memorabile illud eſt, quod Caſſiodorus ſignificat: ipſos etiam Gothorum reges, qui in Italia imperabant paulo ante Iuſtiſtinianum, voluiſſe, ſalarii tardius perſoluti profeſſoribus, etiam uſuras deberi. Neque dubito, quin Conſtantino ea lex placuiſſet, ipſique etiam Iuſtiniano. Certe memoriæ proditum eſt, eodem prope tempore Leonem Imp. cum Eulogio philoſopho teſſeram frumentariam dari iuſſiſſet, & quidam ſubmurmurarent, eam militibus potius eſſe dandam, exclamaſſe: Utinam is ſit aliquando temporum meorum ſtatus, ut militum quoque ſtipendia in literarum magiſtros transferre poſſim. Sed cum de honorariis profeſſorum quæritur, imprimis occurrere debet, quod Ulpianus libro 8. de omnibus tribunalibus ſcripſit: & eſt in Pandectas relatum, ubi de extraordinariis cognitionibus agitur. Ait, Præſidem provinciæ de mercedibus ius dicere ſolere, ſed præceptoribus tantum ſtudiorum liberalium: Philoſophis tamen non dicere; non quia non religioſa res ſit philoſophia: ſed quod hoc primum profiteri eos oporteat, mercenariam ſe operam ſpernere. Proinde ne Iuris quidem civilis profeſſoribus ius dicere. Eſſe quidem rem ſanctiſſimam civilem ſapientiam: ſed quæ pretio numario non ſit æſtimanda, nec dehoneſtanda, dum in iudicio honor petitur, qui in ingreſſu ſacramenti offerri debuit. Quædam

dam enim, tametſi honeſte accipiantur, inhoneſte tamen peti. Hæc Ulpianus.

Cæterum ut nulla etiam petitione hic opus eſſet, nullaque extraordinaria cognitione, effecit hæc, de qua nunc agimus, Conſtantini conſtitutio. Magnum vero alioqui liberalium ſtudiorum privilegium fuiſſe, magnumque favorem in illa, quam ultro Prætor extra ordinem ſuſcipiebat, cognitione, agnoſcere interea debemus. Atque ut magis intelligamus, non profeſſorum tantum, ſed & auditorum & diſcipulorum habitam eſſe rationem: meminerimus, quod a Iurisconſultis reſponſum eſt: Cum filiusfam. Romæ degens ſtudiorum cauſa viaticum ſuum alteri credidiſſet, a Prætore illi dari extraordinariam & utilem actionem, ut id repetere ipſe poſſit, & abſente patre agere. Sed & in ſtudiorum cauſam filiofam. recte mutuum dari poſſe, neque tum Senatusconſulto Macedoniano locum fore, placuit. Nam & Ulpianus eleganter oſtendit, ad paternæ pietatis officium pertinere, filios non modo alere, ſed etiam in ſtudiis alere. Et tutor iubetur, mercedes pupilli præceptoribus conſtituere. Quod & in cauſa pupillæ dicitur; nam hanc quoque liberalibus artibus inſtituendam eſſe, ait Iulianus. Denique pupillo in bonorum poſſeſſionem miſſo, ex Carboniano edicto non ſolum alimenta præſtanda eſſe, ſed & neceſſarias ad ſtudia impenſas, Paulus ait. Quid reliqua commemorem, favore ſtudiorum, ſingulari iure conſtituta? Prætor abſentiam

l. cum filiusfam. Si cert. pet.
l. ſi longius §. 1. De Iudic.
l. Iulianus. §. quod dicitur, ad Sc. Maced.
l. Macedoniani. C. eod. tit.
l. quæ patet filio. Famil. erciſc.
l. cum plures §. tutor. D. admin. tut.
l. qui filium. Ubi pupil. educ. deb.
l. de bonis. §. non ſolum. De Carb. edict.

tale (ut appellabatur) munus dari edive iubentium. Ac tempore quidem Tiberii, ſenatus conſulto cautum fuiſſe accepimus, ne quis illud dare poſſet, cui minor quadringentis millibus cenſus eſſet. Sed interea ſaltem viri Principes, aut locupletes, ut populo placerent, tanto id magis præſtabant. Quid? Ipſe Philippus Imp. cum quidem etiam Chriſtianum alioquin ſe eſſe fingeret, celebrans, anno ab Urbe condita milleſimo, Seculares illos ſuos ludos, mille gladiatorum paria commiſiſſe dicitur. Sed quanto & Reip. amantior, & Imperio dignior, & vero ſui & muneris & nominis religioniſque obſervantior Conſtantinus, qui lege lata gladiatoriam illam lanienam, quæ non tam hominum eſt quam ferarum, primus ſuſtulit, & e Rep. Chriſtiana ſummovit? Verba eius legis in Iuſtiniani Codice hæc proponuntur: *Cruenta ſpectacula in ocio civili & domeſtica quiete non placent. Quapropter omnimodo gladiatores eſſe prohibemus.*

l. una C. de gladiat.

In Codice Theodoſiano: *Cruenta ſpectacula in ocio civili & domeſtica quiete non placent. Quapropter qui omnino gladiatores eſſe prohibemus, eos qui forte delictorum cauſa hanc conditionem atque ſententiam mereri conſueverant, metallo magis facies inſervire, ut ſine ſanguine ſuorum ſcelerum pœnas agnoſcant.*

Edidit hanc conſtitutionem, quo anno ſynodum Nicænam coegerat, neque dubium eſt, quin ſancti illi patres, qui concilio intererant, valde

eum

eum hoc etiam nomine laudarint. Nam & veteres Chriſtiani tam valde ab gladiatoriis ludis abhorrebant, ut omnino ſtatuerent ſibi fas non eſſe, cruentis illis intereſſe ſpectaculis. Quid? Vivo adhuc Conſtantino perſonabant illæ Lactantii voces: Eodem facinore ſpectatorem gladiatorum obſtringi, quo & admiſſorem: ac in his gladiatorum ſceleribus non minus eum cruore perfundi, qui ſpectat, quam qui facit: ne poſſe immunem eſſe a ſanguine, qui voluit effundi: aut videri non interfeciſſe, qui interfectori & favet, & præmium poſtulavit. Fugienda igitur omnia huiusmodi ſpectacula eſſe. Cum has conciones audiret Conſtantinus, an officium ſuum non faceret? Dicebat olim Cicero: Crudele gladiatorum ſpectaculum & inhumanum nonnullis videri ſolet, & haud ſcio an ita ſit, ut nunc fit. Ac Conſtantino cur ita videretur, & vero cur non dubitaret ita eſſe, itaque bonis omnibus videri debere, magna profecto cauſa erat. Fecit itaque quod Principem & pium & humanum, & denique non barbarum facere oportuit. Certe ſcriptores Eccleſiaſtici inter res a Conſtantino præclare geſtas non poſtremo loco numerant, ſublatos gladiatores; παύει (inquit Socrates) τὰ μονομάχια. Et Sozomenus: παρὰ ῥωμαίοις τότε πρῶτον ἡ τῶν μονομαχῶν ἐκωλύθη θέα. Proferrem aliquot Principes Roman. qui cum multis alioqui vitiis laborarent, hac tamen humanitate fuerunt, ut valde abhorre-

Lib. 2. Thuſcul.

rent ab illis ſpectaculis: nec niſi inviti & prope illachrymantes talia munera populo darent. Sed cum noſtro Conſtantino comparari non poſſunt, neque debent: qui tam non indulſit inſano populo, ut primus auſus ſit etiam invitum ab hoc ludo revocare. Neque tamen efficere potuit, quin aliquando ad ingenium feri homines redierint. Sic ubi mortuus fuit Conſtantinus, contemptam eius legem fuiſſe, & ſuum iterum ludum laniſtas aperuiſſe conſtat: & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narrant, cum temporibus Honorii atque Arcadii quidam ab Oriente Romam veniſſet monachus, & monomachias illas vehementer damnans, ſuo etiam obiecto corpore cuperet eas dirimere, valdeque inſtaret, ut talia certamina tollerentur, lapidibus a populo, qui hanc ſibi voluptatem eripi non ferebat, obrutum eſſe: eaque re commotos Honorium atque Arcadium Impp. legem de hiſce ludis gladiatoriis tollendis repetiiſſe, Conſtantinique iudicium confirmaſſe. Sed difficile erat, laniſtas cum ſuis gladiatoribus, retiariis, ſecutoribus, mirmillonibus, hoplomachis, & tota illa carnificum cohorte, urbe pellere atque eiicere. Porro tam ſeverus & tetricus, & ab omni ludo abhorrens non fuit Conſtantinus, quin Gymnici agonis, qui incruentus erat, ſpectacula, oblectamenti cauſa populo reliquerit. Qua de re quædam eius extat conſtitutio. Laudat quidem in ſuis Epiſtolis Plinius Trebonium ſuum Rufinum, quod cum Duumvir Viennæ eſſet, Gymnicum agona lege lata ſuſtulerit, quo nomine accuſatum fuiſſe narrat: ſed fuiſſe

l. 1. C. de ſpectac.

fuiſſe etiam a Traiano Imp. abſolutum ſcribit. Si ſuſtulit Gymnica illa certamina, quæ humano ſanguine reſpergebantur, (quales illi erant ludi funebres, in quibus buſtuarii gladiatores committebantur,) bene profecto & ſapienter fecit, & erat laude quam accuſatione dignior. Sed Gymnicum agona, qui virtutis tantum cauſa exercebatur, non magis damnare quisquam poſſit, quam colluctationem, aut pancratium. Huius vero generis ſpectaculis, ut Conſules populum oblectarent, permiſit etiam lege lata Iuſtinianus. Quid? In eodem illo ſuo de ſpectaculis tractatu, dignam eſſe putavit, quam commendaret, legem Valentiniani, Gratiani, & Theodoſii, ludis Circenſibus tam valde faventem, ut aurigas qui in iis equos agitant, nullo præter Circenſe certamen ſupplicio, ſi deliquerint, afficiendos eſſe profiteatur. Laudat tamen Valentinianum Ambroſius, quod cum ludis Circenſibus nimium oblectari diceretur, ſic ſeſe caſtigarit, ut ne ſolennibus quidem Principum natalibus eos celebrari pateretur. Sed populo ludorum omnem oblectationem adimere vix boni principes poſſunt, neque ſemper opus eſt. Extat quædam Arcadii atque Honorii conſtitutio de Maiuma, ut eius feſti lætitia provincialibus reddatur. Ludus erat, qui menſe Maio celebrabatur, non diſſimilis (ut Cicero appellat) Tiberinæ decurſioni, cum plebs Romana ad maritimam civitatem Oſtiam ſecundo Tiberi decurrens, iaculandis aquis ſeſe oblectabat.

l. eos qui. C. de ſpect.

Sed illas populares ſive delicias ſive ineptias omitto: quanquam laudandæ leges ſint, quæ iuſtum in iis modum ſervari præcipiant. Illud vero & lubentius laudo, & maiori etiam laude dignum eſt, quod Gymnaſia bonarum artium, literarumque ludos, Conſtantinus conſervarit, multisque etiam modis auxerit atque ornarit. Ac ſuperiori quidem libro dictum copioſe eſt, de ſcholis Eccleſiaſticis. De civilibus, quæ liberalium artium cuſtodes ſunt, dicendum nunc eſt. Has enim, ut illas, Conſtantino valde curæ fuiſſe ſcimus: & eſſe debere, ſemperque fuiſſe omnibus, qui rempub. resque bonas amant, profitemur. Sed Conſtantini legem prius audiamus.

Medicos, Grammaticos, & alios profeſſores literarum, & doctores Legum, cum uxoribus & liberis, nec non & rebus quas in ſuis civitatibus poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus civilib. vel publicis immunes eſſe præcipimus: & neque in provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, vel iniuriam pati: vel ſi quis eos vexaverit, pœna arbitrio iudicis plectetur. Mercedes autem eorum & ſalaria reddi iubemus, quo facilius liberalibus & memoratis artibus multos inſtituant.

Extant libro decimo tertio Codicis Theodoſiani, tres huius generis conſtitutiones Conſtantini: quas in hanc unam Iuſtinianus, ut ſæpe alias fecit, contraxiſſe videtur. Singulas nunc

nunc iterum aut deſcribere aut recitare, non eſt neceſſe. Sed illud obiter obſervandum eſſe puto, primam editam eſſe Sirmii in Pannonia, proximo poſt victum Licinium anno: ſecundam Conſtantinopoli, ſtatim poſt Nicænam ſynodum: tertiam eodem quidem loco, ſed ſeptem poſt annis. Quo magis intelligamus, conſtantem hanc eius fuiſſe atque perpetuam voluntatem: neque impetu quodam & inconſulto calore cæci favoris veluti abreptum eum fuiſſe, ſed certo concilio iudicioque, & ratione diu cogitata commotum. Laudat Euſebius ſapientiſſimum hunc, & (quod maius eſt, eſtque perrarum) vere Chriſtianum principem, quod liberos diligenter ſuos erudiri voluerit, atque etiam curarit: optimisque eos erudiendos tradiderit præceptoribus, non rei tantum (ut fit) militaris, ſed religionis in primis doctrinæque Chriſtianæ, & Iuris deinde Civilis, ut & aliarum bonarum literarum. Cæterum ut ſuæ priuatim familiæ (cuius tamen bonam inſtitutionem etiam Reipublicæ valde ſalutarem fore ſciebat) & Imperio recte hac ratione conſultum eſſe voluit: ſic etiam voluit alios bonos patresfamilias ad ſui exempli imitationem revocare: & interea, quæ ad hanc rem neceſſaria eſſe videbantur, publice ſuppeditare. Non meum eſt, ſed Sexti Aurelii Victoris vetus dictum, Conſtantinum nutriiſſe artes bonas præcipueque ſtudia literarum. Et ſane cum Lactantium Firmianum, qui Nicomediæ multis annis bonas literas do-

docuerat, filio ſuo Criſpo præceptorem in Gallia dedit, præſtantem magnumque non eloquentiæ tantum (quæ in eo ſumma fuit, & iis præſertim temporibus, plane admirabilis atque ſingularis) ſed & religionis veræ & pietatis doctorem: eumque ipſe iam ſenem, & ab ingratis auditoribus deſertum, tantopere coluit: non obſcure ſignificavit, ſeſe talem eſſe in hoc quoque genere principem, qualis & eſſe dicebatur, & debebat eſſe. Ac domeſticum quidem etiam patris ſui exemplum, quod imitaretur, habebat. Quam enim is Conſtantinus ſcholis literarum tuendis curam impenderit, quamque omnia quæ potuit, liberaliter ſuppeditarit, vel ex unius Eumenii rhetoris, qui eo tempore cum eſſet magiſter ſacræ memoriæ, ſcholis Clivienſium præfectus fuit, oratione non ignobili ad Præſidem Galliarum habita, intelligi facile poteſt. Huius certe orationis memoria recens adhuc erat, & aures Conſtantini circumſonabat. Denique hic videbat Licinium, quem invitus habebat collegam & veluti conſortem Imperii, tam eſſe literis omnibus infenſum atque iniquum, ut eas etiam publice damnare auderet, & appellare peſtem Reipublicæ: cum quidem earum tam eſſet ipſe ignarus atque rudis, ut ne decretis quidem ſuis nomen ſubſcribere ſuum poſſet, quod plane vereque fuit, neſcire literas. Huius igitur impuri barbarique tyranni furores, ne, quam ruinam minabantur, darent, repreſſit Conſtan-

ſtantinus: bonamque literarum bonarum cauſam acerrime, ut debuit, defendit, neque ſane in hoc genere vel ab ipſo Traiano vinci voluiſſet. Plinii ad Traianum hæc oratio eſt plena gratulationis atque laudis iuſtiſſimæ: Quid, vitam? quid, mores iuventutis, quam principaliter formas? Quem honorem dicendi magiſtris? quam dignitatem ſapientiæ doctoribus habes? Ut ſub te & ſpiritum & ſanguinem, & patriam receperunt ſtudia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum ſibi omnium vitiorum conſcius princeps, inimicas vitiis artes, non odio magis quam reverentia relegabat. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes.

Si hac oratione ad Conſtantinum utamur, eandemque illi laudem tribuamus, iure id nos facere profecto exiſtimabimus. Magis certe vidit, literas & artes bonas non ſolum non eſſe, quod ille improbe Licinius mentiebatur, peſtem reipublicæ: ſed eſſe ſalutem & vitam, & lucem, & veluti ſolem: neque Reipublicæ tantum, ſed & ipſius Eccleſiæ magnum eſſe decus atque ornamentum. Nam & hanc certe paulo poſt cum peſſundare impius ille, ſed minime alioqui hebes, Iulianus vellet, & vim literarum atque eruditionis intelligeret, Chriſtianis pueris ludos literarum obſtruxit, quos aliis tamen profanæ ſuæ ſectæ addictis aperuit. Nam & eius etiamnum lex eſt in Iuſtiniani Codice, quæ ſtatuit, magiſtros, doctoreſque præſtan- L. magiſtros. C. de prof. & med.

ſtantiſſimos eſſe delingendos, & ordinis iudicio, decretoque Curiæ probandos.

Ut ad Conſtantini noſtri conſtitutionem propius accedam, videor eam recte poſſe appellare Privilegium. Privilegia olim ſæpius appellabantur, quæ de ſingulis hominibus ferebantur, & magis erant unius perſonæ quam cauſæ. De iis proprie loquebatur illa lex duodecim Tabularum: Privilegia, niſi Centuriatis comitiis, ne irroganto. Sic enim Cicero libro tertio de Legibus interpretatur, ſublata ea eſſe, ut de ſingulis hominibus ferri non poſſent, niſi illis comitiis. Sed nonnunquam etiam Privilegium veteres appellant, quod eſt cauſæ magis quam perſonæ: nec de uno aliquo homine, ſed de certo potius quodam hominum ordine fertur. Cuius generis privilegia ſunt, quæ in Iuris civilis libris multa commemorantur, & plerumque Iura ſingularia appellantur. Iulius Paulus, qui librum ſingularem de iure ſingulari ſcripſit, definit Ius ſingulare eſſe quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate conſtituentium introductum eſt. Ac conſtat quidem privilegiis nihil eſſe iniuſtius, nihilque in Republica pernicioſius, niſi ſi & iuſta eorum cauſa ſit, & iuſtus ſit modus. Sed ubi hæc ſunt, nihil eſt æquius, nihil utilius. Theodoſius & Valentinianus Imperatores prudentiſſimi, aiunt in ſua quadam conſtitutione, ſeſe ſtudiorum reverentia præſtare multa privilegia. Hæc autem profecto iuſtiſſima, ſi ulla eſſe

Cap. 16. de legibus.

L. quicquid.

eſſe poteſt, cauſa eſt, iuris alicuius & beneficii ſingularis. Illud videndum eſt, ne qui abutantur. C. de advo. diu. iudic.

Cæterum non fuiſſe Centuriatis quibusdam comitiis opus, cum aliquo privilegio ornandus literatorum hominum ordo eſſet, & literarum collegiis facile id fuiſſe conceſſum, conſtat. Ne longius rem repetam, Diocletianus Imp. reſcripſit: decreto Decurionum poſſe immunitatem dari antiſtitibus liberalium ſtudiorum, licet aliis non item poſſit. Et Ulpinanus reſpondit, ambitioſa quidem decreta Decurionum reſcindi debere, ſi decreverint certam quantitatem alicui de publico præſtari: non eſſe tamen reſcindenda, ſi ob liberalem artem id fuerit conſtitutum. Ob hanc enim cauſam poſſe conſtitui ſalaria. l. I. C. de dec. Decur. Cap. 4. De decret. ab ord. fact.

Privilegia, quæ bonarum artium literarumque doctoribus tribuit ſuperior conſtitutio Conſtantini, conſiſtunt vel in immunitate, vel in honorario, vel in aliqua fori præſcriptione. Sed anteceſſoribus, ut tum appellabantur, hoc eſt, legum & Iuris profeſſoribus, honores etiam iure quodam magis ſingulari additi ſunt. Nam Valentinianus Imp. ſtatuit, Iurisperitos, qui in urbe Conſtantinopolitana longo tempore docuiſſent, vicaria illa dignitate ornari: quam deinde Zeno Imp. ſuis comitibus, qui provincias rexerant, ſummi honoris cauſa conceſſit.

Privilegii, de quo Conſtantinus agit, prima, ut dixi, pars eſt immunitas; ac eam quidem ita donat, ut omnem omnino donare videa-

tur

tur vacationem ab omnibus non ſolum perſonalibus (ut appellantur) ſed & patrimoniorum muneribus. Verum etſi beneficia Principum latiſſime etiam nos interpretari debere dicant Iuriſconſulti: tamen non recuſo, quin verba huius conſtitutionis Conſtantinæ paululum reſtringantur. Mitto, quod Modeſtinus de excuſationibus ſcribens ait. Illud tantum dico, capitationem poſſe facile hic intelligi remiſſam: at non etiam iugationem. Vtor iis verbis, quibus tum Cæſares utebantur. Certe cum a publicis muneribus vacatio generaliter dari dicitur, ſæpius id intelligi ſolet de perſonalibus. Nam patrimoniorum munera, præſertim ordinaria, non temere cuiquam remittuntur: ac ne Pontificem quidem ab iis excuſari, in Pandectis legimus. Et quam acriter reiecti ſint Philoſophi, atque repulſi, qui talem immunitatem petebant, oſtendunt reſponſa, quæ in Iuſtiniani libris ſuperſunt. Cæterum, ut auditoria ipſa, in quibus bonæ & liberales diſciplinæ docentur, tranquilla, & ab omnibus procul turbis ſemota eſſe Leges volunt: ſic etiam æquum fuit privatas profeſſorum ædes non interturbari. Ergo Conſtantinus ſua etiam conſtitutione eſt complexus, quod Arcadius ſcribit, Veſpaſianum, & deinde Adrianum, teſtatos eſſe profeſſoribus datam eſſe immunitatem, ne quem hoſpitio excipere cogantur: quodque Paulus ait, angariarum

l.ult. §.patrimoniorum. De muneribus & hon.
l.in honoribus §. in Philoſophis. De mũ.& hon.
l.profeſſio. C. de muneri. ſpatrim.
l. una C. De ſtud. lib. ur. Ro.

præ-

præſtationem, recipiendique hoſpitis neceſſitatem, non minus iis quam militibus remitti. Sicuti & Conſtantinum hac in re ſecuti ſunt Honorius atque Theodoſius: & alter deinde cum ſuo Valentiniano Theodoſius. l. ult. §. ult. De mun. & honor. l. ab his, De vacat. mun.

Secundum in Conſtantini conſtitutione privilegium eſſe notavi, in ſalario ſive honorario profeſſorum. Extat libro duodecimo Codicis Theodoſiani quædam Conſtantini conſtitutio, in hæc verba: *Nulli ſalarium tribuatur, niſi ei qui iubentibus nobis ſpecialiter fuerit conſecutus.* Meminerat ſapientiſſimus hic Princeps, Alexandrum Severum graviter ſæpe dixiſſe, malum pupillum eſſe Imperatorem, qui ex provincialium viſceribus homines non neceſſarios, neque Reip. utiles paſceret. Sed rurſus intelligebat, improbum ingratumque ſe fore, ſi eos, qui neceſſarii & utiles ſunt Reipubl. non paſceret. Ergo ſpecialiter iuſſit, præceptoribus liberalium ſtudiorum ſalarium dari: aliis adimi; imitatusque eſt Antoninum Pium, quem Capitolinus ait, ſalaria multis ſubtraxiſſe, quos ocioſos eſſe videbat, ac dixiſſe: Nihil eſſe ſordidius, crudeliusve, quam ſi Rempubl. ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. Interea vero bonarum artium doctoribus, per omnes provincias iuſſiſſe & honores & annua ſalaria deferri. Si extaret vetuſtiſſima lex illa Charondæ, qua Diodorus narrat hunc apud ſuos primum conſtituiſſe, publice dari mercedem literarum magiſtris: eam nunc ego lubenter cum Romano- l. ult. C. De prof. & med. l. archiatros. C. de metat.

rum Cæſarum legibus conferrem. Sed ut in eorum, & quidem poſteriorum temporibus nunc conſiſtamus, memorabile illud eſt, quod Caſſiodorus ſignificat: ipſos etiam Gothorum reges, qui in Italia imperabant paulo ante Iuſtiſtinianum, voluiſſe, ſalarii tardius perſoluti profeſſoribus, etiam uſuras deberi. Neque dubito, quin Conſtantino ea lex placuiſſet, ipſique etiam Iuſtiniano. Certe memoriæ proditum eſt, eodem prope tempore Leonem Imp. cum Eulogio philoſopho teſſeram frumentariam dari iuſſiſſet, & quidam ſubmurmurarent, eam militibus potius eſſe dandam, exclamaſſe: Utinam is ſit aliquando temporum meorum ſtatus, ut militum quoque ſtipendia in literarum magiſtros transferre poſſim. Sed cum de honorariis profeſſorum quæritur, imprimis occurrere debet, quod Ulpianus libro 8. de omnibus tribunalibus ſcripſit: & eſt in Pandectas relatum, ubi de extraordinariis cognitionibus agitur. Ait, Præſidem provinciæ de mercedibus ius dicere ſolere, ſed præceptoribus tantum ſtudiorum liberalium: Philoſophis tamen non dicere; non quia non religioſa res ſit philoſophia: ſed quod hoc primum profiteri eos oporteat, mercenariam ſe operam ſpernere. Proinde ne Iuris quidem civilis profeſſoribus ius dicere. Eſſe quidem rem ſanctiſſimam civilem ſapientiam: ſed quæ pretio numario non ſit æſtimanda, nec dehoneſtanda, dum in iudicio honor petitur, qui in ingreſſu ſacramenti offerri debuit. Quæ-

dam

dam enim, tametſi honeſte accipiantur, inhoneſte tamen peti. Hæc Ulpianus.

Cæterum ut nulla etiam petitione hic opus eſſet, nullaque extraordinaria cognitione, effecit hæc, de qua nunc agimus, Conſtantini conſtitutio. Magnum vero alioqui liberalium ſtudiorum privilegium fuiſſe, magnumque favorem in illa, quam ultro Prætor extra ordinem ſuſcipiebat, cognitione, agnoſcere interea debemus. Atque ut magis intelligamus, non profeſſorum tantum, ſed & auditorum & diſcipulorum habitam eſſe rationem: meminerimus, quod a Iurisconſultis reſponſum eſt: Cum filiusfam. Romæ degens ſtudiorum cauſa viaticum ſuum alteri crediđiſſet, a Prætore illi dari extraordinariam & utilem actionem, ut id repetere ipſe poſſit, & abſente patre agere. Sed & in ſtudiorum cauſam filiofam. recte mutuum dari poſſe, neque tum Senatusconſulto Macedoniano locum fore, placuit. Nam & Ulpianus eleganter oſtendit, ad paternæ pietatis officium pertinere, filios non modo alere, ſed etiam in ſtudiis alere. Et tutor iubetur, mercedes pupilli præceptoribus conſtituere. Quod & in cauſa pupillæ dicitur; nam hanc quoque liberalibus artibus inſtituendam eſſe, ait Iulianus. Denique pupillo in bonorum poſſeſſionem miſſo, ex Carboniano edicto non ſolum alimenta præſtanda eſſe, ſed & neceſſarias ad ſtudia impenſas, Paulus ait. Quid reliqua commemorem, favore ſtudiorum, ſingulari iure conſtituta? Prætor abſentiam

l. cum filiusfam. Si cert. pet. l. ſi longius §. 1. De Iudic. l. Iulianus. §. quod dicitur. ad Sc. Maced. l. Macedoniani. C. eod. tit. l. quæ pater filio. Famil. erciſc. l. cum plures §. tutor. D. admin. tut. l. qui filium. Ubi pupil. educ. deb. l. de bonis. §. non ſolum. De Carb. edict.

ſtudiorum cauſa, prope ut eam quæ eſſet Reipublicæ cauſa, iuſtiſſimam eſſe iudicat, & ſingulari favore proſequitur. Sed neque ante annos vigintiquinque, quenquam prætextu publicorum munerum poſſe avocari a ſtudiis & ſchola, reſcriptum eſt. Quæ res facit, ut non omnino etiam inſolens eſſe videatur, quod in hac Conſtantini conſtitutione poſtremo loco notavimus, privilegio quodam & præſcriptione fori defendi profeſſores, ne litis cauſa temere alio avocentur atque diſtrahantur. Quale deinde privilegium & ſtudioſis ipſis diſcipulis conceſſum fuiſſe, Iuſtinianus ſignificat. Scribit enim Conſtantinopolitana in ſchola, Præfectum urbis fuiſſe iudicem adoleſcentum, qui Iuri civili in ea operam dabant. In Beritienſi vero civitate (quæ Legum altera erat Academia) vel præſidem Phœniciæ, vel epiſcopum, vel profeſſores ipſos. Sed quia totam hanc rem apertius poſtea explicuit Fridericus Aenobarbus Imperator, & ſuam conſtitutionem de ſcholaſticorum privilegiis, cum Conſtantini & Iuſtiniani Legibus legi voluit, & ſuperiorum in hoc genere principum beneficia ſuperavit: & nos ex eorum numero eſſe videamur, quibus ille faviſſe videtur: & eius favorem, omnibus noſtri ordinis hominibus, aliiſque magis atque magis notum eſſe cupimus: iuvat, pro coronide, hanc optimi principis Germanici nobilem conſtitutionem ſubiicere. Nam etſi moleſta verboſitate laborare videatur, neque ullam habeat orationis illecebram: tamen nimium

l. nec non. Ex quibus cauſ. mai.

l. 1. & 2. C. Qui ætat. vel prof. ſe excuſ.

nimium non ſolum delicati atque moroſi, ſed etiam ingrati eſſemus, ſi propterea eam faſtidiamus: nimium etiam iniqui, ſi eorum, quibus ſcripta eſt, temporum linguam non excuſemus.

Habita ſuper hoc diligenti inquiſitione epiſcoporum, abbatum, ducum, & omnium iudicum, & aliorum procerum ſacri noſtri palatii examinatione, omnibus qui cauſa ſtudiorum peregrinantur, ſcholaribus, & maxime divinarum atque ſacrarum legum profeſſoribus, hoc noſtræ pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus literarum exercentur ſtudia, tam ipſi quam eorum nuncii veniant, & in eis ſecure habitent. Dignum namque exiſtimamus, ut cum omnes bona facientes noſtram laudem & protectionem omni modo mereantur, quorum ſcientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis eius miniſtris vita ſubiectorum informatur, quadam ſpeciali dilectione eos ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non miſereatur, qui amore ſcientiæ exules facti, de divitibus pauperes, ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt, & a viliſſimis ſæpe hominibus (quod graviter ferendum eſt) corporales iniurias ſine cauſa perferunt? Hac igitur generali & in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam ſcholaribus iniuriam inferre præſumat, nec ob alterius cuiuscunque provinciæ delictum ſive debitum (quod aliquando ex perverſa conſuetudine factum audivimus) aliquod da-

damnum eis inferat: ſcituris huiusmodi ſacræ conſtitutionis temeratoribus & etiam ipſis locorum rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, reſtitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaque infamiæ eis ipſo iure irroganda, dignitate ſua ſe carituros in perpetuum. Veruntamen ſi litem eis quiſpiam ſuper aliquo negotio movere voluerit, huius rei optione data ſcholaribus, eos coram domino vel magiſtro ſuo, vel ipſius civitatis epiſcopo, quibus hanc iurisdictionem dedimus, conveniat. Qui vero ad alium iudicem eos trahere tentaverit, etiam ſi cauſa iuſtiſſima fuerit, a tali conamine cadat. Hanc autem legem inter Imperiales Conſtitutiones, ſcilicet ſub titulo: Ne filius pro patre, &c. inſeri iuſſimus. Datum apud Roncalias, anno Domini M C L V I I I. menſe Novembris.

Fridericus, qui Aenobarbus dictus eſt, Germaniæ Imperator fortiſſimus, princepsque prudentiſſimus, cum totam ſubegiſſet Inſubriam, ut Remp. conſtitueret, iuridicos Italiæ conventus indixit ad Roncalias, civitatem ſupra Padum: ibique paulo poſt, anno ſui Imperii ſexto, edidit hanc de ſcholis, earumque privilegiis legem: quam & in ipſum Conſtitutionum codicem inſeri iuſſit, ut maior illius eſſet auctoritas, magisque perpetua memoria. Nam & ſine his ſcholis, Rempubl. quam conſtituebat, diuturnam eſſe non poſſe videbat, & ſcholas ſine præſidio ſingulari diu conſiſtere non poſſe intelligebat. Meminerat, Lotharium Imp. paulo

ante

ante iuſſiſſe, libros Iuris civilis in lucem revocatos publice prælegi. Audiebat, Carolum magnum debellatis Langobardis, & Papiæ ſcholam inſtituiſſe, & Bononiæ academiam inſtauraſſe. Sed Principum adhuc favore & defenſione hæc gymnaſia opus habere vidit: & ut ea magis atque magis tueretur, ad ſe in primis pertinere iudicavit. Laudatur Alexander Severus Imp. quod non ſua modo purpura protexit, ſed & obiecto ſuo corpore aliquando defendit Ulpianum, adverſus vim & furorem militum irruentium. An non multo maiori dignus laude eſt noſter Fridericus, qui ſcholaſticos ſtudioſorum cœtus multo meliori præſidio texit, & illa in primis divinarum humanarumque rerum ſtudia optima, quantum potuit, fovit?

Sunt autem huiuſce conſtitutionis præcipua capita duo. Primum illud & ſummum eſſe interpretamur, ne qua pro alio oppignoratione, ac veluti manus iniectione ſcholaſtici tenerentur, aut vexarentur. Ut quod poſtea in hoc genere ſuis clericis tribuit Gregorius XI, multo meliori iure Fridericum intelligamus ſtudioſis ſcholaſticis tribuiſſe: ut certe in his erat maior, meliorque, quam in illis, ſpes & portio Eccleſiæ. Suſtulerat quidem olim Iuſtinianus in univerſum tales (ut appellat) ἐνεχυριασμοὺς, vel (ut veteres appellarunt) ἀνδρολήψίας. Sed cum barbara deinde tempora in uſum revocaſſent talem barbariem, novo fuit opus privilegio, ut ſaltem ſchola-

ſtici hoc vinculo vinciri, & a ſtudiis abduci non poſſent. Huc autem proprie pertinere hanc conſtitutionem, ipſe etiam indicat titulus, ad quem eam referri diſerte præcepit Fridericus. Eius enim tituli argumentum eſt, ne alius pro alio conveniatur.

Alterum huius legis caput eſt, & beneficium, ne litium occaſione diſtrahantur ſtudioſorum conventus, aut ſcholaſtici iniquis iudiciis vexentur. Hos itaque, ſi qua lis ſit, poſſe ſibi iudicem deligere, vel doctorem ſuum, vel epiſcopum. Hic enim rurſus iis tribuitur, quod clericis tribui ſolet. Et quos tandem vel Epiſcopus vel Eccleſia magis clericorum loco habere debet, quam adoleſcentes bonæ ſpei, ſtudioſos religionis atque literarum? Milites, ne a ſuis ſignis avocentur, ſi litigandum ſit, ducem ſuum habent iudicem. Placuit, deteriori vel loco vel conditione ſcholaſticos eſſe non debere. Longior in hac cauſa fortaſſe fui, quam eſſet neceſſe, quamque prius ipſe propoſueram: ſed amor & reverentia bonorum ſtudiorum longiorem me fecit: & boni viri facile in hac cauſa homini in ſcholis educato ignoſcent.

l. mag. C. de Iurisd.

l. ult. C. de re mil.

Ut eos qui ingenia excolerent, mirifice complexus Conſtantinus eſt: ſic & bonos agricolas, qui Reipub. valde neceſſarii ſunt & utiles, adiuvare, remque ruſticam tueri, ut debuit, etiam voluit, neque ſuperſtitione aliqua ab hoc favore abduci ſe paſſus eſt. Extat eius conſtitutio in hæc verba:

l. 3. C. de feriis.

Omnes

Omnes iudices, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die ſolis quieſcant. Ruri tamen poſiti, agrorum cultura libere licenterque inſerviant: quoniam frequenter evenit, ut non alio die aptius frumenta ſulcis, & vineæ ſcrobibus commendentur: & ne occaſione momenti pereat commoditas, cœleſti proviſione conceſſa.

Superſtitioſam dierum obſervationem, quæ vel aliqua religione conſcientias hominum obſtringere vellet, vel tanquam Dei cultus, omnino neceſſaria eſſe fingeretur, & eius pars quædam omnino haberetur, vel denique ad veteris Iudaiſmi morem exigeretur, religionis veræ ratio non admittit. Sed politiæ & ordinis civilis gratia, aliquod in ipſa etiam Eccleſia dierum diſcrimen, quod populus obſervet, eſſe oportet. Illud vero ipſum ſic indixit Conſtantinus, ut neque ad ſuperſtitionem aliquam deflecteret, neque noceret Reip. Leges de feriis olim pertinuiſſe ad ius Pontificium, Cicero ſcribit in libris de Legibus. Sed profano illo iure ſublato, ad ſuam eas curam Conſtantinus, ut politiam Eccleſiaſticam, ſapienter revocavit. Quid primum hic ſtatuerit, Sozomenus ſcriptor hiſtoriæ Eccleſiaſticæ his verbis exponit: τὴν κυριακὴν καλουμένην ἡμέραν, καὶ τὴν πρὸ τῆς ἑβδόμης ἐνομοθέτησε δικαστηρίων καὶ τῶν ἄλλων πραγμάτων σχολὴν ἄγειν πάντας, καὶ ἐν εὐχαῖς καὶ λιταῖς τὸ θεῖον θεραπεύειν. Quod, de die ſexto, quem Veneri

aſcribere ſolemus, ſcribit, addititium videtur. Nam neque ulla eius in Conſtantini lege mentio eſt: neque temere cumulandæ feriæ ſunt. Diei dominici (ut nunc quoque vocatur) meminit ipſa quoque Ioannis Apocalypſis: ut antiquiſſimam eſſe obſervationem meminerimus. Quibus autem ſtudiis Conſtantinum ait Sozomenus voluiſſe eum diem, quo alioqui ab aliis negotiis ocium & quies eſt, occupari, libenter equidem audio & accipio. Sed opera tamen ruſtica, in quibus vel mora vel procraſtinatio magnum haberet periculum, prudenter excipi, Reip. intererat: & ſalva religione fieri potuit. Certe ne ipſis quidem olim ethnicis, ſi qui in media illa ſuperſtitione paulo cordatiores fuerunt, hæc prudentia defuit. Narrant Scævolam conſultum, quid feriis agere liceret? reſpondiſſe: Quod prætermiſſum noceret. Quid? quod CHRISTVS diſertis verbis in hoc genere docuerat, homines etiam profani ſecuti ſunt.

Extat enim hæc quoque apud Macrobium ſententia: Si bos in ſpecum incidiſſet, eumque paterfam. adhibitis operis liberaſſet, non eſt viſus ferias polluiſſe. Athenienſes quidem aliquando maiori ſuperſtitione coluerunt ſua illa Plynteria, quam ſua unquam Iudæi Sabbatha. Nam iis diebus non modo, vel ſi ſumma urgeret neceſſitas, quicquam facere nefas eſſe putabant, ſed templum etiam claudebant. O ſemper ineptas, nimiſque otioſas ſtultorum ferias.

Xenoph. lib. I. ἑλλην.

Sed

Sed graviores fuerunt Romani, quam ut tam valde vel inſanirent, vel ineptirent. Ergo & ab eorum poetis audire Conſtantinus potuit:

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & iura ſinunt; rivos deducere, nulla
Religio vetuit: ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

Columela libro 2. de Re ruſt. cap. 22. laudat hæc Virgilii carmina: idemque veteres Pontificum Romanorum leges hac de re commemorat, & cum Virgilii verſibus confert atque committit.

Sed & Traianum reſcripſiſſe ait Vlpianus, ea quæ ad diſciplinam militarem pertinerent, etiam feriatis diebus peragenda eſſe. Idipſum itaque Conſtantinus ſtatuit de iis, quæ ad rem ruſticam pertinerent. Difficile eſt autem hic homines ita continere, ut modum ſervent, neque aut fanatici ſint, aut profani. Sane Leo, qui poſt Iuſtinianum imperavit, lege lata iusſit, σχολάζειν κατὰ τὴν κυριακὴν καὶ τοὺς γεωργούς. Scio quæ fuerit Græculorum, eo præſertim tempore, & vanitas & ſuperſtitio. Potuit tamen iuſta eſſe cauſa, cur Leoni aliud placuerit quam Conſtantino. Neque tamen agricolas eſſe profanos voluit Conſtantinus, aut a ſacris alienos aut vero ſic ſuis ſemper operibus tanquam glebæ addictos, ut nihil haberent otii ad cultum Dei & curam religionis; ſed ubi iuſta eos cauſa evocaret, & neceſſitas premeret, noluit ſuperſtitione retardari. Ipſe etiam

l. penult. de feriis.

Mo-

Moſes, cum ſolennes ſuos dies feſtos inſtitueret, agriculturæ & operum ruſticorum rationem habuiſſe videtur: ut quum nihil eſſet quod in agris ageretur, eo maxime tempore ferias religioſas indixerit: & tamen eum etiam modum ſervavit, ut præter Sabbata, toto anno, non niſi ſeptem dies feriatos eſſe iuſſerit. Sane ut magis atque magis opera illa ruſtica, ne interturbarentur, adiuvaret Conſtantinus, alteram quoque legem edidit, his verbis: *Nunquam ſationibus vel colligendis frugibus inſiſtentes agricolæ, ad extraordinaria onera trabantur; cum providentiæ ſit, opportuno tempore his neceſſitatibus ſatisfacere.*

l. 1. C. De agric. & cenſ.

Scribit Ulpianus, Marcum Imp. oratione olim ſua expreſſiſſe, ne quis meſſium vindemiarumque tempore adverſarium cogat in iudicium venire: quia occupati circa rem ruſticam, in forum compellendi non ſint. Rationem hanc magis explicat Calliſtratus: Deſtituetur (inquit) annonæ præbitio, ſi avocentur ab opere ruſtici. Omitto illud Ciceronis in Verrem: Miſerum atque iniquum eſſe, ex agro homines traduci in forum, ab aratro ad ſubſellia, ab uſu rerum ruſticarum ad inſolitam litem atque iudicium. Illud dico, iuſtas ſaltem fuiſſe meſſium vindemiarumque tempore ferias, ut interea forum a iudiciis frigeret, cum ferueret opus in agris. Haſce res prolatas (ſic enim a Romanis appellabantur) in omni Repub. neceſſarias eſſe, nemo non videt. Ac eo tamen tempore ius dici poſſe de rebus, quæ tempore

l. 1. De Feriis.

l. 2. De mund.

peri-

perituræ ſunt, aut ſi dies actionis exiturus eſt: aut ſi cauſa ſit, cuius favor omnem moram reiicit, veluti ut tutores dentur, ut alimenta conſtituantur, iurisconſulti prudenter tradiderunt. Ut vero ad onera extraordinaria diſtrahantur agricolæ, quo maxime tempore rei ruſticæ incumbere debent, vix ulla ſatis iuſta cauſa eſſe poſſe videtur. Id enim ſi temere fiat, non modo (quod ait Poeta) abductis ſqualebunt arva colonis: ſed & civitates contabeſcent, & reſpublica propter annonæ inopiam in ſummum diſcrimen veniet.

Cæterum quia agricolæ ruri fruſtra erunt, & erunt ocioſi, niſi ſi ſuo inſtrumento utantur: Conſtantinus tertiam quandam in hanc quoque rem tulit legem ſingularem, quam cum Sirmii in Pannonia eſſet, ad omnes provinciales ſcriptam edidit his verbis: *Executores, a quocunque iudice dati ad exigenda debita, quæ civiliter poſcuntur, ſervos aratores, aut boues aratorios, aut inſtrumentum aratorium, pignoris cauſa, de poſſeſſionibus non abſtrahant: ex quo tributorum illatio retardatur. Si quis igitur interceſſor, aut creditor, vel præfectus pagi, vel vici, vel decurio, in hac re fuerit detectus: æſtimando a iudice ſupplicio ſubiugetur.* l. executores. C. quæ res pign. dari poſſ.

Hæc conſtitutio proponitur etiam lib. II. Codicis Theodoſ. non iiſdem omnino quidem verbis, ſed eadem prope ſententia: & paulo etiam liberaliori, cum ne tributorum quidem nomine capi velit inſtrumenta ruſtica. Secuti &

Con-

Conſtantini exemplum. Honorius & Theodoſius II reſcripſerunt in univerſum, pignorum gratia aliquid, quod ad culturam agri pertinet, auferri non debere. Scribunt autem ad Probum Comitem ſacrarum largitionum, ad quem pertinebat procuratio fiſcalis pecuniæ, quæ liberalitati principum ſubſerviret. Ut tanto magis intelligamus, hoc quoque reſcriptum eo pertinuiſſe, ut ne eius quidem pecuniæ nomine inſtrumenta ruſtica tenerentur. Sane Quintilianus ipſe lib. 8. cap. 9. ſignificat legem aliquam Romæ fuiſſe, quæ vetabat aratrum pignori accipere. Sed & Moſaica lex olim vetabat, molarum, ſine quibus annona præberi non poteſt, ſaxum ſuperius, atque inferius oppignorari. Moſes haſce duas molarum partes appellat Rachaim & Raceb. Noſtri Iuriſconſulti, Catillum & Metam. Sed non minus neceſſaria ſunt ad uſum hominum, & tuendam humani victus rationem, quæ ad agros colendos neceſſaria ſunt. Quid multis? Annis poſt Conſtantinum prope nongentis, Imp. Fridericus conſtitutionem edidit, quæ teſtis eſſet omnibus temporibus, bonis principibus valde rem hanc curæ eſſe. Illius verba ſi quis requirat, aſcribere hoc loco non gravabor, cum & ad Conſtantini legem proxime accedant, & edictum Reip. ſalutare, & ſæpe etiam repetendum contineant, & vero propterea etiam in Codicem Iuſtiniani inſerta ſint.

l. pignorũ. C. quæ res pign. obli. poſſ.

Agricultores circa rem ruſticam occupati, dum villis inſident, dum agros colunt, ſecuri ſint

in

in quacunque parte terrarum: ita ut nullus inveniatur tam audax, ut perſonas, boves & agrorum inſtrumenta, aut ſi quid aliud ſit, quod ad agrorum operam ruſticam pertineat, invadere, aut capere, aut violenter auferre præſumat. Si quis autem huiusmodi ſtatutum auſu temerario violare præſumpſerit: in quadruplum ablata reſtituat, infamiæ notam ipſo iure incurrat, imperiali animadverſione nihilominus puniendus.

Diodorus Siculus libro ſecundo ſuæ Bibliothecæ, laudat quidem Græcos antiquos legumlatores, qui, ne inſtrumenta ruſtica pignori caperentur, etiam prohibuerunt: ſed eosdem valde reprehendit, quod interea permitterent ruſticos ipſos & agricolas capi, atque in carcerem abduci. Conſtantinus vero cum eorum etiam raſtris caveret, corporibus certe multo magis caviſſe intelligendus eſt. Dixit aliquando Cicero, nihil tam regale videri, quam ſtudium agri colendi. Sed multo tamen (ut ita loquar) regalius eſſe ſenſit Conſtantinus, ſtudium agri colendi bonis ſanctisque legibus tueri atque adiuvare. Itaque & ne aliquando agrorum cultura desereretur, ſtatuit aſcriptos colonos a prædiis diſtrahi, etſi id domini velint, non poſſe. Nam & hi coloni, fundorum magis, quibus adſcribebantur, ſervi erant, quam ipſorum dominorum. Nam etſi ab his manumitterentur, tamen glebæ addicti manebant, cætera licet liberi: cumque filiis agros adhuc eosdem colere tenebantur. Viſa etiam eſt veteri-

bus

bus utilis in Republ. conditio talium agricolarum, quæ rem ruſticam bene tueretur. Neque tamen hos prædiis magis alligavit Conſtantinus, quam eſſe alligandos prudens antiquitas iudicavit. In Pandectis extant veterum prudentum reſponſa: Inutile eſſe legatum, ſi quis inquilinos (inquilinos vocant colonos aſcriptitios) ſine prædiis, quibus adhærent, legaverit. Quid Conſtantinus? Ne ipſos quidem dominos, cum prædia alienant, poſſe ſibi colonos illos retinere, ſtatuit. Sic enim ait: *Si quis prædium vendere voluerit, vel donare; retinere ſibi transferendos ad alia loca colonos privata pactione non poſſit. Qui enim colonos utiles credunt, aut cum prædiis eos tenere debent, aut profuturos aliis derelinquere, ſi ipſi prædium ſibi prodeſſe deſperent.*

l. 112. De legat. 1.

l. ſi quis prædium. C. de agri. & cenſi.

l. poſſeſſionum. C. commun. utriusque iud.

Fuit autem illud magnæ interea humanitatis, quod alia lege ſtatuit, cum inter cohæredes vel ſocios bona dividuntur, ne dividutur, aſcriptitiorum agnatio, aut affinitas: ſed apud unum tota & integra maneat. Cum agnationem ſeparari vetat, intelligit & filios ſequi patrem aſcriptitium. Affinitatis vero nomine, coniuges ipſos non divelli ſignificat.

Priusquam Conſtantini leges de re ruſtica miſſas faciam, adiicienda una eſt, quæ quidem in Iuſtiniani Codice non eſt, ſed extat apud Iulium Frontinum de limitibus agrorum in hæc verba:

IMP.

IMP. CONSTANTINVS AD UNIVERSOS PROVINCIALES.

Si finalis controverſia fuerit, tunc demum arbiter non negetur, cum intra quinque pedes locum, de quo agitur apud præſidem, eſſe conſtituerit: cum de maiore ſpacio cauſa quædam non finalis, ſed proprietatis, apud ipſum præſidem debeat terminari. Et ſi ſocius quid petat a ſocio, ante præſes iudicet an præſtari aliquid oporteat: & tunc demum illud per arbitros reſtituatur, quod conſtiterit eſſe ſolvendum. Dat. K. Auguſt. Baſſo & Abladio Coſſ.

Conſtantinus hac conſtitutione non tam ius aliquod novum edere, quam veterem XII. Tabularum Maniliamque legem, ſive, ut alii legunt, Mamiliam, confirmare videtur. Cicero lib. I. de legibus ait: In controverſia de finibus, uſucapionem XII. Tabulas intra quinque pedes eſſe noluiſſe. Videbant huius legis autores decemviri, rei ruſticæ & agriculturæ cauſam poſtulare, ut inter agros confines, vacuum aliquod liberumque ſpatium eſſet, quo uterque vicinus non ſolum ire, agere, ſed & aratrum circumvertere commode poſſet. Itaque iuſſere quinque pedes medios ita relinqui communes utrique vicino, atque ita veluti publicos, ut ne uſucapi quidem ab aliquo privatim poſſent. Secuta eſt lex Manilia, ſive Mamilia, cuius eodem etiam loco Cicero meminit, ut arbiter fines ita regeret: nempe ut de his quinque pedum finibus contro-

verſia non tam iudicis cognitionem, quam agri menſoris artem & operam requireret. Magis enim facti, quam iuris quæſtio in ea verſabatur. Si de maiori ſpatio lis erat, iam certe proprietatis controverſia eſſe de loco, non de fine dicebatur, & ad iudicis cognitionem pertinere. Aggenus Urbicus Frontini vetus interpres, multo id etiam magis explicat. Sed res longiorem interpretationem non requirit. Conſt. autem lex eo tantum pertinet, ut ius hoc vetus obſervetur.

Sed videndum eſt, ne Theodoſius, qui ſecutus eſt, aliud ſtatuerit. Sed quoniam ad Theodoſium magis id pertinet, quam ad Conſtantinum, & de Theodoſio (quem alterum Conſtantinum fuiſſe dicere ſoleo) dicere etiam aliquando copioſius inſtitui, & me Conſtantini leges aliæ conſtrictum tenent, intra harum nunc metas meam orationem continebo. Cæterum quæ ratio annonæ fecit, ut agricolis valde faveret Conſtantinus: fecit eadem, ut nautarum qui importando commeatui ſervirent, bene conſultum eſſe vellet. Itaque edita lege edixit, nullam vim oportere naucleros, eos præſertim qui annonarias ſpecies transferrent, ſuſtinere, nullas aut concuſſiones perpeti aut moleſtias, ſed venientes ac remeantes omni ſecuritate potiri: ſtatuitque decem librarum auri mulctam proponendam eſſe his, qui eos (ut loquitur) inquietare tentaverint.

l. 1. C. de navicul.

Sane ut res ruſtica valde in Republ. neceſſaria eſt, & propterea a Conſtantino adverſus omnem vim defenſa: ſic & res nautica non minus

nus

nus digna fuit quam tueretur, ab eaque omnem iniuriam arceret, præſertim cum alioqui multis expoſita ſit piratis. Ac quidem lex Rhodia diligenter, quicquid in hoc genere deſiderari videbatur, complexa erat: ad eamque ſolebant Romani principes reiicere cauſas navales. Sed aliquando etiam ſuam ipſi curam interponebant. Nam & Arcadius & Honorius edixere, ut qui in naucleros prædas egiſſent, pœna quadrupli tenerentur. Illud quoque naviculariorum collegio tribuit, quod cohortibus militum ſingulari iure tribuerat, ut ſi quis ſine legitimo hærede navicularius decederet, hæreditas non ad fiſcum, ſed ad conſortes deferretur: ſicuti & cum unus ex his, quibus communiter a Principe donatum aliquid erat, moreretur ſine hærede, ſocio eius partem accreſcere potius, quam ad fiſcum redire voluit. Adeo privatorum ſingulorumque hominum maiorem plerumque habuit, quam ſui fiſci, rationem.

l. 3. C. de navicul.

l. 1. 2. & 3. C. De hered. Decur.

l. una. C. Si Imp. lib. ſoc. ſine hæred. deceſſ.

Sed (ut ad rem nauticam revertar) cum multis in rebus ſæpe id oſtendit, tum vero maxime, cum de naufragiis ageretur. Hæc enim eius lex eſt: *Si quando naufragio navis expulſa fuerit ad littus, vel ſi quando aliquam terram attigerit: ad dominos pertineat, fiſcus meus ſeſe non interponat. Quod enim ius habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur?*

lib. 11. Cod. tit. 5.

Nongentis poſt annis non diſſimilem in Germania conſtitutionem edidit Imp. Fridericus II. ut bonis ſemper principibus curæ fuit, Conſtantinum imitari, eiusque leges, ſi quæ obſo-

leviſſent, renovare. Certe tam ſolicitæ fuere Romanæ leges, periculis ut naufragiorum occurreretur, ut etiam menſibus hybernis, quibus periculoſa eſt navigatio, maria claudi voluerint. Sed & ſi tempeſtate facta iactura ſit, infelicibus dominis ſuccurrunt, ſi quo forte caſu in littus eiectæ res eorum ſint. Ac Ulpianus quidem fatetur, ſi iactus ex navi factus ſit animo derelinquendi, eum qui invenit & abſtulit, non modo furti non teneri, ſed etiam ſuum facere; animum autem illum derelinquendi non temere præſumi, ſed non niſi aliquando, ut cum res ita in medium mare abiectæ ſunt, ut dominus plane deſperaret enatare eas poſſe, & cum perituras omnino crederet, pro derelicto habuiſſe intelligitur. Sed niſi ſi hic animus iacientis fuerit, furti alium teneri, qui eas res in littore inventas abſtulerit, nec domino reddere velit. Poſt Ulpiani ætatem in eas videntur fiſci procuratores, manus ſuas tanquam uncos avare iniicere, atque ita finire litem inter dominum & inventorem voluiſſe. Sed hanc iniuriam prope piraticam eſſe, ſenſit Conſtantinus, & infelici domino, cui mare pepercerat, naufragii ſui tabulas colligenti, humanius opitulatus eſt: neque temere, opinor, obiici illi voluiſſet, præter eius ſpem inventas eas eſſe: & cum iacturam faceret, animum derelinquendi habuiſſe. Certe cur in re dubia potius contra fiſcum pro domino reſpondeatur, magna cauſa eſt: neque qui hoc faciet, delinquere iudicandus eſt.

l. falſus. §. ſi iactum. de furt.

l. non puto. de iure fiſci.

Ex

Ex his, quæ hactenus dixi, intelligi facile poteſt, quam nihil eorum prætermiſerit Conſtantinus, quæ in Republ. neceſſaria eſſe, iuſtaque cognoſcebat. Sed multo id etiam magis ex his intelligemus, quæ ſequentur, & quæ nos, quam poſſumus optimo ordine, ſubiungemus.

Ut neceſſaria eſt ad hominum educationem agricultura, ſic & ad eorum procreationem coniugium. De quo tanto magis fuit Conſtantino neceſſe aliquid ſtatuere, quod Licinium videret hoc agere, ut ſublatis legibus Rom. novas de nuptiis, & barbaras atque adeo inceſtas leges (ſi leges dicendæ ſunt) inveheret. Ergo inceſtam huius tyranni barbariem repreſſit Conſtantinus, confirmata (ut Euſebius teſtis eſt) veteris iuris Civilis, quod de nuptiarum ratione honeſta præcepta continebat, auctoritate. Certe Heliopolitanis, apud quos moris erat, non modo uxores, ut eſſent communes, ſed & peregrinis puellas proſtitui, cum religionem traderet, tradidit etiam ius & legem honeſti coniugii, & turpes illas vagasque libidines repreſſit. Sed quam hac tota in re nihil prætermiſerit, quod a Chriſtiano caſtoque principe requiri poſſet, diſertis verbis a Sozomeno proditum eſt. Sic enim de Conſtantino loquitur: *Φαίνεται τὰς ἀκολάςους καὶ καταβεβλακευμένας μίξεις πρὸ τούτου μὴ κωλυομένας, ἐπανορθώσας, ὡς ἐξ αὐτῶν ἐςὶν ἰδεῖν τῶν περὶ τούτων κειμένων νόμων.* Quæ fuerint hæc a Conſtantino latæ leges

Lib. 9. hiſt. Eccleſ.

Socrat. l. 1.

Lib. 1.

de nuptiis, equidem certo dicere non poſſum: ſed Romanis atque Moſaicis fuiſſe perſimiles (vix enim honeſtiores ferri poſſent) facile mihi perſuadeo. Sed in Oriente uſus earum & autoritas, niſi vindex Conſtantinus adfuiſſet, retineri vix poterat. Et vero ſi quid in hoc genere Romani prætermiſerant, quod honeſte Moſes ſtatuiſſet, non erat negligendum. Certe lib. III. Cod. Theodoſ. extat filiorum Conſtantini conſtitutio, quæ vetat nuptias contrahi, & iuſtas eſſe non poſſe ſtatuit, inter levirum & fratriam, interque ſororium atque glorem. Id poſteriores quoque Cæſares edixere. Nulla tamen ante Conſtantini tempora, Romæ lex, talem affinitatem nuptiis impedimento eſſe dixerat. Sed cum legibus Moſaicis cautum iam olim ſatis id eſſet, non putarunt Chriſtiani principes eſſe prætermittendum.

l. penult. & ult. C. de inc. nupt.

Illud neſcio an excuſari facile poſſit, niſi ſi temporum moribus imputetur, quod adverſus concubinas, earumque uſum, parum ſeverus fuiſſe videatur Conſtantinus. Audierat quidem miniſtrorum Eccleſiæ ædibus abactas atque expulſas Nicæno decreto eſſe *συνεισάκτους*, & harum conſuetudine illis plane eſſe interdictum. Sed in alio hominum genere concubinas ita maritis eripit, ut cœlibibus relinquere videatur. Eius conſtitutio hæc eſt: *Nemini licentiam concedimus, conſtante matrimonio, habere concubinã.*

l. una. C. de concub.

Qui concubinam nihil aliud fuiſſe putant, quam domeſticum ſcortum atque meretricem, mirantur a Conſtantino permitti, & cœlibi tamen

men ſolum permitti. Si dicam, difficile eo tempore fuiſſe, in Oriente præſertim, diſſolutos hominum mores & vagas libidines revocare ad ſeveram aliquam continentiam: magnumque quippiam fuiſſe, viris coniugatis pellices eripuiſſe: dicerem quod verum eſt. Sed ſi concubinas tanquam uxores fuiſſe dixero, de Conſtantini lege minus iam aliquis mirabitur. Quid de concubinis ſenſerint veteres Romani, oſtendunt Iuriſconſultorum reſponſa in Pandectis. Sed valde profecto acceſſiſſe ad uxorum ſpeciem videntur, etſi non eo ritu ducerentur, nec eodem plane loco & honoris honeſto gradu haberentur. Ac ſi quidem de omnibus concubinis conſtitutum fuiſſet, quod de liberta ſui patroni concubina: ad honeſti alicuius coniugii rationem propius etiam concubinatus acceſſiſſet. Illa enim non amittebat propterea nomen honeſtæ matronæ. Imo vero nec a patrono diſcedere impune poterat: nec ſe, eo relicto, alii in concubinatum dare: & ſi alius cum ea rem habebat, ſtuprum committere dicebatur. Hæc certe uxorum conditioni valde ſimilia ſunt. Et vero quæ iure Moſaico permittebantur etiam concubinæ, revera coram Deo uxores erant, tametſi in foro civili non eodem loco haberentur. In Rep. tamen Romana, Conſtantini præſertim & Iuſtiniani temporibus, concubinæ magis repreſſæ ſunt. Nam & Iuſtinianus duas ſimul habere concubinas vix permittit, quia duas ſimul habere uxores non liceat: & hic Conſtantinus cum uxore concubinam

l. ſi uxor. ad leg. Iul. de adult.

Cap. 16. de his quæ ut indig.

non ferat. Non adhibebantur in concubinatu ea ſolennia, quæ in nuptiis: non dabatur dos: nullæ denique tabulæ coniugales ſcribebantur. Sed ne ea quidem omnino neceſſaria in nuptiis ſunt. Quod eſt præcipuum, thori nempe, ſive thalami ſocietas, ſi ſancte coleretur, erat etiam in concubinatu. Ille apud Plautum in Trinummo adoleſcens Lesbonicus, ſuam ſororem, alteri etiam indotatam volenti, atque petenti, uxorem ſine dote dare non vult: & hanc rationem adfert, ne in concubinatum magis quam in matrimonium dediſſe videatur. Non erat quidem dos omnino neceſſaria, ut matrimonium eſſet: ſed erat ſaltem aliquod matrimonii non ſolum ſubſidium, ſed & ornamentum quoddam, & vinculum. Si tamen hoc unum deerat, poterat & ex concubinatu factum matrimonium intelligi: ut ſine dote, ſine tabulis, ſine ſolennibus ullis eſſe coniugium poteſt. Sane Hieronymus in quadam epiſtola ad Oceanum, neſcio quid obſcure attingit, de concubinis factis uxoribus. Sed illud aperte dicendum, etſi leges Romanæ fateantur magnum inter uxores & concubinas eſſe diſcrimen: tamen perpetuam aliquam notam, qua hæ ab illis diſcerni & dignoſci poſſint, nullam produnt. Et Papinianus ingenue agnoſcit, difficile eſſe hoc deprehendere, cum loquitur de donatione, quæ facta concubinæ valet, uxori facta non valet. Modeſtinus vero, in tit. De ritu nupt. In liberæ (inquit) mulieris conſuetudine, non concubinatus, ſed nuptiæ intelliguntur, ſi non corpore quæſtum fecerit.

Neque

Neque vero diſſimulare volo, Conſtantinum nimis fortaſſe acerbe, Senatorum, vel qui in aliqua dignitate eſſent, cum vilioris vitæ & conditionis feminis coniunctionem exagitaſſe: & filiis, qui ex ea naſcerentur, valde infeſtum fuiſſe. Extat hæc eius conſtitutio de naturalibus liberis, quæ profecto legem Iuliam Papiam ſuperat. Interea fuit & illud nimis diſſolutæ indulgentiæ, quod Conſtantinus impunitum eſſe patiatur, commiſſum cum ancilla caupone vel ſtuprum, vel adulterium: & ab iis mulieribus, quæ matrisfam. nomen non obtinent, pudicitiæ rationem non requirat. Solent quidem, quod Conſtantinus ait, vulgatæ eſſe pudicitiæ, quæ in cauponis ſerviunt: imo vero Hebræi una eademque voce meretricem & cauponariam mulierem nominant; quaſi eiusdem etiam generis ſint. Sed vellem, fuiſſent paulo ſeveriores pudicitiæ vindices, qui populo Chriſtiano leges dabant. Cæterum hæc Romani moris & receptæ conſuetudinis vitia fuerunt, quæ ſic inveterata erant, ut a Conſtantino aut tolli, aut corrigi non facile poſſent. Fatetur quidem Ulpianus, & in ea uxore poſſe maritum adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit. Sed vulgarem vocat vilioris vitæ, & iam proſtitutæ pudicitiæ feminam: nondum tamen ea publice infamia notatam, ut etiam matrisfam. nomen amiſerit. Nam hoc amiſſo, impune Romæ ſcortabantur

l. quæ adulterium. C. ad leg. Iul. de adulter.

l. ſi uxor. §. ſed & in ea. ad l. Iul. de adulter.

mulieres. Sicuti & Suetonius in Tiberio narrat, fœminas impudicas notam alicuius famoſi iudicii ultro ſubiiſſe, ut iure & dignitate matronali exolverentur, ad vitandas legum pœnas. Si hoc in genere ſeveriorem Conſtantini cenſuram Roma iis temporibus non ferebat: multo in Oriente magis, ubi diſſolutiores erant libidines, repudiata fuiſſet. Quid faceret? Publica lupanaria, & Romanorum & Græcorum veteres leges tolerabant. At divinæ non tolerant. Has profecto potius, quam illas, ſequi pius caſtusque princeps debebat, præſertim cum videret, cuius intemperantiæ non modo exemplum, ſed etiam licentiam Romæ dediſſet libidinoſus Maxentius. Sed ut Conſtantini hac in parte non excuſem indulgentiam (neque enim quæ vitioſa ſunt, excuſari debent) certe tam erant ea ad omnem impudicitiam proiecta tempora, ut ſtatim ad meliorem frugem revocari, & caſta diſciplina arctius coerceri non facile poſſent.

Audiebat Conſtantinus ſuum Lactantium concionantem, lupanaria non alium habere autorem quam Satanam. Tantum abeſt ut a Chriſtiano principe permitti recte poſſint. Sed non efficiebat, neque fortaſſe poterat, quæcunque volebat. Quanquam lenonibus minime quiduis indulſiſſe, teſtis eſſe poteſt quædam eius conſtitutio, quæ de iis extat lib. XV. Cod. Theodoſ. Sed & ſacrilegos nuptiarum (ſic enim adulteros appellat) gladio puniri iusſit. Iuſſit eum tutorem, qui pupillam ſuam con-

l. quamvis. §. ult. C. ad leg. Iul. de adult.

conſtuprat, quem ſupplicio raptoris dignum eſſe fatetur, ut eſt, ſaltem deportari, publicatis bonis. Denique raptores virginum ac viduarum acerbiſſime puniri iuſſit. Sed hæc ad capitalia iudicia pertinent. Ut autem nuptiales Conſtantini leges perſequamur: iis prohibita fuiſſe connubia virorum aliqua dignitate præditorum, cum ancillis, aut mulieribus vilioris & abiectæ conditionis, dubium non eſt: & liberos ex ea coniunctione natos referri inter nothos. Quæ lex poſteritatem varie exagitavit. Ac primum quidem Martianus Imp. ſua interpretatione illam molliit. Sed non multo poſt Iuſtinianus plane abrogavit. Libera enim coniugia eſſe debere, placuit.

l. una C. ſi quis eam cuius tut. fu. corrup. l. 3. C. de inceſt. nupt. l. 1. C. de natur. lib.

Ut autem veteres quidam plus iuſto difficiliores fuiſſe videntur, & ſeveriores in quorundam connubiis, ne contraherentur, impediendis, ſic etiam aliquando fuere indulgentiores in diſſolvendis. Quam enim multas, quamque faciles divortiorum cauſas reliquerunt? Sed hæc, quæ noſtris moribus recte ſublata ſunt, nunc pluribus verbis perſequi nihil attinet. Cui enim bono? Illud non prætermittam, quod duabus conſtitutionibus edixit, de ſponſalitiis donationibus, & donationibus propter nuptias, confundens quod veteres inter eas obſervabant diſcrimen. Quæ ſimpliciter ſponſus ſponſæ donabat, nullam intelligebantur conditionem continere, quæ nuptiis non ſecutis, locum repetitioni faceret. Imo

l. multum intereſt. C. de donat. ante nupt. quod per reſid. C. illo tit.

vero

vero illa ipſa in dotem dari poterant. Quod vero non ſola affectione ſecreta, & ſpe quadam nuptiarum donatum eſſet, ſed ea omnino cauſa & conditione, veteres quoque fatebantur condici poſſe nuptiis non ſecutis. Conſtantinus, an hanc diſtinctionem, eiusque rationem ſatis animadverterit, neſcio: cæterum edita lege damnavit quorundam veterum ſententiam, qui donationes inter ſponſam, voluerunt nuptiis quoque non ſecutis ratas eſſe. Ipſe vero contra ſtatuit: ut potius intelligantur factæ ob cauſam futuri matrimonii: ut is, per quem ſteterit, quo minus nuptiæ ſecutæ ſint, vel quod accepit, reſtituat: vel quod dedit, amittat. Vetus illa Romana lex eſt, ut quod ob rem cauſamve honeſtam datur: ea non ſecuta, condici poſſit, & repeti. Neque ſemper neceſſe eſt, cauſam illam verbis expreſſam eſſe. Satis eſt, ſi ex iis, quæ aguntur, & negocii ipſius circumſtantiis ſubeſſe intelligatur. Si is ſolus, qui dabat, in cauſam illam ſecreta ſua cogitatione intuebatur: neque alioqui is, qui accepit, de ea quicquam cogitat: pura profecto haberetur & liberalis donatio, neque propter cauſam non ſecutam eſſet condictioni locus. Sed cum ſponſæ ſuæ donat ſponſus, vel ediverſo ſponſo ſponſa: Conſtantinus propter nuptias magis donari iudicat, & futurarum nuptiarum cauſa datum potius videri: idque actum, & ab utroque proviſum ſatis intelligi. Cæterum quia Romanæ

l. 1. §. l. ſi filius. De cond. cauſ. dat. l. in ſumma §. ſed & agere. De cond. ind. l. 3. §. ſi quis. De cond. cauſ. dat.

l. pen C. de cond. ob cauſ. dat.

manæ etiam leges frequenter profitentur, tum demum cauſa non ſecuta condici, quod ob eam datum eſt, ſi per eum, qui accepit, ſteterit, quo minus illa ſequeretur, & eius aliqua vel mora vel culpa arguatur: Conſtantinus alteram edidit conſtitutionem, ut ſi alterius morte matrimonium impediatur, illi qui dedit, eiusve hæredi, repetere liceat, quod donatum eſt: hoc tamen diſcrimine, ut ſi ſponſus donaverit, & ante mortem oſculum intervenerit, non niſi dimidium repetatur. Nam alteram partem quaſi baſioli mercedem vult relinqui ſponſæ. Si vero ſponſa ipſa donaverit, totum nihilominus condicatur. Huius ſive diſtinctionis ſive diſcriminis ratio eſt, ſingularis mulierum favor. Nam & ſponſæ quam ſponſi maius incommodum eſt, ſperatis nuptiis defici; difficilius enim alium inveniet maritum, quam ſponſus uxorem, præſertim cum oſculum aliquid de ſponſæ pudicitia delibaſſe videatur: & prope nuptiæ ſecutæ eſſe videntur, cum ſponſus ſponſam deoſculatus eſt: præſertim cum olim non liceret mulierem, niſi aut uxorem aut cognatam, oſculari. Quod ad arras ſponſalitias attinet, dubium non eſt, eas ſponſo reddi etiam duplicatas, ſi per mulierem ſteterit, quo minus nuptiæ ſecutæ ſint. Si alia ratione eſſet matrimonium impeditum, ſaltem quales datæ erant reddebantur. Si vero ipſius ſponſi culpa, ſponſæ lucro cedebant. Et quidem Conſtantinus voluit videri, per ſponſum ſtare, ſi ſine

l. ſi a ſponſo. C. de donat. inter vir. & uxor.

ſine cauſa ultra biennium differat pactas nuptias: ut deinde poſſit ſine fraude mulier alteri nubere, ſibique diutius illudi non patiatur.

Neque vero in his tantum cauſis Conſtantinus favit mulieribus, ſed ſingulari aliquando iure fiſco eas ſuo prætulit. Veteres Iuriſconſulti, cum de donatione a marito facta uxori diſputant, eam comparare ſolent donationi cauſa mortis: quia utraque morte demum confirmetur eius donatoris, qui ius quoque teſtandi, cum moreretur, habuit; qui ſi capitaliter damnatus periiſſet, donationes vel cauſa mortis factæ, vel in uxorem collatæ infringebantur. Ac ſi quidem miles uxori donaviſſet de caſtrenſibus bonis, & deinde damnatus eſſet; quia nihilominus a Principe impetrabat ius de iis teſtandi, donatio ſimul confirmabatur. Sed hoc militum ius ſingulare fuit: quod & eodem loco Ulpianus ſignificat, loquens de paganis, qui cum uxori donaviſſent, vel alteri, mortis cauſa, mortem ſibi deinde ob ſceleris conſcientiam conſciverunt: vel cum aliter mortui eſſent, memoria eorum poſt mortem damnata eſt; revocari enim propterea donationes ſupradictas, reſponſum eſt. Hi enim eodem loco habentur, atque ſi iam capitaliter damnati periiſſent. Quod ſi tantum deportarentur, vel ſervi pœnæ fierent: non revocabantur propterea hæ donationes, de quibus quærimus; quanquam ſi donator ſervus effectus eſſet privati, illas perimi

l. ſi aliquis. De donat. cauſ. mort.

l. cum. hic ſtatus. §. miles. De donat. inter vir. & uxor.

d. l. cum hic ſtatus. §. ſi maritus.

rimi reſponderit idem Ulpianus. Nam & aut ſervus iam antea erat, & donare non potuit: aut certe poſtea factus eſt, & ius hoc amiſit. Nam ſi ſua voluntate factus ſit, ut quia ſe venundari paſſus ſit, eo ipſo videtur animum revocandæ donationis habuiſſe, ut omnia ſua in dominum novum transferret. Conſtantinus, quæ de ſervitute dicta ſunt, deque deportatione, probavit. Sed quod de capitali mariti damnatione & ſupplicio veteres tradiderant, non videtur voluiſſe infelici uxori, quod attinet ad donationes in eam collatas, eſſe fraudi. Sed neque ſuum fiſcum, qui damnati bona occupat, eas attingere. Vetus eſt illud, Dotem ſeparari, & uxori integram ſervari, ſi viri facultates propter delictum aliquod publicentur. Profectitia quoque peculia ſeparari, ut liberis relinquantur. Bona denique uxori propria ſervari. Sed novum & ſingulare Conſtantini beneficium eſt, quod adiecit, & nunc intelligi in primis volo, plenum etiam liberalis humanitatis, & bono principe dignum: ut & aliis deinde bonis Principibus Arcadio atque Honorio placuiſſe ſcimus. Cuius conſtitutionis verba nunc audiamus: *Res uxoris quæ vel ſucceſſione qualibet, vel emptione, vel etiam largitione viri in eam ante reatum iure pervenerant, damnato ac mortuo ex pœna marito, vel in ſervilem conditionem ex pœnæ qualitate deducto, illibatas eſſe præcipio: nec alieni criminis infortunio aſtringi uxorem, cum maternis paternisve bonis ac pro-*

l. 13. ſi fuerit. De donat. inter vir. & uxor. d. l. cum hic ſtatus. §. ſi donator.

l. 3. §. ſed utrum. de minorib.

l. ſi quis poſt hac. C. de bon. proſcript.

l. res uxoris. C. de donat. inter vir. & uxor.

propriis perfrui eam integro legum ſtatu religioſum ſit. Et donatio maritalis, quæ ante tempus criminis ac reatus eſt collata in uxorem, quia pudicitiæ præmio ceſſit, obſervanda eſt, tanquam ſi maritum natura, non pœna ſubduxerit.

Hic ego facere non poſſum, quin barbaram fiſcalium procuratorum, quos in Gallia vidi, iniuriam deteſter, qui publicatis mariti bonis, ius ſibi eſſe aiunt occupandorum omnium bonorum mobilium, & aliorum conſtante matrimonio quæſitorum: quorum alioqui dimidia pars uxoris eſt, iure moribus recepto. Eſt quidem in poteſtate viri, de iis omnibus inter vivos pro ſuo arbitrio ſtatuere, ut & donare & alienare & in alium transferre omnia, ſi velit, poſſit. Neque enim id temere facturus exiſtimatur in fraudem quoque ſuam: neque ab hac liberalitate valde metuendum videtur. Legare vero, aut teſtamento transferre, non niſi dimidiam ſuam partem poteſt. Cur igitur, cum illi vitam adimit, plus occupat fiſcus? An ſibi inter vivos donatum fingent, quod damnato eripit? Quid ſi reviviſcat Conſtantinus, & cum æquiſſimas ſuas leges contemni, tum vero innocentes uxores tam male multari videat?

Sed hæc rurſus pertinent ad iudicia criminalia. De nuptiis reliqua videamus. Olim lex Papia & Iulia caſtigabat cœlibes, atque etiam ſteriles: ut ne iure quidem comuni uti pos-

poſſent. Maritis vero & patribus privilegia multa largiebatur. Huius legis capita, quæ multa variaque fuere, alio ſuo loco collegi. Conſtantinus vero, etſi eam legem valde Auguſto placuiſſe ſciret, ſibi tamen non placere oſtendit: Liberum coniugium vel cælibatum eſſe debere: iniuſtum eſſe pœnas irrogare non ſolum cœlibatui, ſed etiam orbitati. Et vero cur hæ pœnæ Principi Chriſtiano diſplicerent, magnam cauſam fuiſſe, multis verbis exponunt veteres Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores: teſtanturque etiam eum edixiſſe, ne vel cœlibes vel coniuges orbi, minus quam alii, iuris haberent. Non extat in libris iuris Civilis hæc Conſtantini conſtitutio: ſed ea extat, quam eius filii, voluntatem prudentiſſimi patris ſui ſecuti, ediderunt: ut quod lex Papia ſtatuerat de pœnis cœlibum, aboleretur. Non laudabo pluribus verbis hoc Conſtantini iudicium. Sed prudentes homines facile intelligunt, libertatem uxoris ducendæ, vel non ducendæ, eſſe in Rep. neceſſariam, & cuique homini relinquendam eſſe.

Euſeb. in vita Conſtant. Sozo. lib. I.

Poſteaquam dictum de nuptiis eſt, proximum eſſe videtur, ut quid de patria in filiosfam. qui ex iuſto matrimono ſuſcipiuntur, poteſtate Conſtantinus ſtatuerit, audiamus. Antiquam ea de re leges Rom. ex legibus Romuli & XII. Tabul. repetere oportet: quibus etiam locis aliquando plura diximus, quæ hoc rurſus loco repeti inculcareve nihil attinet. Quod vero Conſtantini proprium eſt, & ex maiori quadam

eius conſtitutione, quæ extat integra libro IV. Cod. Theodoſ. a Iuſtiniano breviter eſt deſcriptum, inque ſuum Codicem relatum audiamus.

l. ult. C. de patr. pot.

Libertati a maioribus tantum impenſum eſt, ut patribus, quibus ius vitæ in liberos necisque poteſtas olim erat permiſſa, eripere libertatem non liceret.

Non modo ex lege Romuli, ſed & XII. Tabul. pater filium etiam ter vendere poterat. Sed Numa filiumfam. maritum vendi prohibuerat. Cæterum extra coniugii cauſam multis annis Romani retinuerunt ius vetus patriæ poteſtatis. Primi noſtri Iurisconſulti videntur cum ius illud vitæ & necis improbaſſe, tum vero patriam poteſtatem filiifam. aut vendendi, aut obligandi damnaſſe. Conſtantino vero ignota eſſe non poterat illa Diocletiani recens edita lex, in eandem rem. Sexto anno poſt illam ſuam ſuperiorem, qua libertatem filiisfam. patres eripere non poſſe profeſſus erat, conſtitutionem, aliud quippiam edicere coactus eſt, miſerabilem (ut ita loquar) unum ut exciperet caſum, qui ius aliquod ſingulare poſtulare videbatur. Extat lib. IV. Cod. Iuſtinian. in hæc verba eius conſtitutio:

l. 1. C. de patrib. qui fil. distrax.

Si quis propter nimiam pau[illegible]atem, egeſtatemque, victus cauſa, filium fi[illegible]ſanguinolentos vendiderit: venditione in hoc tantummodo caſu valente, emptor obtinendi eius ſervitii habeat facultatem. Liceat autem i[illegible] qui vendidit, vel qui alienatus eſt, aut cuilibet alii, ad ingenuitatem eum propriam repetere: modo ſi aut pretium

tium offerat, quod poteſt valere: aut mancipium pro huiuſmodi præſtet.

In codice Theodoſiano extat titulus, de his qui ſanguinolentos emptos vel nutriendos acceperint: ubi hæc Conſtantini conſtitutio paulo aliter deſcripta eſt. Verum etſi verba eadem non ſint, eandem tamen ſententiam eſſe manifeſtum eſt. Agitur autem præcipue de iure emptoris, qui (ut illa loquitur) a ſanguine quoquo modo legitime comparaverit: & aliarum in hoc genere veterum legum a prioribus Principibus editarum meminit. Certe ſatis apparet, Conſtantinum, quantum fieri potuit, leniiſſe quod illi edixerant. Paſſus eſt, infelicem patrem, qui ſeipſum alere non poteſt, vendere filium recens natum, & adhuc (ut ait non ignobilis poeta) a matre rubentem (nam hunc ſanguinolentum veteres appellaſſe videntur) quem alioqui vel abiicere vel exponere cogeretur. Longiori excuſatione opus non habet neceſſitas, quæ legem nullam habere dicitur. Sed tolerabilius eſſe videtur, ut & patri & filio conſulatur, partum ali apud emptorem dominum, & patrem pretium inde aliquod, unde ſe alat, recipere, quam utrumque fame contabeſcere. Cæterum ne in eas anguſtias (quibus nihil eſſe miſerius poteſt) inopes homines redigerentur, longe humaniori aliquando ratione proſpexerat Conſtantinus, edita etiam lege, digniſſima profecto quam neque ipſe obſoleſcere pateretur, neque alii deinde Principes contempſiſſent. Nam quarto ſui Imperii anno, quamvis

multis adhuc bellis civilibus diſtraheretur, eorumque ſumptibus exhauſtum videret ſuum fiſcum, & de Imperii etiam ſui poſſeſſione dimicaret: tamen liberalem legem edidit, quæ inopes & parentes & liberos ſervaret. Non fuit ea fortaſſe poſtea tam valde neceſſaria, cum iam dives Eccleſia ſuas alendis pauperibus facultates erogaret. Sed cum hoc ab ea expectari nondum ſubſidium poſſet: Princeps optimus a ſuo fiſco repeti voluit. Non poſſum equidem Iuſtiniano noſtro non ſuccenſere, (ſi id mihi modo licet) quod optimam hac de re illius legem, cum ſuum Codicem colligeret, prætermiſerit. Sed Theodoſio tanto magis gratia habenda eſt, qui ſui Cod. lib. XI, eam bona fide propoſuit his verbis: *Aereis tabulis, vel ceruſſatis, aut linteis mappis ſcripta per omnes civitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus a parricidio arceat, votumque vertat in melius. Officiumque tuum hæc cura perſtringat, ut ſi quis parens adferat ſobolem, quam pro paupertate educare non poſſit: nec in alimentis, nec in veſte impartienda tardetur, cum educatio naſcentis infantiæ moras ferre non poſſit. Ad quam rem & fiſcum noſtrum, & rem privatam, indiſcreta iuſſimus præbere obſequia.*

Digna profecto lex, quæ ad memoriam hominum ſempiternam in æs inciſa, pro roſtris omnium civitatum proponatur, in eo etiam albo, quod nemo non legere poſſit, nemo unquam auſit refigere. Deberi parentibus & liberis alimenta, & natura & ius civile ſæpe monent.

Sed

Sed ubi hæc humanitatis officia privata egeſtas & inopia interturbant, an homines fame contabeſcent? An infelicibus pueris, qui nondum per ætatem ſuo ſibi labore victum quærere poſſunt, nulla publica erunt ſubſidia? Habuit Eccleſia, habuerunt bonæ civitates, ptochotrophia, brephotrophia, orphanotrophia. Sed Conſtantini temporibus non niſi eorum fundamenta iacta erant; nondum ita erant & conſtituta, & locupletata, ut omnes egenos alere poſſent. Cæterum ipſe Conſtantin. de ſuo interea potius, quod ad eam rem neceſſarium eſſet, impendi voluit. Neque vero novum eſt, pueros ali ex publico. Olim Athenis liberi eorum, qui pro Rep. occubuerant, in Prytanæo publicis ſumptibus alebantur. Romanum quoque ærarium olim parentibus trium liberorum ſuppeditabat, quod ad eos usque ad pubertatem educandos ſatis eſſet. Eaque etiam de re lata lex erat iam inde a temporibus Horatiorum Tergeminorum: quam quidem ſuo adhuc tempore, Auguſto imperante, ſervatam fuiſſe, Dionyſius Halicarn. ſcribit. Sed & Antoninus Pius puellas alimentarias inſtituit, quæ ex publico alerentur. An minus vel pius vel liberalis Conſtantinus eſſet? Imo vero conſtantem eius in hoc genere voluntatem, & perpetuam pietatem fuiſſe, altera eius conſtitutio teſtari poteſt, quæ libro eodem Cod. Theodoſ. in hunc modum loquitur: Halicarn. lib. 3.

Provinciales egeſtate victus atque alimoniæ inopia laborantes, liberos ſuos vendere vel op-

pignorare cognovimus. Quisquis igitur huiusmodi reperietur, qui nulla rei familiaris ſubſtantia fultus eſt, quique liberos ſuos ægre & difficile ſuſtentet, per fiſcum noſtrum, antequam fiat calamitati obnoxius, adiuvetur: ita ut Proconſules Præſidesque & rationales per univerſam Africam habeant poteſtatem: & univerſis, quos adverterint in egeſtate miſerabili conſtitutos, ſtipem neceſſariam largiantur, atque ex horreis ſubſtantiam protinus tribuant competentem. Abhorret enim noſtris moribus, ut quenquam fame confici, vel ad indignũ facinus prorumpere concedamus.

Habuerunt poſt Conſtantinum Imperatores ſua horrea, ſuasque cellas: ſed habuerunt, ut rem privatim ſuam novo cuiusdam monopolii genere augerent, certoque anni tempore ſingulis res ad victum neceſſarias ſuo arbitrio venderent: & interea neminem alium eius generis merces vendere poſſe, omnes vero a Præfectis fiſci emere debere, edicerent. Conſtantinus vero, ſua horrea eſſe voluit publica quædam ptochotrophia. Edixit quidem humaniter Valentinianus, ut Epiſcopi, quibus pauperes curæ eſſe debent, videant, ne illi annonæ vendendæ præfecti, qui dicebantur negociatores domus Principalis, modum excederent, populum degluberent, iniquum pretium exigerent. At quanto humanior Conſtantinus, qui hoc etiam ipſe agit, inopibus & parentibus & liberis conſulens, ut annona iis ex publico non quidem vendatur, ſed donetur? Scio pias eius in hoc genere leges iampridem exoleviſſe: & ab ipſo propter-

l. 1. C. de epiſc. aud.

ea

ea Iuſtiniano, cum Principum conſtitutiones colligeret, eſſe prætermiſſas. Sed earum tamen memoriam intercidere, nonne indignum eſt, minimeque ferendum?

Quam minime fuerit ἄστοργος Conſtantinus, quamque valde optarit, non diſtrahi, quos natura coniunxit: ſed naturalem potius illam ſocietatem, quæ ſine acerbiſſimo dolore divelli non poteſt, foveri: teſtis una eius eſſe poteſt ſuaviſſima conſtitutio, qua edixit:

Poſſeſſionum diviſiones ita fieri debere, ut apud unum integra maneat proximorum agnatio, vel affinitas. Quis enim (inquit) ferat liberos a parentibus, a fratribus ſorores, a viris coniuges ſegregari. l. poſſeſſionum. C. com. ut. iud.

Audiebat veteres Iuriſconſultos humaniſſime reſpondiſſe, propter eandem pietatis rationem filiorum appellatione nepotes contineri, ut prædio cum villico & filiis legato, ſimul nepotes ex filiis legati videantur. Et legato inſtrumento fundi, cum conſtaret contineri etiam piſtores & tonſores, qui familiæ ruſticæ cauſa parati eſſent: & fabros, qui villæ reficiendæ, & ſimiles: reſponſum quoque eſt, uxores eorum & infantes, videri teſtatorem voluiſſe legato contineri; non enim exiſtimari debere, duram ſeparationem iniunxiſſe. Sed his exemplis opus non habebat Conſtantinus, ut quos naturalis pietatis coniunxerat, vellet, quantum fieri poſſet, quamvis in alterius poteſtate eſſent, manere conſociatos. Sane filiisfam. tam benigne, quam ſi pater eorum fuiſſet, faviſſe ſæpe videtur.

l. liberorum. §. ſed & Papyrius. de verb. ſignif.

l. uxorem. §. concubinæ. de l. 3.

l. quæſitum. §. ſed an inſtrumenti. de inſtrum. legat.

Quo magis dolendum eſt, interdum eius conſtitutiones propter obſcurum dicendi genus in contrariam ſententiam contorqueri. Dixit aperte Ulpianus, Senatoris filium accipi, ſive in Senatoria dignitate eum ſuſceperit, ſive ante dignitatem Senatoriam. Non eſt diverſa Conſtantini ſententia, ſed eſt paulo obſcurius expreſſa. Ac quidem ſignificat, ſummo iure filios videri privatos, cum editi ſunt ante Senatoriam patris dignitatem. Sed paternos tamen honores filiis invidere non oportere ait.

l. 5. de ſen. l. Senator. C. de dign.

Porro patriæ poteſtati, de qua paulo ante dicere cœperam, tam valde favit Conſtantinus, ubi ſeſe intra pietatis fines continebat, & patri, qui deportatus fuerat, reverſo, bonisque ſuis & dignitati reſtituto, tam voluit ius quoque in filios ſuum reſtitui, ut etiam teſtamentum, quod fecerat filius patre deportato, irritum eſſe iubeat, recidente in patris poteſtatem filio; & hoc in genere, remotis Ulpiani atque Pauli notis, iuſſerit Papiniani ratam eſſe ſententiam: quanquam contractus a filio, qui legitimæ ætatis erat, interea initos, non reſcindi fateatur.

l. ult. C. de ſent. paſſ.

Hic ego multa de iure & beneficio reſtitutionis deportatorum, deque diſcrimine inter contractuum cauſam & teſtamentorum, dicere profecto poſſem. Sed cum longior ea eſſet tota diſputatio, tum vero alium quendam ſuum habet locum, ubi commodius aptiusque explicari poteſt. Illud tantum nunc dicam, filiumfamil. patre conſentiente recte contrahere, atque etiam eo ignorante, ut

ſaltem

ſaltem peculiotenus pater teneatur. Teſtamentum vero nullo modo facere poſſe. Nam teſtamenti factio ſi ex patris conſenſu tribueretur, ſimul complecteretur emancipationem. Non enim alius, quam qui ſui iuris eſt, teſtari poteſt. Contractus vero etiam alieno nomine, tanquam a procuratore, iniri poſſunt. Atque ut teſtamentum ſemper irritum eſt, quod a filiofam. eſt factum, etiamſi is ſuæ deinde poteſtatis factus deceſſerit, & quidem relicto non obſcuro teſtimonio eiusdem ſuæ voluntatis: ſic etiam irritum fiet, quod ab eo qui iuris erat factum, eſt ſi in alienam deinde poteſtatem is recidat. Multo igitur magis, ſi non niſi propter patris deportationem ſemel liberatus, eo reſtituto in priorem eius poteſtatem recidat. Quid igitur? *Filii* (inquit Conſtantinus) *emancipationem a patribus, officiis petant: ut libertatem non damnationis, ſed lenitatis paternæ teſtem habeant.*

l. qui in poteſtate. De teſtam.

l. ſi filiumfam. de teſtam.

l. 1. §. 1. de legat. 3.

l. ult. C. de ſentent. paſſ.

Illud vero in eadem conſtitutione prudenter adiicit: *Si patria poteſtate pater ad corrumpendi atque effundendi patrimonii filiorum licentiam abutatur: ut furioſo ac dementi, item prodigo, libidinum, omniumque vitiorum ſervo non eſſe eorum pecuniam committendam: ſed ut ab adminiſtratione talis pater fugere cogatur, & tutor filiisfam. minoribus detur.*

Iuſtinianus ſcribit, filiofam. furioſo curatorem non dari, quia paterna cura ſufficiat ad gubernationem rerum, quæ ex caſtrenſi peculio

l. ult. C. de curat. fur.

lio vel aliunde filiofam. quæſitæ ſunt. *Quis enim* (inquit) *talis affectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum? vel cui alii credendum eſt, res liberorum gubernandas parentibus derelictis?* Sed ſi pater ipſe vel furioſo ſimilis ſit, vel filiorum res ſuæ curæ commiſſas diſſipet: res ipſa clamat, alio curatore opus eſſe. Sic enim parentum ius tueri debemus, ut ipſis tamen etiam filiisfam. conſulatur.

l. 1. C. de bonis mat. Atque huc quidem etiam pertinet, quod edixit Conſtantinus, ut res quæ ex matris ſucceſſione, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato fuerint ad filios devolutæ, ita ſint in poteſtate parentum, ut fruendi duntaxat habeant facultatem, dominio earum ad liberos pertinente. Codex Theodoſianus (cuius libro VIII extat integra hæc conſtitutio) oſtendit, ſcriptum fuiſſe a Conſtantino, has res ita eſſe in poteſtate parentum, ut fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia derogetur. Pontificium vocat, quod paulo ante dixerat, & Iuſtinianus repetere maluit, poteſtatem. Pontifices dictos eſſe a poſſe, & facere: Scævola apud Varronem docet. Hinc pontificium generaliter dictum eſſe videtur, pro iure & poteſtate faciendi. Qua etiam voce utitur Gellius; ut in Conſtantino minus inſolens verbum eſſe videatur. Gellius lib. 1, cap. 13. Sed ad rem. Ducentis ante Conſtantinum annis Caius noſter ſcripſit: *Sacratiſs. Principis noſtri oratione cavetur, ut matris inteſtatæ hæredidas, ad filios, tametſi in aliena poteſtate ſint, pertineat.* Quem

Quemnam hic ſuum Principem intelligat, l. ult. Ad
vix certo adfirmare poſſum; quanquam non ſen. Tert.
ignorem, quod Capitolinus ſcripſit, M. Antonium Philoſophum, qui Caii ætatem proxime eſt ſecutus, leges tuliſſe de bonis maternis. Sed quænam etiam eæ leges fuerint, & quid ſibi voluerint, non poſſum, niſi ſi temere facere volo, aſſeverare. Scio quod ſcribit Iuſtinianus, Senatusconſulto Orphitiano, quod Divi l. 1. §. Inſt.
Marci temporibus factum eſt, ſic eſſe liberos de Senat.
ad bona matrum inteſtatarum admiſſos, ut tam Orphit.
filio quam filiæ daretur legitima hæreditas, etiam ſi alieno iure ſubiecti eſſent. Scio quod l. filius de
Triphonius Iurisconſ. reſpondit, patrem, qui inoff. teſt.
nomine ſui filii dicit inofficioſum matris teſtamentum, parare alteri victoriam: quaſi non tam ſibi vinceret, quam filio ſuo. Atqui quod de bonis maternis quæ filiofam. magis quam patri acquiruntur, dicitur, acceptum ferri ſolet Conſtantino, tanquam autori primo, qui filiisfam. hoc beneficium dederit. Certe hic primus rem hanc totam, quæ obſcurius antea tradita eſt, aperte explicuit, & plane definiit, ut omnes intelligerent maternæ ſucceſſionis proprietatem filiofam. ſolum vero uſufr. patri acquiri. Quo exemplo deinde Honorius & Arca- l. 2. C. de
dius ſtatuerunt, idem dici debere de iis bonis bon. mat.
omnibus, quæ ex genere materno, quoquo modo proficiſcuntur: veluti quæ avus avia, proavus proavia materni donarint, legarint teſtamento, vel ab inteſtato reliquerint. Quod quidem & horum principum patri Theodoſio placuiſſe, ſigni-

ſignificat quædam eius hac de re lex lib. VIII. Cod. Theodoſ. qua tamen nominatim etiam cautum eſt, non idem dici de rebus, quæ ab aliis extraneis perſonis delatæ ſunt. Cæterum Iuſtinianus, ut rem hanc magis amplificaret, quod de bonis maternis ſtatutum fuerat, ad omnia (ut vocantur) adventitia pertraxit, quæ nempe filio aliunde obveniunt, quam ex re factove patris, aut eius occaſione.

l. cum oportet. C. de bon. quæ lib.

Ut ad Conſtantinum revertar, in eadem illa ſua conſtitutione adiecit: *Si pater filium emancipet, cogi quidem materna ei bona reddere: ſed filium, ne ingratus videatur, debere patri tertiam eorum partem offerre.* Sed Iuſtinianus hanc conſtitutionem deſcribens, partem hanc expunxit. Nam & ea ſublata atque repudiata, iam ſtatuerat, patri filium emancipanti, non quidem tertiam bonorum maternorum portionem dari debere: ſed ſolius uſusfructus dimidiam partem eſſe relinquendam.

Ut ius patriæ poteſtatis miſſum faciamus, Conſtantinus, ut iam patri ademptum eſſe intelligebat vetus illud ius vitæ & necis in filium fam. ſic etiam ne ſævitiam quidem ullam, aut maiorem acerbitatem patris tolerari audiebat. Id vero, quia iam ſatis cautum atque conſtitutum erat, aliorum principum humaniſſimis reſcriptis non putavit ſtatui rurſus debere. Sed ingenuorum filiorumfam. curam magnam geſſiſſe, vel inde intelligi ſatis poteſt, quod ne ſervorum quidem cauſam neglexerit. Nam edita

etiam

etiam lege dominos monuit, ne ſi promeritos cædant loris aut virgis ſervos, immoderate ſuo hoc iure utantur. Imo vero pronunciat, homicidii reos fore, ſi ſervum vel ictu fuſtis lapidisve, vel aliquo telo occidant. l. una. C. de emen. ſerv.

Multa hic dici poſſent de iure domeſticæ privatæque caſtigationis. Sed ab Conſtantino longius nunc recedere non inſtitui.

Quis vero mirabitur, clementiſſimum principem non poſſe pati crudelium dominorum in ſervos ſævitiam, cum quidem & equos, qui publico (ut loquitur) uſui deputati ſunt, lege lata vetuerit lignis fuſtibusve cædi, aut contundi: iuſſerit autem flabellis tantum agitari? Erant inſolentes homines, qui felici diplomate abutebantur, & iumenta, quibus inſidebant, crudeliter cædere glorioſum eſſe putabant. Eratque hæc ferocia etiam Reip. pernicioſa. Cur igitur eam toleraret Conſtantinus? Illud ſane & ei, ut multa alia prætercam, ſervi debent, quod eum vetuiſſe narrat Euſebius, ne qui Chriſtiani eſſent, Iudæis aliisve impiis hominibus ſervirent. Suorum enim religioni prudenter metuebat: quam profanorum dominorum libidini & impietati ſubiici, indignum profecto erat. Sed legatur, quæ extat, eius ad Evagrium conſtitutio, ne Chriſtianum mancipium hæreticus, aut paganus, aut Iudæus vel poſſideat, vel circumcidat. l. 1. C. de curſu public.

Ut autem ius patriæ & herilis poteſtatis humanitate ſingulari temperavit: ſic libertos impune

pune ingratos eſſe, paſſus non eſt. Olim Claudium Cæſarem ſtatuiſſe, ut in ſervitutem ii revocarentur, ſcribit Suetonius. Sed hoc ius paulo poſt ſublatum fuiſſe, patronisque negatum, teſtis eſt Tacitus lib. XIII. Noſtrorum tamen prudentum temporibus rurſus reſtitutum eſt. Et Diocletianus Imp. ſignificat, ſi ingrati probentur, ad ſerviendi neceſſitatem redigi poſſe, ab ipſorum etiam patronorum filiis. Sed Conſtantinus edita nobiliſſima conſtitutione, apertius id edixit perpetuaque lege ſanxit; quin & illud adiecit, ut qui in ſervitutem ita revocati erunt, rurſus liberi fieri non poſſint, niſi ſi princeps cum patrono id conceſſerit. Ac ne militibus quidem ipſis hac in re parcendum eſſe, poſtea reſcripſit Theodoſius. Adeo placuit bonis principibus, quod in hoc genere placuerat Conſtantino. Non dicam pluribus verbis, quid ingrati homines mereantur. Quod enim ſatis notum eſt, dici amplius non eſt neceſſe. Sed legem Conſtantini adverſus hoc hominum genus, præſertim libertorum, non modo iuſtam, ſed & in Repub. valde eſſe neceſſariam, nemo non videt.

l. qui manu mittuntur. C. de operis lib. l. ſi manumiſſus. C. de liber. & eor. lib.

Porro qui & filiorumfam. & ſervorum tam magnam curam geſſit, minime profecto neglexit pupillos, aut negligere potuit, quos ſibi divinitus etiam, in primis commentatos eſſe non ignorabat. Legerat hoc ethnici Imp. Septim. Severi reſcriptum. *Omnem me rationem adhibere ſubveniendi pupillis, cum ad curam publicam pertineat, liquere omnibus volo.*

l. 2. Qui pet. tuto.

lo. An ab eo in hoc ſe genere vinci princeps Chriſtianus pateretur? Imo vero nihil quicquam prætermiſit, ut non tam verbis oſtentaret, quam re ipſa oſtenderet, nihil ſibi magis curæ eſſe: multaque hoc nomine ſingulari quoque iure & favore ſtatuit. Si in domo pupillari falſa moneta excuſa ſit, pupillo parcit, tutorem caſtigat. Si pro fundo emphyteutico pupillari ſuo tempore penſio ſoluta non ſit, commiſſum non tam pupillo quam tutori damnoſum fore pronunciat. Sed maiora alia beneficia ſunt, quibus effecit, ut omnibus liqueret, omnem ſe vere adhibere rationem ſubveniendi pupillis: ut intelligi poteſt ex quatuor eius conſtitutionibus, de adminiſtratione & periculo tutorum. Ac initio quidem ſui imperii ſtatuit, ut tacita quadam hypotheca intelligerentur pupillis obligata tutorum bona, ſi aut tutores aliquid neglexerint, aut ex adminiſtratione quippiam pupillis debeant. Veteres ſingulari iure pupillo dabant privilegium exigendi, ut aliis tutorum creditoribus chirographariis (ut appellantur) præferri poſſent. Sed plus cautionis eſt in iure & privilegio tacitæ hypothecæ.

l. 2. C. de falſa mon.

l. 2. C. de fund. patrim.

l. pro offic. C. de admin. tut.

Eo itaque pupillos veluti communiendos eſſe iudicavit Conſtantinus. Quo exemplo & Iuſtinianus filiofam. tacite obligari ſtatuit res patris, materna filii bona adminiſtrantis. Sed & mulieri, ut ſuam magis dotem conſervaret, cum veteri iure daretur privilegium exigendi, adiecit ius tacitæ hypothecæ, qua hoc nomine bona mariti obſtringerentur.

l. ult. C. qui pot in pig. l. ſi quis prioris §. ult. C. de ſecũ. nupt. l. cum autem §. ult. C. de bon. quæ l. l. aſſiduis C. qui pot. in pign.

Por-

l. pupillorum. C. de admin. tut.

Porro ut Conſtantinus tutores magis excitaret ad procurationem commodorum pupillarium, ſtatuit, ut de ſuo damnum ſarciant atque præſtent, ſi quam donationum pupilli nomine accipiendarum occaſionem neglexerint. Vetus eſt illud, ut Remp. ſic tutelam geri debere diligenter ad eorum utilitatem, quorum res geruntur; leges itaque requirunt a tutore diligentiam, ſaltem illam, quæ eſſe ſolet bonorum & frugi patrumfam. & eum præſtare culpam latam & levem ſæpe dicunt.

l. contractus, de regul. iur.

l. 2. l. quicquid. C. arbi. tut. l. tutori. C. de neg. geſt.

l. lex quæ C. de adm. tut.

Sed in re tutelari, nobiliſſima eſt illa Conſtantini conſtitutio, de rebus minorum ſine decreto non alienandis. Oratione quidem Severi Imp. quæ in Pandectis extat, prohibentur tutores curatoresve prædia ruſtica vel ſuburbana ſine iuſta cauſa, Prætoriſque decreto diſtrahere. Sed alia lex erat, quæ iubebat, atque etiam cogebat eos mobilia omnia, urbanaque & prædia & mancipia vendere. Vidit prudenter Conſtantinus, multis de cauſis, quas etiam commemorat, eam legem, quicunque tandem eius autor fuerit, pupillis utilem non eſſe. Faceſſere itaque iubet: eaque ſublata edicit, ut tutores, etiam ſi maxime velint, non magis ea poſſint quam alia bona diſtrahere; ac graviter vetat, ne quid alienent eorum, quæ ſervando ſervari poſſunt. Oſtendit etiam, mancipia urbana non minus quam ruſtica, pupillis valde uſui eſſe poſſe. Denique ſingulariter prohibet alienari domum paternam, in qua educatus ſit pupillus: præ-

ſertim

ſertim cum valde durum & lugubre ſit, in ea (ut loquitur) maiorum imagines aut non videre fixas, aut revulſas videre.

Longior eſt ea conſtitutio, quam ut commode tota hic deſcribi inſerique poſſit: neque valde opus eſt, cum eius ſententiam ſummaque capita teneamus. Ac videtur quidem Conſtantinus, ut olim Prætorem tutelarem crearat Antoninus Pius, creaſſe quoque proprium quendam Prætorem, qui hoc unum ageret, ut cauſa cognita, res minorum vendi vel poſſe vel non poſſe decerneret. Nam & ipſe quodam loco meminit huius ſui Prætoris Conſtantiniani: cuius etiam decretum, cauſa probata, neceſſarium eſſe vult, ſi propter debita fiſcalia vel pupilli vel minoris res aliqua diſtrahenda ſit. Multa hoc loco de alienatione earum rerum, & cauſa iuſta, & decreto quod requiritur, dici poſſent. Sed ad orationem Severi magis ea pertinent, quam ad Conſtantinum. Facere tamen non poſſum, quin rurſus obſervem, quod ſingulari ratione Conſtantinus prohibet vendi domum minoris, in qua pater defecit, minor crevit, (hæc enim illius verba ſunt) denique maiorum imagines fixæ ſunt. Cicero in ſuis libris de Legibus, loquens de villa paterna, in qua ipſe natus & educatus erat, ait: ineſſe propterea neſcio quid, & latere in animo ac ſenſu ſuo, quo plus eum is locus delectet. Omitto illuſtre in Veſpaſiano exemplum. Sed hunc ſenſum atque etiam affectum tam eſſe iuſtum veteres ſemper iudicarunt,

l. ult. C. de præd. & aliis reb. min.

ut leges quoque ipſæ ſingulari quodam eum favore proſequantur. Certe reſponſum a Iuriſconſultis eſt, Si in emptionem penes ſe collatam minor adiectione ab alio ſuperetur, audiri implorantem in integrum reſtitutionem, ſi eius intereſſe, emptam ab eo rem fuiſſe, approbetur, veluti quod maiorum eius fuiſſet. Id cum audiret Conſtantinus, non dubitavit intereſſe minoris, ab eo non vendi, quod ab alio venditum ipſe cur redimeret, iuſtam cauſam habere videretur. Quid? Is qui in provincia officii cauſa agit, prohibetur in ea quidem prædia comparare. At ſi paterna videat a fiſco diſtrahi, ſingulari iure petere poteſt ea ſibi addici. Sed & ſi æris alieni magnitudo, facultates & patrimonium liberti excedat: ſingulari tamen iure patronus petet bonorum poſſeſſionem, ſi prædia perſequatur, in quibus maiorum ſuorum ſepulchra eſſe probat. Adeo miſerum eſſe viſum eſt, avitis ſepulchris & laribus carere: ut alio loco Ulpianus ait, ſignificans quædam ſingulariter indulgeri, ne id accidat. Quanquam ne hoc prætextu cum aliorum iniuria quidvis nobis licere exiſtimemus: reſponſum etiam eſt, eum qui bona fide iuſtoque pretio prædium aliquod ab alterius liberto emerit, non poſſe actione Faviana conveniri a patrono: neque patronum hunc audiri, cauſantem ſua intereſſe, rem illam non fuiſſe venundatam: in eoque eſſe fraudem, quod venierit poſſeſſio, in quam ipſe habeat affectionem, vel quod illic educatus ſit, vel parentes ſepul-

l. 35. ſi in emptionem. de minor.

l. qui officii. de cont. empt.

l. libertus. de bon. lib.

l. in fundo. de re. vind.

l. 1. §. ſed ſi rem. ſi quid in fraud. pat.

ſepulti. Sed nulli facit iniuriam Conſtantinus, ſi propter naturalem huius generis affectionem, minori alicui ſervari velit, potius quam alienari, talem poſſeſſionem. Ut minorum cauſam ſingularem miſſam faciam, adiiciam pro coronide, quod Conſtantinus, ne quid prætermitteret, Valeriano Vicario reſcripſit: Quamvis in lucro fœminis ius ignorantibus ſubveniri non ſoleat, tamen contra ætatem adhuc imperfectam hæc locum non habere. Paulus ait, Regulam eſſe, Iuris ignorantiam cuique nocere. Sed excipit minores XXV. annis: quibus ait eſſe permiſſum, ius ignorare: idque & fœminis in quibusdam cauſis dari, propter ſexus infirmitatem. Et ideo, ſicubi non eſt delictum, ſed iuris ignorantia, non lædi. Loquitur ergo, ubi de damno mulieris ageretur. Cæterum in compendiis, iuris errorem non prodeſſe feminis, ait Papinianus: non contentus eo quod alio loco in univerſum dixerat, Iuris ignorantiam non prodeſſe acquirere volentibus. Sed hic rurſus excipiendos eſſe minores, iudicat Conſtantinus, ut multis in cauſis maior eſt imbecillioris ætatis quam ſexus infirmi favor. Neque tamen id primus ſenſit Conſtantinus. Nam & antea Paulus reſponderat, ſi filiusfam. miles a commilitone hæres inſtitutus, neſciat ſibi etiam ſine patre licere adire, per conſtitutiones Principales ius ignorare poſſe: & ideo diem ei aditionis actioni ſuæ non cedere. Loquitur autem de filiofam. milite, qui & XXV. annis minor erat.

l. quamvis. C. de iuris & facti ignor.

l. regula. de iuris & fac. ign.

l. iuris & l. ſeq. illo tit.

d. l. regula.

Porro cum ſuam Conſtantinus aulam, non ſecus atque eccleſiam quandam, vellet eſſe commune aſylum afflictæ innocentiæ, & veluti aram Salutis, & præſidium iuris: nullo vero modo pateretur a potentioribus infirmiores vexari: edidit conſtitutionem pio & bono principe dignam, ut pupilli, viduæ, infirmi, & aliæ (ut appellantur) miſerabiles perſonæ, in ſuo tantum domicilio provinciave conveniantur: neque ullo principis reſcripto poſſint inviti alio pertrahi, ne in ipſius quidem Imperatoris aulam. Ipſis tamen ut integrum ſit ac liberum, ſi alicuius potentiam reformidant, eo recurrere, & adverſarium ad Principis cognitionem atque tribunal evocare.

L. una C. quando Imper. inter pup. & vid.

Oportet valde humanum & vere Chriſtianum principem fuiſſe Conſtantinum, ad quem infimo cuique tam facilis patuit acceſſus. Sed neque ſe alioqui Chriſtianum, neque verum principem fore, recte iudicabat. Non cauſabatur, quod ille olim Philippus Macedo cuidam aniculæ reſpondit, ſibi tantum non eſſe ocii, ut audiat vulgi cauſas. Nam & ſciebat, cum id prætexeret Philippus, merito ab illa, quam repellebat, anu audiiſſe: Ne ſis igitur rex. Sciebat divinitus tutelam pupillorum, viduarum, & talium perſonarum, quas potentum iniuriis obnoxias eſſe conſtat, ſuæ fidei concreditam eſſe. Sed privilegia nunc omittamus, leges communes perſequamur: ex quibus facile intelligemus, quanta & prudentia & æquitate in hoc quoque genere

re ſua

re ſua iudicia temperarit. Ac in primis quidem occurrit nobilis illa eius conſtitutio, ad Voluſianum P.P. I. in re mandata. C. mand.

In re mandata, non pecuniæ ſolum, cuius eſt certiſſimum mandati iudicium, verum etiam exiſtimationis periculum eſt. Nam ſuæ quidem quisque rei moderator atque arbiter, non omnia negotia, ſed pleraque ex proprio animo facit. Aliena vero negotia exacto officio geruntur; nec quicquam in eorum adminiſtratione neglectum, ac declinatum, culpa vacuum eſt.

Principio recte illud Conſtantinus vidit, unumquemque rei ſuæ moderatorem atque arbitrum & eſſe, & eſſe debere: neque de ea rationem alteri reddere. Iuſtum eſt (inquiunt alii Cæſares) ſua cuique committere. Neque modo id ipſi ſæpe Iuriſconſulti prudenter inculcarunt: ſed & olim Cicero ſatis ſignificavit. Hæc ſunt (inquit) firmiſſima fundamenta noſtræ civitatis, ſui quemque iuris & dimittendi & retinendi eſſe dominum. Interea tamen, quia etiam Reipubl. intereſt, ne quis re ſua male utatur: curam hic quoque ſuam, ubi opus eſt, leges interponunt, & prodigo non minus quam furioſo dant curatorem: quod latius dixi ad XXIV. cap. XII. Tab. Cæterum aliena negotia, quæ nobis mandata ſunt, noſtræque fidei concredita, exacto officio magnaque cura geri debere, neque impune negligi ullo modo poſſe, recte etiam & graviter Conſtantinus monet. Eſſeque hanc non modo legum omnium perpetuam vocem,

ſed & omnium hominum animis inſitam veluti naturalis iuris & æquitatis rationem, quam Conſtantinus inculcat, dubium profecto non eſt. Quid enim? Notum eſt, quod ille etiam apud Plautum adoleſcens Charinus ait: Sæpe ex te audivi, pater, Mandatæ rei omnes ſapientes primum prævorti decet. Sed Cicero rem hanc totam tam diligenter, tamque copioſe & eleganter explicat, ut neque dignior Conſtantino ullus advocari poſſit interpres: neque aliunde melius, quod hac de re nunc dici vel debet, vel poteſt, repeti.

Iurisconſulti vero cum diſputant, quam culpam præſtet qui mandatum ſuſcepit: ſatis ſignificant, non eam modo quæ in faciendo eſt præſtari, ſed & quæ in non faciendo ſive negligendo verſatur. Nam & diligentiam præſtari in mandato, ſicuti & in commodato, & in vendito, & in pignore, & in tutela, & negotiis geſtis, aiunt. Sed non eadem ſemper in hiſce omnibus ratio eſt huius vel diligentiæ vel culpæ æſtimandæ. Cum de commodato loquimur, intelligimus diligentiam exactiſſimam optimi patrisfa. quia illud contractum ſit in rem eius tantum, cui datur. At mandatum magis continet utilitatem mandantis. Satis itaque ſuperq; eſt, ſi diligentia illa communis præſtetur, qualis eſſe ſolet bonorum & frugi patrumfam. Ac in dotis quidem cauſa maritus, vel ſocius in rebus communibus, non niſi eam præſtant, quam ſuis & propriis rebus ſolent: quoniam propter ſuam partem habent

l. contractus. de reg. iur.

bent cauſam gerendi. Sed qui res omnino alie- l. hæredes. nas tractant, non ex ſua quidem natura, ſi forte §. non tan- negligentiores ſint in ſuis, ſed ex communi: tum. Fam. ſaltem frugi hominum conſuetudine æſtimare ercisc. officium ſuum debent. Quanquam ex rei mandatæ circumſtantiis & natura diſcerni multa hic poſſint. Si res diligentiam non exigebat, ſatis eſſe credemus, dolum & culpam latam præſtari. Si autem diligentiam requirebat, aut cuſtodiam, culpa quoque levis præſtabitur. Si illi opus erat ſingulari quadam & exacta cura, culpam etiam leviſſimam præſtari debere non negabo: præſertim ſi qui mandatum ſuſcepit, ſalarium aliquod recipiat,& operæ ſuæ pretium. Sic etiam intelligemus, quomodo ſit accipiendum, quod paulo ante Conſtantinum reſcripſerat Diocletianus, a procuratore culpam omnem præſtandam eſſe. l. a procuratore. C. mand. Iuſtam certe ignorantiam illi non imputari, qui mandatum ſuſcepit, Ulpianus docuit, cum traderet: fideiuſſorem, qui cum ignoraret non fuiſſe debitori numeratam pecuniam, ſolverit, mandati iudicio repetere poſſe. l. 29. ſi fideiuſſor. mand. Illud ſane magna æquitate traditum eſt, ut qui mandatum neglexit,mandati actione non conveniatur, niſi ſi mandantis interſit. l. 8. §. mandati, mand. Quod enim damnum præſtaret, ſi nullum ſit? aut qua fronte aliquid propterea petat qui mandavit, ſi eius potius interſit factum id non eſſe? Sed ne ab eventu facta iudicantes, perfidiam atque negligentiam excuſare hoc prætextu videamur, e-

quidem non recuſo, quin neglecti officii accuſetur qui mandatum neglexit, quicquid tandem conſecutum ſit: & cum aliqua etiam infamia eo nomine condemnetur, ſaltem ſi ſciens prudens neglexit. Sic enim & Cicero ſignificat veteres iudicaſſe. In minimis (inquit) privatisque rebus, etiam negligentia in crimen mandati, iudiciique infamiam revocatur: propterea quod, ſi recte fiat, illum negligere oporteat, qui mandauit: non illum, qui mandatum receperit.

Certe qui olim adverſus mandatum contra hoſtes pugnaverat, tametſi felix eventus pugnæ fuiſſet, pœnas contempti mandati dedit, neque in hoc genere pater filio parcendum eſſe putavit. Nota eſt hiſtoria Manlii Torquati.

Sed ut perſequamur reliqua Conſtantini iudicia de contractibus: illud nunc mihi occurrit, & valde ſingulare videtur, quod ſtatuit, ut ſi civitas mutuam pecuniam crediderit, factusque deinde non omnino ſolvendo fuerit debitor: bona, quæ interea in alios tranſtulerit, quodammodo civitati nihilominus obligari, ſic ut eorum poſſeſſores conveniri ſaltem poſſint pro rata earum rerum, quas poſſident, parte. Qua ratione ait res illas eſſe civitati obnoxias. Hic multa profecto ſingularia ſunt. Quibusdam olim civitatibus non modo privilegium exigendi, ſed & quoddam taciti pignoris ius datum fuiſſe legimus. Sed ſingulari Principis beneficio id impetrandum erat. Monebantque Iuriſconſulti, pecunias civitatum non eſſe credendas ſine ido-

l. 2. C. de debit. civit.

l. ſimile. Ad municip. l. 2. C. de iure Reip.

neis

neis pignoribus. Cæterum cum hæc cautio ſæpe omitteretur, & privilegio deſtitutæ civitates, magnum plerumque ex debitorum perfidia damnum caperent: Conſtantinus quiddam illis in univerſum, ſaltem cum mutuum darent, primus conceſſit: quod eſt veluti medium inter privilegium exigendi, & ius pignoris. Nam etſi ad ius pignoris propius accedat: tamen non poſſumus omnino dicere pignus eſſe. Tum enim in ſolidum ſtatim agi poſſet in eum, qui unam etiam aliquam rei pignoratæ partem ſolam poſſideret. Eſt enim individua pignoris cauſa. Sed huius taciti quaſi pignoris, & dividui, quod in hac ſpecie Conſtantinus civitatibus dedit, exemplum ſecutus videtur Iuſtinianus, cum legatariis tacite obligari alia teſtatoris bona ſtatueret. Sic enim demum obligari voluit, ut hæc actio hypothecaria, adverſus hæredes perinde dividatur, atque ipſa perſonalis.

l. ſi bene d: uſur.

l. I. C. com. de legat.

Non perſequar alias de commerciis leges Conſtantini, quæ ad fidem in foro retinendam prudenter latæ ſunt. Magis enim ius vetus confirmant, quam novum edunt: & ſunt propterea cum aliis legumlatoribus communes. Illud præterire non poſſum, quod contractus vi extortos, aut dolo malo, cum quidem neque iuſtum habeant conſenſum, neque cum bonis moribus conveniant, tantum abeſt ut vel tueri vel confirmare voluerit, ut etiam operam dederit, ne vel inirentur, vel ut initi impune diſſolverentur, vim denique nullam haberent. Actio-

l. ult. C. de dolo.

 nem

nem de dolo, quæ annalis erat, biennii eſſe iuſſit: & Prætorum in hoc genere omnium æquitatem ſuperavit. De quo quidem iudicio doli, quod in Rep. valde neſſarium eſt, multa hic dicerem, niſi ſi non tam ad Conſtantini leges eſſe referendum, quam ad edicta Prætorum pertinere, ſcirem. Illud magis Conſtantino debetur, quod nobili quadam ſua Conſtitutione edixit, ut ſi quis aliquo officio præditus, cogat aliquem quippiam ſibi vendere, rem reddere cogatur: & pretium tamen, quod dedit, non recuperet. De qua ſane iuſtiſſima lege, ut ſententiam non modo noſtram, ſed multo magis veterum, exponam: principio exiſtimo Conſtantinum in Eccleſia Chriſti ſic edoctum fuiſſe, ut intelligeret principum & magiſtratuum poteſtatem non eſſe infinitam: neque iis quod libet, etiam licere. Et quidem audiverat illam, quam ſacræ literæ commemorant, hiſtoriam regis Achab, volentis vicinum ſuum, plebeium alioqui hominem, Naboth, vi adigere ad vineolæ ſuæ venditionem. Nam etſi ei iuſtum forte pretium offerret, tamen ius non erat, invito domino rem eripere. Primaque hæc naturalis libertatis fundamenta ſunt, ut nemo rem ſuam vendere cogatur. Et ſane quantopere veteres leges Romanæ abhorruerint ab omni huius generis tyrannide atque iniuria, non eſt obſcurum. Cicero Verrem accuſans, ſæpe laudat has leges Romanorum: qui diligenter omnes, quos in Provincias cum poteſtate mittebant, ab emtionibus removerunt.

l. pen. C. de his quæ vi met. cauſ.

l. invitum C. de contrah. empt.

Re-

Recte enim putaſſe, ereptionem fore, non emtionem, cum venditori, ſuo arbitrio vendere non liceret: atque in provincia, ſi is qui eſſet cum poteſtate & imperio, quod apud quemque eſſet, emere vellet, ſive eſſet venale, ſive non eſſet, conſequeretur, & quantum vellet, offerret. Ac illas quidem leges iam mortuas eſſe, eo tempore Hortenſius iactabat. Verum ita iis illudi Cicero non patitur.* Saltem noſtrorum Iuriſconſultorum ætate revixerant, in quorum commentariis frequens illarum mentio eſt.

Sed & legem Iuliam repetundarum, qua & Cicero Verem urgebat, iritas facere venditiones atque locationes cum Præſide contractas, & impedire uſucapionem, priusquam res in poteſtatem eius, a quo profecta ſit, hæredisve eius redierit, Paulus noſter ſcribit. Sic enim res vi ereptæ videntur, quas Præſes emit. Imo vero, cum rem vi primum poſſeſſam, ſed ex cauſa emtionis, alius ſaltem bonæ fidei poſſeſſor uſucapere poſſit: non poterit tamen rem a Præſide emptam, quod hæc vi omnino fuiſſe primum erepta videatur. Porro Hermogenianus ait. Quod a Præſide, vel alio qui provinciam adminiſtrat, in ea provincia, licet per ſuppoſitam perſonam comparatum eſt, infirmato contractu vindicari, & æſtimationem eius fiſco inferri. Addit Martianus, Si quis ex officio aliquid emat, non tantum rem amittere, ſed etiam in quadruplum puniri. Verum id ad eos tantum pertinere dicitur, qui vel ex pecunia publica,

l. penulti. Ad leg. Iul. rep.

l. 3. C. de his quæ vi met. cau.

l. 46. aufertur. §. quod a Præſide. de iur fiſc.

l. 46. non licet. de cont. emt.

ca, cuius procurationem habent, ſibi priuatim aliquid emunt: vel rem aliquam publicam, cuius vendendæ mandatum ſuſceperunt, ſibi retinent. Sed ut hæc nunc omittam, atque etiam nobilem Iuſtiniani conſtitutionem de contractibus iudicum, & ad Conſtantinum noſtrum revertar: obſervandum eſt, quod reſcripſit Diocletianus Imp. ad invidiam alicui nocere nullam dignitatem oportere: & ad metum arguendum, per quem initus eſſe contractus diceretur, ſenatoriam dignitatem adverſarii ſolam non eſſe idoneam. Itaque qui metu magiſtratus coactum ſe eſſe dicet, metum aliunde probet neceſſe eſt. Idque & Conſtantinus requirit: cuius opinor tempore rurſus mortuæ alioqui erant illæ Romanorum leges, quæ magiſtratum vel præſidem in provincia in univerſum removebant ab emptionibus. Ut autem in commerciis vim minime paſſus eſt ullam inferri, ab iis præſertim, qui eam ab alio quoque illatam reprimere atque punire deberent: ſic non toleravit iniquas conventiones, earumve conditiones dolo quodam extortas, & ab invito callide expreſſas. Reſcripſerat Alexander Imp. inanem fore pactionem, ſi cum eo qui mutuam pecuniam accipiebat, convenerit, ut niſi intra certum tempus eam redderet, creditori pignus datum cederet. Cæterum quia iam contemni, & nova fœneratorum fraude eludi hoc reſcriptum videbatur, neque ſatis alioqui occurreret omnibus talis pactionis legiſque commiſſoriæ captionibus: Conſtantinus adverſus

l. ad invidiam. C. de his quæ vi met. cauſ.

l. 1. C. de pact. pign.

ſus eam aliam edidit nobilem conſtitutionem. Cicero duobus locis ſignificat, ſuo tempore pignus committi potuiſſe pecunia ad diem non ſoluta. Noſtri Iuriſconſulti etſi et in re magnas eſſe poſſe videbant fraudes fœneratorum, magnamque infecilium debitorum captionem, tamen non omnino audebant talia in univerſum commiſſa, iniuſta eſſe dicere. Interdum aiunt recte ita conveniri, ut ſi ad diem non ſolvat debitor, creditor pignus ſibi emptum habeat iuſto pretio. Interdum hanc iuſti pretii conditionem non exprimunt: ſed intelligunt tamen. Interdum reſponderunt, Et ſiv ir ſtipulanti uxori ſpoponderit, dirempto matrimonio prædia, quæ doti erant obligata, in ſolutum dare: tamen ſatis eſſe ſi offerat dotis quantitatem. Sed alioqui ſatis non explicant, quod hoc toto in genere quæritur. Eſt illa quidem iuſta conventio, ut ſi ad diem pecuniam non ſolvat debitor, poſſit creditor pignus vel alteri vendere, vel etiam ſibi emptum iuſto pretio habere. Cæterum, ut creditor non tam iuſto pretio pignus acquirat, quam pro ipſo debito habeat, ſi ad diem pecunia non reddatur: id vero durum & iniquum eſt. Nam & multo maioris pignus eſſe ſolet, quam id ſit, cuius nomine datur: & fit plerumque, ut qui pecunia opus habet, nullam non ſibi legem dici patiatur (quid enim non cogit egeſtas?) præſertim ſi dies illi aliqua indulgeatur, intra quam ſeſe parêre conditioni poſſe, & rem ſuam luere libe-

l. ult. C. iſto tit.

l. ſi fundus, §. ult. de pignor.

l. ult. de cont. emp.

l. 45. quamvis. de ſolut.

l. ſi prædium C. de euict. l. eum dominam. C. de pignor.

liberareque bene ſperet. Poſſet ſane rem, quam pignori dedit, in ſolutum dare pro debito: ut & vendere ſuo arbitrio, & liberaliter etiam gratiſque donare poſſet. Quidni enim poſſit de re ſua, quod velit, ſtatuere? At qui pactionem illam commiſſoriam ita init, vt ſi ad diem non ſolvat, pignus pro debito creditori relinquat: minime hoc vel agit vel cogitat, ut vendat. Imo vero, quia ad diem ſolvere poſſe ſperat, talem ſibi legem dici non recuſat. Sed quia plerumque ſpes fallax eſt (ut ille dixit) dea: magna infelicium debitorum captio eſſet, ſi talibus eos commiſſoriis pactionibus illaqueari patiamur. Cæterum ut eas in pignoribus propterea Conſtantinus inutiles eſſe voluit: ſic eum quoque modum ſervavit, ut interea tamen creditori commune ius pignoris non ademerit: ut ſaltem is poſſit ceſſante debitore, pignus, ut fieri recte ſolet, vendere. Certe ius crediti integrum manere, ſublato illo commiſſo, nominatim ait Conſtantinus. Sed quod ad rem commiſſoriam attinet, profitetur hanc ſuam legem cum præteritis præſentia quoque repellere, & prohibere futura. Solet quidem lex tantum ad negotia futura, non præterita referri. Quod & Cicero contra Verrem ſcribit. Sed is fatetur eodem loco, ad præteritum quoque tempus pertinere poſſe, ſi de re turpi agatur, ut etiamſi lex non eſſet, magnopere illud vitandum fuerit. At pactum illud, de quo agit Conſtantinus, neque honeſtum, neque iuſtum fuiſſe,

pa-

palam eſt: & fuerat iam antea ab ipſo quoque Alexandro Imp. reprehenſum: ut mirari non debeamus, Conſtantinum ſuam prohibitionem ad præterita quoque hæc pacta commiſſoria, & ipſa iam commiſſa trahere: præſertim cum nullum creditoribus damnum inferat, ſed iniquum lucrum tantum auferat. Excipi fortaſſis ea poſſent, quæ iam vel tranſactione finita ſunt, vel iudicis ſententia deciſa. Hæc enim iam proprio quodam iure ſuo nituntur.

Porro & illud huc pertinet, quod idem Conſtantinus augens pœnam plagiariorum nova quadam ſua conſtitutione: tantum eos eximit, qui iam iudicati erant, & veterem pœnam ſubierant: ut intelligamus alioqui novam, quam ſtatuit, pœnam pertinere etiam poſſe ad vetera & præterita aliorum plagiariorum crimina, de quibus nulla adhuc eſſet lata ſententia. Conſtantinus ſuam illam de pacto commiſſorio, & eius iniquitate iuſtiſſimam legem edidit altero poſt Nicænum concilium anno. Cæterum paulo ante legem tulerat de uſuris: quam quidem ut Nicænis patribus vix placuiſſe, aut probari omnino potuiſſe, puto: ſic facile patior, ab Iuſtiniano ſuum Codicem colligente eſſe prætermiſſam. Si quis tamen eam deſiderat, extat lib. II. Cod. Theodoſ. in hæc verba: *Quicunque fruges humidas vel arentes indigentibus mutuas dederint, uſuræ nomine tertiam partem ſuperfluam con-*

conſequantur: id eſt, ut ſi ſumma crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius conſequantur. Quod ſi conventus creditor, propter commodum uſurarum, debitum recipere noluerit: non ſolum uſuris, ſed etiam debiti quantitate privandus eſt. Quæ lex ad ſolas pertinet fruges. Nam pro pecunia ultra centeſimas ſingulas creditor vetatur accipere.

l. eos. C. de uſur. Iuſtinianus ſcribit, veteres leges non ſolum in contractibus traiectitiis, ſed etiam cum ſpecies fœnori darentur, maiorem centeſima uſuram ſtipulari permiſiſſe. Quorum fuerint eæ leges, non narrat. Nam & earum memoriam, non minus quam vim & uſum, exoleſcere facile patitur. Ne quis eas tamen ſtatim Conſtantino abſcribat: multis ante eum annis Philippus Imp. qui tamen Chriſtianum ſe fingebat, l. oleo C. de uſur. reſcripſerat, Oleo vel quibuſcunque fructibus mutuo datis, incerti pretii rationem ſuaſiſſe, ut additamenta uſurarum eiuſdem materiæ admitterentur. Cæterum qua fini & ad quem usque modum admitterentur, Conſtantinus expreſſit: quanquam creditoribus plus æquo indulgere videatur, & infelices debitores onerare. Itaque nec illud placuit poſteritati. Sane Iuſtinianus in quadam ſua Nov. conſt. XXXI & XXXII. permiſiſſe ſaltem videtur, ut qui mutuo fruges daret agricolis, octavam earum partem uſuræ annuæ nomine ſtipuletur. Ea paulo etiam maior centeſima eſt: & tamen in hoc genere valde ſe favere agricolis profitetur.

Fa-

Favet certe in eo, quod ſi pecunia detur, non niſi vigeſimam quartam eius partem uſuræ nomine quotannis eos pendere iubeat, quæ non multo maior eſt uſura triente. Sed cur in frugibus partem octavam? Certe propter incerti pretii rationem, magis intereſſe creditoris, veteres iudicarunt. Porro Conſtantinus alia lege ſtatuit, non modo pro pecunia numerata, ſed & pro veſte, licitas uſuras & ſtipulari nos poſſe, & promiſſas ſolvi debere. Atque illud quidem tolerabilius eſt, quam quod paulo ante Diocletianus reſcripſerat, loco pecuniæ numeratæ alias ſpecies æſtimatas mutuo dari poſſe, eiusque æſtimationis tanquam ſortis uſuras promiſſas peti. Durum id profecto & acerbum eſſe videtur. Veteres Iurisconſulti fatentur, mutuum contractum videri, ſi ſpeciem tibi aliquam do, ut eam vendas, & ex eius pretio proficiſcentem pecuniam habeas mutuam. At captioſum eſſe videtur, & iniquum, non modo velle contractum mutuum intelligi, ſtatim atque res æſtimata data eſt, etiamſi nondum vendita ſit: ſed etiam uſuras ſtatim deberi, perinde atque ſi pecuniam debitor iam accepiſſet. An tales conventiones comprobarit Conſtantinus, equidem certo adfirmare non poſſum. Certe Nicænis patribus non potuiſſe approbari exiſtimo. Ac illi quidem valde damnarunt clericos, qui uſuras exigerent, quas appellant ἡμιολίας vulgo interpretantur ſeſquicenteſimas, quas certe ne veteres quidem Romanæ leges toleraſ-

l. ſi pro auro. C. de uſur.

l. ſi pro mutua. C. de uſur.

l. rogaſti. Si cert. pet.

N ſent;

ſent; nam ad ſummum tantum centeſimas tolerabant. Quid vero ſi interpretemur ἡμιολίας hoc Nicæno decreto damnari, quas ſuperior Conſtantini conſtitutio admittebat? nempe, ubi uſuræ nomine tertiam (ut loquitur) partem ſuperfluam creditor exigit: veluti pro duobus modiis frumenti, tres. Nam & ἡμίολον & ſeſcuplum hoc ſignificat, nempe aſſem, & ſemisſem præterea: hoc eſt, totum quoddam, & præterea eius dimidium. Quod quidem in fructibus mutuo datis interdum exigebatur, non proprie tanquam uſura, ſed confuſe ut auctior modus. Quanquam Nicæna ſynodus in univerſum clericos ſuos revocet ab omni fœneratione turpi: quam quidem & ab reliquo populo Chriſtiano alienam eſſe velim: uſuras tamen legitimas, ratione eius quod intereſt, ad eum exigi modum, quem Iuſtiniani conſtitutio præſcripſit, vix quisquam prohibere poteſt, qui rationem commerciorum & uſum non interturbet. Verum id alias viderimus.

Sane Conſtantinus, cum etiam in illa Nicæna ſynodo verſaretur, (neque enim rerum civilium propterea curam abiecerat) prudentiſſime edixit, nec eſſe tolerandas, nec ratas fore cauſidicorum pactiones, qui quidem ex iis quæ tuenda ſuſceperunt negotiis, certam aliquam partem ſibi dari ſtipulantur. Dignos potius eſſe tales litium redemptores, qui & foro eiiciantur, & ab officio poſtulandi removeantur. Qua quidem in re ſecutus eſt prudentum veterum reſponſa. Nam

l. ſi qui advocatorum, C. de poſtulat.

l. ne quicquam. §. circa advocatos. de offic. Pro-

Nam & hi non eſſe ferendum iudicarunt, ut cauſæ patronus, certe aliqua litis parte in eventum iudicii collata, & ea conditione promiſſa redimatur: vel tali lege ſuas operas ut ille locet. Viderunt enim eam fore quandam ad fraudes & calumnias tanquam illecebram. Quid enim fraudis non excogitabunt, quid non facient cauſidici, quorum & ſalarium & ſpes tota ex eventu litis & victoria pendet? Sed & ſi non paciſcantur certam quandam ſibi dari partem eius quod ex lite evinci poterit: ſed lite iam mota & adhuc pendente, de ſuo ſimpliciter ſalario pactum cum litigatore aliquod interponant: inutile id erit. Metu enim potius a litigatore extortum, quam aut conventum, aut liberali voluntate promiſſum eſſe videtur. Quid enim ille, qui iam in advocati ſui magis quam in ſua poteſtate eſt, ſtipulanti patrono negare auderet? Ante litem motam, vel poſt eam iam finitam, poteſt cauſidicus de ſuo ſalario paciſci. Sed iure prohibetur, cum adhuc illa pendet.

conſ. l. ſumptus. de pact. l. ſi remunerandi. §. ult. & leg. ſeq. mand.

l. 1. §. ſi cui cautum. de extraord. cogn. l. 5. C. de pact. l. quisquis. C. de poſtul.

Ut autem conventiones iuſtas obſervari, iniquas vero reſcindi atque infringi, ſic & donationes diiudicari voluit Conſtantinus. Extat eius conſtitutio, edicentis, donationem cum ſuis pactis, quæ quidem legitima honeſtaque ſint, eſſe obſervandam. Idq; etiam ſupra oſtendimus, cum de donationibus propter nuptias, vel inter ſponſum atque ſponſam contractis ageretur. Quid igitur, ſi ingratus ſit is, cui liberaliter donatum

l. donatio. C. de don.

eſt? Ingratum nunc appellamus, qui non modo gratiam non habet, vel refert, ſed etiam pro beneficio maleficium rependit. Romanæ leges tam indignum accepto beneficio eſſe iudicant, ut hoc illi adimant, & actionem ingrati adverſus eum dent. Eas Conſtantino placuiſſe dubium non eſt, cum quidem & ingrato liberto libertatem auferendam eſſe iudicarit. Sed ſingularis quædam exceptio atque moderatio extat, quæ Conſtantino, aut eius certe filio Conſtantio aſcribitur: ut matri, quæ ſecundis nuptiis contractis & incontinentiæ ſignificationem dare, & filiis prius ſuſceptis iniuriam facere videtur, non temere adverſus filios, ſi forte ingrati ſint, actio illa ingrati concedatur; quanquam Iuſtinianus fortaſſe iuſtius deinde ſtatuerit, neque tantum huic matri detrahendum, neque filiis illis tantum eſſe propterea indulgendum. Sed reliqua audiamus, ubi matri eſt integrum actione ingrati, donationem reſcindere, adiectum eſt, quod aliis donatoribus etiam commune eſt, reſcindi ab eo demum die, quo actio hæc mota eſt: ut intelligamus, fructus ante perceptos non reſtitui: neque quod ex rebus donatis ſine fraude in alium iam translatum fuerit, aut bona fide alienatum, poſſe revocari. Quid præterea? Hanc (inquiunt) actionem matris ita perſonalem eſſe volumus, ut vindicationis tamen habeat effectum: nec in hæredem detur, nec tribuatur hæredi. Nova certe & inſolens huius actionis conditio eſt. Tam eſſe dicitur perſonalis, ut non

l. his ſolis. C. de revo. donat.

Iuſtin. nov. conſtit. 22.

modo

modo poſſeſſorem rei non ſequatur, ſed neque ad hæredes vel donatoris vel donatarii pertineat. Quem igitur vindicationis effectum, qui illi nihilominus tribuitur, habere poteſt? In ea ſaltem aliquem habet, quod extorqueat quicquid ex reipſa reliquum ingratus donatarius habet. Multæ ſunt aliæ de donatione leges Conſtantini, quas non deſcribo, quia nullam interpretis operam requirunt. Sed illud diſſimulare non poſſum, Conſtantinum, priusquam donationem perfectam eſſe pronunciet, eique vim obligationis tribuat, multa deſideraſſe videri, quæ tamen poſtea Iuſtinianus remiſiſſe videatur.

Dixi de conventionibus, quæ inter vivos ineuntur. Proximum eſt, ut de ultimis voluntatibus aliquid dicamus: ſicuti & de utroque Iuris civilis ſummo capite Conſtantinus leges edidit. Ac in primis quidem illa eius occurrit conſtitutio, Supremæ voluntatis liberum ſtilum eſſe debere: & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. Dixi hac tota de re latius, cum illam explicarem XII. Tabularum legem, *Uti quisque legaſſit, ita ius eſto.* Sed hic prætereundum non eſt, quod Euſebius ſcripſit, Conſtantinum ſublatis quarundam veterum formularum anguſtiis, liberiorem faciliorem que teſtamenti faciendi rationem reddidiſſe. Quæ tamen hac de re leges extant, filiis Conſtantini aſcribuntur. Itaque plura nunc de iis non dicam.

l. 1. C. de ſacroſ. Ecclef.

l. quoniam. C. de teſta. l. in legatis. C. de legat.

Cæterum illam nemo negat Conſtantini noſtri

l. ult. C. Famil. erciſc. ſtri conſtitutionem eſſe, ut patris, bona ſua inter liberos dividentis, voluntas rata ſit: eamque liberi obſervent, tametſi ab inteſtato ſuccedant. Sed neque, ut diviſionem illam aut convellant, aut infringant, cauſari poſſe imperfectum fuiſſe teſtamentum, in quo perſcripta eſt. Et qua tandem illi fronte patrem familiæ ſuæ erciſcundæ arbitrum recuſabunt? Sed recuſent licet: Conſtantinus tamen hoc arbitrium patri defert, & quod ad fratrum quoque concordiam tuendam pertinere iudicat, conſtanter tuetur. Laudat eos teſtatores Papinianus, qui ut diſcordiis propinquorum ſedandis proſpiciant, quas communio excitare ſolet, bona ipſi ſua, quæ iis relinquunt, etiam dividunt. An non multo etiam magis Conſtantinus faveret paternæ diviſioni, fraternæ concordiæ rationibus proſpicienti atque conſulenti? Quid? Receptum Scævolæ quoque iudicium fuit, confirmantis voluntates teſtatorum, aliquam inter hæredes bonorum communionem imperantium. At multo profecto magis præceptum diviſionis obſervandum eſt. Quid vero Iuſtinianus propterea etiam ſtatuerit, Conſtantinum ſecutus, ex duabus eius Græcis conſtitutionibus, XVIII. & CVII, facile intelligi poteſt: & de iis ſuo quoque loco dicemus.

(Margin: l. cum patern. §. dulciſſimis. de legat. 2. — l. ult. §. Lucius. de leg. 2. l. Lucius. Ad Trebell.)

Inter teſtamentarias Conſtantini leges, duæ in primis, quæ ad querelam inofficioſi teſtamenti pertinent, conſiderandæ ſunt: quarum altera de veteri iure aliquid immutat, altera iure novo nonnihil immutatur. Primum conſtat,

(Margin: 1. de in-)

ſtat, fratribus ſaltem & ſororibus exhæredatis permiſſum fuiſſe, de inofficioſo queri: neque in hac cauſa diſtinguebantur fratres uterini a conſanguineis. Conſtantinus, cum liberaliores eſſe vellet teſtatorum voluntates, præſertim ubi neque liberis neque parentibus iniuria fieret, iniquum eſſe iudicavit, tantundem tribui fratribus omnibus atque ſororibus, cum quidem alioqui nihil hic tribueretur reliquis cognatis, ac ne fratrum quidem filiis. Itaque edixit, uterinis fratribus vel ſororibus exhæredatis, aut præteritis, de inofficioſo queri non licere: conſanguineis tum demum licere, ſi alii ſcripti ſint hæredes turpes. Valerius Maximus narrat, Pompilium quemdam Rheginum teſtamento fratris turpiter præteritum, noluiſſe tamen de inofficioſo agere: etſi iis in teſtamento poſtpoſitus eſſet, quorum alioqui prælatio poterat ignominioſa videri. Hic vero Conſtantinus voluit, ut tum ſaltem, ſi vellet, agere poſſet, ſi modo conſanguineus eſſet. Olim Paulus, cum de parente manumiſſore ageretur, Paconium dixiſſe ait: Si turpes perſonas, veluti meretricem, a parente emancipatus & manumiſſus hæredes feciſſet, totorum bonorum poſſeſſionem parenti dari: aut conſtitutæ partis, ſi non turpis hæres eſſet inſtitutus. Huius diſtinctionis rationem quodammodo ſecutus in fraterna querela Conſtantinus videtur: & fratri conſanguineo hoc reliquit, ut ſi turpibus perſonis hæredibus ſcriptis exhæredetur ſine iuſta cau-

offic. l. fratris. C. eod.

l. 27. C. de inoffic.

l. 3. Si a par. quis manumiſ.

ſa,

ſa, agat de inofficioſo. Nam & tum non ſolum inofficioſum, ſed & improbum, ut Cicero ait, teſtamentum eſt. Cæterum amicos, ſi honeſti ſint, fratribus etiam conſanguineis præferre in teſtamento nos poſſe, ſtatuit Conſtantinus. Nam & plerumque amicos habemus fratrum loco, ut Iuriſconſulti quoque veteres fatentur: & de nobis melius ſæpe merentur, & nos iis pluribus beneficiis obſtringimur.

l. nemo dubitat de hæred. inſtit.

Porro in eadem illa ſua conſtitutione Conſtantinus adiecit, dari quoque querelam inofficioſi exhæreditatis fratribus conſanguineis, ſi iis prælati, hæredesque ſcripti ſint liberti, perperam & non bene merentes, maximisque beneficiis patronum ſuum aſſecuti Iis utitur verbis Conſtantinus, quæ inſolens & durum dicendi genus continent: ſed hoc tamen ſignificant, quod elegantius olim dixiſſe videtur M. Tullius. Is quodam loco ait, etiam veras hæreditates non honeſtas videri, ſi ſunt malitioſis blanditiis, & officiorum non veritate, ſed ſimulatione quæſitæ. Ergo ſi libertus talibus non tam beneficiis, quam inani beneficiorum ſimulatione, obſequiis, munuſculis, aſſentatione, & captioſis huius generis illecebris callide patronum ſibi conciliat, ut hac arte in eius teſtamentum irrepat, & patroni fratrem depellat: iniuriam ferendam non eſſe, Conſtantinus iudicavit. Aliam eſſe cauſam neceſſarii ſervi inſtituti fatetur. Hunc inſtituere ſolemus, cum alioqui hæreditas damnoſa futura eſt, nec alium volunta-

luntarium hæredem facile inveniremus. Hic certe frater magis ſibi gratulabitur, quam conquereretur, præteritum ſe eſſe. Tum enim utile eſt exhæredari.

Altera Conſtantini conſtitutio de hac querela eſt hæc: *Liberi de inofficioſo querelam contra teſtamentum parentum moventes, probationes debent præſtare, quod obſequium debitum continue, prout ipſius naturæ religio flagitabat, parentibus adhibuerint: niſi heredes ſcripti oſtendere maluerint, ingratos liberos contra parentes extitiſſe.* **l. 28. C. de inoffic.**

Ergo Conſtantinus hoc hæredibus relinquit, ut ab exhæredatis liberis, qui de inofficioſo queruntur, innocentiæ, & officiorum probationes requirere poſſint. Dura ſane & difficilis neceſſitas, conditioque probationis. Et quando tandem filius probabit, nullum ſe officium, quod patri debeatur, prætermiſiſſe? Hanc igitur Conſtantini legem Iuſtinianus non videtur recepiſſe.

Nam Novel. conſtitut. CXV. edixit, exhæredationis iuſtam certamque cauſam ab ipſo teſtatore exprimi debere, & ab hærede ſcripto probari. Ergo ſi filius de inofficioſo agat, ſi quidem filius eſſe negetur, filium ſe eſſe probabit. Hæres, ſi ingratum eſſe dicat, non ſolo patris teſtimonio utetur, ſed & aliis probationibus id confirmare debebit. Iuſtas autem exhæredationis cauſas eadem illa ſua conſtitu-

tione Iuſtinianus etiam enumerat. Sed nos Conſtantinum nunc perſequimur. Ac multa quidem, quæ illius ſunt, etiam prætetimus, cum nullum eſt moræ noſtræ vel operæ pretium. Sed nondum hæreditarias eius leges complexi omnes ſumus: quas profecto complecti, atque etiam explicare debemus. Nam de ſucceſſione & hæreditatibus extat lex quædam Conſtantini, quæ miſeros in ſchola interpretes valde torquet: & eſt certe tam brevis, ut ſit etiam obſcura & difficilis, iis quidem qui alias Iurisprudentiæ Romanæ leges non ignorant. Nam ignorantibus qui nulla de re dubitant, poſſet non obſcura fortaſſe videri. Ait: *Qui ſe patris poſt avum inteſtato defuncti negat hæredem, mortui avi paterni ſuſcipere facultates non poteſt, maxime emancipatus: niſi per bonorum poſſeſſionem ad huiusmodi beneficium pervenerit.*

l. ult. C. qui admitti.

Primum illud videamus, an nepos avitam hæreditatem repudiare poſſit, & paternam nihilominus retinere. Tum ediverſo deinde quæremus, an hanc omittere poſſit, & illam conſequi. Paulus ait: Si filius, priusquam ſciret ſe neceſſarium extitiſſe patri hæredem, deceſſerit relicto filio neceſſario, permittendum eſt nepoti, abſtinere ſe avi hæreditate, quia & patri eius idem tribueretur. Intelligit Paulus, ſimul huic nepoti permitti, repudiata avi hæreditate retinere paternam. Summo quidem iure hanc cum illa commixtam confuſamque videri poſſe propter ius ſui, & ita patrimonium

l. 7. de acqui. hered.

nium unum factum eſſe, quod ſeparari non poſſit. Sed quandiu filius ſeſe bonis hareditariis non immiſcuit, ut hic proponitur ſeſe iis minime immiſcuiſſe, cum neſciret quidem delatam ſibi eſſe hæreditatem: Prætor benigne interpretatur, non omnino hæredem extitiſſe. Qui ſi omnino hæres fuiſſet: veluti ſi ſe bonis ſciens immiſcuiſſet: certe ut ei integrum deinde non eſt abſtinere, ſic multo minus erit nepoti, avitam a paterna hæreditatem ſeparare, ut illa abſtineat, hanc retineat. Itaque & Paulus ſubiicit eodem loco: In omni ſucceſſione, qui ei qui hæres ei extitit, qui Titio hæres fuit, Titio quoque hæredem videri eſſe: nec poſſe Titii omittere hæreditatem. Hucque etiam pertinet, quod, cum filio impuberi hæredi ex aſſe inſtituto ſubſtitutus quis fuiſſet: extitiſſetque patri filius hæres: & quæreretur, an poſſet ſubſtitutus ſeparare hæreditatem, ut filii habeat, patris non habeat: reſpondit Ulpianus, l. 10. §. 2. de vulg. & pup. non poſſe, ſed aut utriusque debere hæreditatem habere, aut neutrius. Iunctam enim hæreditatem eſſe cœpiſſe. Idemque eſſe, & ſi pater me quoque ſimul hæredem ſcripſerit ex parte, & filium ex parte: nam ſi patris hæreditatem repudiavero, non poſſe me filii hæreditatem habere. Sane beneficium abſtinendi, quod filio datur, non dari ſubſtituto, alicui præſertim extraneo, ut hæreditate teſtatoris abſtineat, habeat tamen pupillarem, Iavolenus, & Iavoleni diſcipulus l. 28. de reb auct. iud. Iulianus reſponderunt. Sed Papinianus hoc

ſaltem

poſſ. l. 42. de acqui. hered. l. 12. de vulg. & pupil.

ſaltem tribui ſubſtituto, ſi & ipſe filius ſit, & fratri ſuo ſit ſubſtitutus, recte iudicavit: & in univerſum æquius eſſe utiliusque Marcellus notat. Sed hoc ad ſummum dici poteſt, ubi nulla immixtione tanquam aditione omnino commixtæ ſunt hæreditates. Alioqui vix eſt ut ſeparatio ulla concedatur.

Nunc alterum, videamus, quod ad Conſtantini conſtitutionem propius accedit: an etiam ediverſo poſſit nepos avitam hæreditatem conſequi, repudiata paterna? Certe ſi illa, quam dixi, commixtio fuerit, ſeparatio concedi nulla poteſt. Si filius ipſe abſtineat delata hæreditate, vix eſt ut iure civili nepos ex eo admittatur, cum neque in ſuis neque in agnatis ſucceſſio ſit. Sed ex Prætoris edicto ſucceſſorio, quod & emancipatis liberis commune eſt, admitti facilius poterit. Quid ſi filius neque ſe immiſcuerit, neque etiam abſtinuerit, & ita mortuus ſit? Certe nepoti ex eo difficile eſt, abſtinenti paterna hæreditate, concedere avitam, cum quidem ad hanc ex perſona tantum ſui patris pertingere poſſit: ut patris ſui magis quam avi hæres eſſe videatur. Si itaque patris eſſe nolit, quomodo avi eſſe poterit? Sed videndum eſt, ne hic benigne Prætor aliquando concedat nepoti facultatem abſtinendi paterna, ſic ut avitam tamen conſequatur, tanquam hæres adhuc patris ſui quodammodo ſit. Sane ſi hic nepos in teſtamento avi hæres eſſet inſtitutus, dubium non eſt, quin ex teſtamento avitam

l. 1. §. ſciendum de ſuis & leg.

con-

conſequi poſſet: etſi paternam, quæ aliunde obvenit, reiiciat. Ac memini ſane, in quodam Gordiani Imp. reſcripto fieri mentionem nepotis, qui cum avi hæreditate teſtamento delata abſtinuiſſet, in integrum propter ætatem minorem reſtituti, ut eam adire adhuc poſſit, repudiata nihilominus paterna ſucceſſione. Quo in genere ſi loqui intelligatur hæc quoque Conſtantini conſtitutio, non valde difficilis eius eſſet ratio. l. 2. C. Si minor ſe abſti. hæred.

Ut vero tandem ad leges iudiciorum actionumque forenſium veniamus, in quibus vis tota legum aliarum, atque adeo Reip. ſalus ſita eſt: Conſtantinus nihil in hoc quoque genere omiſit, quod deſiderari poſſe videbatur. Ac ut taceam, eius conſtitutiones de officio ſingulorum Magiſtratuum, deque eorum contractibus, & cauſidicorum pactionibus captioſis, quod iam ante dictum, nihil hic repetam: nunc occurrit, quod de ordine iudiciorum ſtatuit, ut de crimine quam de civili cauſa prius cognoſcatur atque pronuncietur. Quanquam id neque omnino perpetuum ſit, neque etiam a Conſtantino primum proditum. Nam & olim reſcripſerat Theſſalonicenſibus Adrianus Imp. ut ſi de vi & poſſeſſione quæratur, prius de vi quam de proprietate rei cognoſcatur. Quid? Olim quoque Romæ iudicium de vi tractababatur ante alias omnes, etiam criminales, atque adeo tempore priores; cauſas. Quod ex quadam ad Ciceronem Cælii epiſtola facile intelligi poteſt. l. ult. C. de ord. iudic. l. 37. ſi de vi. de iud.

poteſt. Cicero etiam in libris de Inventione, agens de quæſtione translativi ſtatus narrat quendam, cui manus gladio præciſa fuerat, petiiſſe liberam iniuriarum actionem, ſic ut prius reum iniuriæ accuſare, deinde damno agere poſſet. Reum vero obieciſſe, id iudicio recuperatorio non convenire, ut prius de iniuria, quam de damno agatur. Sed quia iudiciorum ordo non tam perpetua aliqua lege continetur, quam ex cuiusque fori moribus repetendus eſt, in eo diutius non hærebo.

Cæterum quam valde rem iudiciariam curarit Conſtantinus, vel inde intelligi poteſt, quod hanc curam ne tempore quidem Nicæni concilii intermiſerit. Nam non modo tunc de uſuris legem, cuius antea memini, edidit: ſed illud etiam ſtatuit, ut qui cauſæ continentiam (ſic enim vocat) dividere vellet, non audire-
l. 2. C. de iudic. tur: neque a Principe poſtulandum eſſe, ut alius poſſeſſionis, proprietatis alius iudex daretur. Id prudenter ſtatutum fuiſſe, ut multæ tergiverſationum ambages præciderentur, & litibus facilius citiusque finis imponeretur, quod Reipub. ſalus poſtulat, nemo non videt.
l. 2. C. de precibus Imp. offer. Eodem illo anno & ſapientiſſime & humaniſſime edixi: moratoriam quidem præſcriptionem reſcripto Principis concedi poſſe: peremtoriam vero, quæ totius negotii cognitionem tollit, & vires principalis negotii exhaurit (ſic enim lo-
l. 3. C. de prec. Imp. offer. quitur) neque dari neque remitti poſſe. Nimis enim grave in eo fore alterius partis diſpendium. In univerſum aliquando reſcripſerat

æquiſ-

æquiſſimus hic Princeps, poſtulari non oportere, quæ Iuri contraria ſunt. Alterius itaque ius ſuo reſcripto vel tollere, vel perimere ſine iuſta cauſa neque voluit, neque debuit: neque ſine iniuria potuiſſet. Audiebat, quod paulo ante Diocletianus ipſe reſponderat: l. 4. C. de emanc. lib.

Non eſt moris noſtri, in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere. Non erat tam barbarus Conſtantinus, ut in eo genere conſtantis iuſtitiæ atque æquitatis, ab illo vinci ſe pateretur. Meminerat ipſum quoque Antoninum reſcripſiſſe, Principis mandato nemini ius ſuum detrahi oportere: & illa quoque Papiniani vox occurrebat, Beneficium cum alterius iniuria poſtulari non debere. Certe qui ius cuique ſuum reddi tam conſtanter voluit, atque ut redderetur, nihil non ſemper fecit: niſi ſi naturam exuiſſet ſuam, neque huius iuſtitiæ oblivisci, neque tam conſtantem & perpetuam voluntatem mutare potuiſſet. l. 2. de his qui ſui ſunt vel alien. lib. 12. ſed cum. Ad Trebel.

Defendat, ſi poſſit, ſuam σεισάχθειαν Solon. Romani, quod volent, prætexant novis ſuis tabulis: iniuriam tamen ius eſſe nunquam mihi perſuadebunt; & ipſe iis Cicero reclamabit, nullam eſſe poſſe diuturnam Remp. niſi ſit rerum creditarum neceſſaria ſolutio. Hanc igitur fidem retineri, atque adeo potius aſtringi voluit Conſtantinus. Neque tamen tam durus rigidusque fuit, quin aliquando iuſta ex cauſa moratorias (ut vocat) ſive dilatorias præſcriptiones miſeris debitoribus beneficio Principis dari recte poſſe, benigne iudicarit. l. 2. C. de precib. Imp. offer.

Quo

Quo iure & nos utimur, atque utinam non abutâmur etiam. Nota eſt illa Iuriſconſultorum vox, non eſſe damnum magnum in mora modici temporis. Valde itaque moroſi, atque adeo acerbi eſſent creditores, ſi conquerantur, & indigne ferant, quod laxiorem aliquem diem ſolvendi, quem ipſa humanitatis ratio poſtulat, & reis quoque condemnatis dari lex voluit, infelici debitori ex cauſa tribuat aliquando humanus Princeps. Sed iuſtam profecto eius beneficii cauſam eſſe vellem, veluti caſum aliquem, qui inopinantem debitorem, cuius nulla alioqui eſt culpa, oppreſſerit: neque facile prævideri, aut aliqua cautione depelli potuerit.

Iulius Cæſar disiecta novarum tabularum expectatione, videtur olim obæratis diem tamen ad ſolvendum dediſſe, & (ut loquitur Cicero) dieculam duxiſſe, ſive produxiſſe, & tamen in eo ipſo iudicat Cicero multum eſſe mali. Verum nimis acerbe fortaſſe exagitat Cæſaris beneficium.

Illud quoque ad conſtituendum iudiciorum ordinem, eorumque vim ſanciendam pertinet, quod Conſtantinus tam continentes eſſe litigatorum manus, tamque & religioſe & patienter iudicis ſententiam eos expectare voluerit, nihilque interea quicquam attentare, ut edixerit;

l. 4. C. Fin. reg. *Quo magis unusquisque contentus ſuo, rem non expectet iuris alieni, cum qui mota de finibus quæſtione, non expectata ſententia, voluerit rem ſibi alienam uſurpare: non ſolum id quod male petebat, amittere, ſed & præ-*

terea

terea tantum agri modum, quantum adimere tentavit.

Complura ſunt huius generis Rom. principum reſcripta, ut vim omnem, qua nihil eſt iuri contrarium magis, coerceant. Sed hunc locum, in quo Conſtantinus magis ſecutus alios eſt, quam aliis ipſe præierit, nunc mitto. Non omittam tamen, quod repetito veterum iudiciorum more ſtatuit, teſtes iurisiurandi religione conſtringendos eſſe, priusquam teſtimonium dicant. Cicero pro Roſcio Comœdo contendit, teſti iniurato non minus quam iurato credendum eſſe. Sed hoc, ut cauſæ & foro ſerviat, facit. Idem certe pro Corn. Balbo, morem etiam veterem fuiſſe Græcorum ſcribit, ut poſteaquam quis teſtimonium dixiſſet, iurandi deinde cauſa ad aras accederet.

l. extat. Quod met. cauſ. l. ſi quis in tantam. C. unde vi. l. iurisiurandi. C. de teſtib.

Sed maior meliorque eſſe videtur cautio, ut antequam dicatur teſtimonium, iuretur. Neque dubito, quin legitimam etiam iurisiurandi formulam Conſtantinus requiſierit: ut iuretur per æternum Deum, rerum omnium conſcium, & tam ſeverum falſi iuſtumque ultorem, quam veritatis conſtantem vindicem & aſſertorem. Ad hanc nempe aram, eius animum, qui teſtimonium dicturus eſſet, attolli debere, Conſtantinus religioſe intellexit. Adiecit etiam, ut honeſtioribus potius fides teſtibus adhiberetur: neque ullius, quantumvis illuſtris viri, ſi ſolus ſit, teſtimonio adhibeatur. Sed huius generis dictis, quæ vulgo quoque nota, & iam protrita

O ſunt,

ſunt, pleni ſunt legum Romanarum libri: nihil ut ſit neceſſe, in iis diutius nos immorari. Illud novum magis in iudiciis & inſolens eſt, quod libro undecimo Codicis Theodoſ. quædam proponatur Conſtantini conſtitutio: ut primum quidem iuxta regulas iuris, ab actore probatio exigatur. Sed ſi eam is præſtare non poſſit: ſecundo ſaltem loco reus, qui rem poſſidet, probare, unde & quo iure poſſideat, cogatur.

Non retulit hanc legem in ſuum Codicem Iuſtinianus; neque ſane eam aut probaſſe aut recepiſſe videtur, abhorrentem ab iure communi. Nam & ipſe ediverſo docuit, commodum poſſidendi in eo eſſe, ut actor, non etiam reus poſſeſſor, oneretur probationis neceſſitate; & ante Conſtantinum nihil frequentius alii Cæſares tradidere. Omitto, quod Antoninus duobus id reſcriptis confirmavit: nonne Diocletianus ipſe pauciſſimis ante Conſtantinum annis, illud ipſum ſatis ſuperque inculcarat? Actor (inquit) profitendo probare ſe non poſſe quod aſſeverat, reum neceſſitate monſtrandi contrarium non aſtringit. Item: Fruſtra veremini, ne ab eo qui lite pulſatur, probatio exigatur. Item: Res alienas poſſidens, licet iuſtam tuendi cauſam nullam habeat, non niſi ſuam intentionem implenti reſtituere cogitur. Eſt quidem ſingularis unus apud eum locus, in quo Iuris præſumptio (ut appellatur) probandi neceſſitate reum poſſeſſorem onerat, actorem exonerat.

l. 2. C. de probat. l. qui accuſare, C. de eden.

l. actor. C. de probat. l. fruſtra. C. de probat.

l. ult. C. de rei vindic.

nerat. Sed eius ſingularis iuris & tanquam privilegii cauſa obſcura non eſt. Filii hæredes vindicabant prædium quoddam paternum, quod eorum frater, ſed antea emancipatus, & a patre exhæredatus, vel etiam teſtamento præteritus, poſſidebat. Paternum fuiſſe probabant. Suum aliter eſſe probare non poterant. Poſſeſſor contendebat, ſibi a patre donatum eſſe inter vivos. Non erat id valde veriſimile. Eius ergo donationis probationem requirit Diocletianus: quod alioqui res in dubio magis eſſe filiorumfam. hæredum crederetur. Sed interea communem Iuris regulam non convellit: neque Conſtantino, cur eam in univerſum convellat, cauſam relinquit. Rata igitur maneat. l. ſive poſſidetis. C. de probat.

Porro cum de actionibus iudiciisque agitur, prætereunda illa non eſt ſingularis lex Conſtantini, edicentis iuſtas etiam fiſci actiones, ob hoc ſolum, quod ſuis temporibus non ſunt prolatæ, cremari: ut calumniæ privatorum eo arceantur exemplo, quo iuſtæ fiſci lites ſilent. Quid fiſco aliis in rebus tribuat, ſupra ſatis dictum eſt. Nunc quid ſibi hic velit, videamus. Suis temporibus non prolatæ dicuntur actiones, ſive citius quam oporteat, ſive tardius intendantur. Extat alia quædam eius conſtitutio, non niſi quadriennio durare actionem quam fiſcus habet ad bona vacantia; quod & Papinianus antea ſignificarat. Et eodem tempore Severus Imp. ſtatuit, peti non poſſe poſt quin- l. 1. C. de quadrien. præſcript. l. intra. de diver. temp. præſcript.

l. 2. C. de vectig. & commiſſ.

quennium, ſi quid propter vectigal non ſolutum fiſco ſit commiſſum. In aliis vero fiſci quæſtionibus, viginti annorum præſcriptionem cuſtodiri, veteres Iuriſconſulti reſponderunt.

l. in omnibus de div. temp. præſcript.

Quod ſi hic intelligamus, Conſtantinum agere de actionibus fiſci ante tempus motis, durum eſſet eas intelligi propterea crematas, hoc eſt, extinctas, præſertim cum privatorum etiam hominum actiones propter eam cauſam non omnino conſumantur, ſed in longius tantum tempus differantur. Quid itaque, ſi hoc loco cremari accipiamus pro ſuſpendi, a verbo κρεμάω? ſicuti notum eſt Cæſares Conſtantinopolitanos, cum latine loquuntur, plerumque ἑλληνίζειν.

l. ult. C. ſentent. reſcin. non poſſe.

Quod ad rei iudicatæ vim & auctoritatem attinet: Conſtantinus talem tantamque eſſe voluit, ut ne Principum quidem reſcriptis reſcindi poſſe reſcripſerit. Sed quia hac tota de re copioſe a me dictum eſt ad leg. XII. Tab. eo lectorem reiicere malo, quam moleſta plenaque tedii repetitione nunc eum iterum onerare. Neque certe omnia omnibus locis dici neceſſe eſt. Cæterum quo maiorem eſſe voluit Conſtantinus vim rerum iudicatarum (ſic enim maximam eſſe neceſſe eſt, ut contineatur Reſp.) tanto etiam magis ſolicitus fuit, ut eſſe profecto debuit, iudicia ut integra eſſent & incorrupta. Edixit itaque, ut qui vel pretio depravatus, vel gratia, male iudicaſſet, & infamis fieret, & litis diſcrimen damnumque ſubiret. Inſignis profecto

fecto conſtitutio. Quia vero hac quoque de re ſatis multa dixi, cum XII. Tabulas explicarem: ex quo tanquam fonte multæ huius generis honeſtiſſimæ leges emanarunt: facile iterum patiar, breviorem hic me eſſe. Neque vero improbos ſolum iudices Conſtantinus caſtigavit: ſed etiam dubitantes inſtruxit, & ea tanquam regula direxit, ubi hærere poſſe videbantur, ut ſublato veluti ſigno, in quod ſemper intuerentur, facile ſeſe explicare, ſi vellent, poſſent, & a iuris ratione & via, quam ſequi deberent, nunquam deflectere. Certe non multis verbis nobiliſſimam in hoc genere legem, oraculi inſtar, edidit, qua ad regenda iudicia melior edi nulla poſſet. Verba eius ſunt: *Placuit, in omnibus rebus præcipuam eſſe iuſtitiæ æquitatiſque, quam ſtricti iuris, rationem.*

Ulpianus ait: In ſumma, æquitatem ante oculos habere debet iudex. Et generaliter puto, iudicem non meram negotiorum geſtorum actionem imitari, ſed ſolutius æquitatem ſequi debere. Denique vetus regula eſt, In omnibus quidem, maxime tamen in iure, æquitatem ſpectandam eſſe. Illud nunc ipſum Conſtantinus inculcat: nec contentus æquitatis verbo, iuſtitiæ quoque nomen adiungit, duobus verbis rem prope eandem notans. Nam ut Iuris ſcientiam vocat Celſus, ſtrictam illam & anguſtam exactamque obſervationem verborum magis quam ſententiæ ipſius legis: & plerumque eius ſcientiæ prætextu pernicioſe errari ait, cum poſtponitur

l. 4. de eo quod cert. loco.
l. at ſi quis, §. idem Labeo. de relig. & ſumptib. fu.
l. in omnibus de reg. iur.
l. ſi ſervum. §. ſequitur. de verb. obl.

nitur ratio æqui & boni: ſic hoc loco Conſtantinus iuſtitiam vocat, benigniorem illam & laxiorem iuris interpretationem, quæ verborum anguſtiis & tanquam angulis interclusa non eſt: ſed prudenter voluntatem eius, quam conſectetur, inquirit. Dixit Ariſtoteles, ἐπιείκειαν εἶναι ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου δικαίου: quo nihil dici maius poteſt, ad commendandam, quam Conſtantinus hic commendat, æquitatem. Ineptum autem eſt, quod quædam exemplaria aſcribunt, æquitatis ſcriptæ. Nulla enim æquitas ſcribitur: neque ſi ſcripta ſit, amplius æquitas proprie dici poteſt. Porro hæc in conventionibus bona fides appellatur: quam & in contractibus conſiderari æquum eſſe, ait Diocletianus Imp. Cæterum quod ad Iuris interpretationem attinet, videamus quantum Iudicibus poteſtatis tribuat Conſtantinus; non enim id adhuc ſatis intelligi audio: & res tamen magni ponderis eſt, atque momenti. Si propoſitæ quæſtionis circumſtantiis omnibus conveniat ſcripti iuris definitio, ut perſpicuum ſit legis præceptum, & patefacta voluntas in ea ipſa, de qua agitur, quæſtione: non poteſt ab ſcripto recedere iudex, aut aliud ſibi ius fingere. Nam & alioqui leges fruſtra ſcriberentur, ſi pro cuiusque arbitrio eludi poſſent; fruſtra etiam præciperetur, ne quis aliter, quam legibus proditum ſit, iudicet. Sed & ſi quod in lege ſcriptum eſt, perquam durum eſſe videatur: tamen id obſervari debere, ait Ulpianus: & ubi expreſſim ſententia con-

l. 4. C. de act. & obl.

l. proſpe.

contra iuris rigorem lata eſſet, valere non debere: cauſamque ipſam ſine appellatione denuo induci poſſe, reſpondit Modeſtinus. Cæterum ſi in quæſtione propoſita ratio ipſa moneat, plus aliquid legem ſenſiſſe atque voluiſſe, quam verbis expreſſum ſit: non aſtringet ſe iis verbis iudex, ſed benigniori interpretatione ex æquo & bono repetita, voluntatem & ſententiam ipſam prudenter eruet, eamque ſequetur. Atque hanc quidem proprie æquitatem civilem vocare Ulpianus dicitur. Cæterum ſi quid ſit æquum quidem & bonum, ſed alioqui alienum ab legis ſcriptæ non modo verbis, ſed & ſententia: quodque legislatori aut viſum eſſe, aut placuiſſe dici non poſſit: ut multa ſunt naturali rationi conſentanea, quæ tamen cum iuris civilis uſu non conveniunt: iam certe id privatæ interpretationis non eſt, ſed prætoriæ aut principalis poteſtatis, ad quam leges ferre pertinet. Hæcque illa eſſe creditur naturalis æquitas, quam multis Prætorum edictis novis cauſam dediſſe, Ulpianus ſæpe ſignificat. Itaque & Conſtantinus ſic edixit: *Inter æquitatem iusque interpoſitam interpretationem, nobis ſolis & oportet & licet inſpicere.*

xit. Qui & a quibus. l. ſi expreſſim. de appellat.

l. I. C. de legibus.

Quod & eo pertinet, ut ſi legis ſententia obſcura ſit, & incerta, ipſaque verba ambigua, conſulatur Princeps. Sicuti & olim Iulianus reſpondit, de iis quæ primo conſtituuntur, aut interpretatione aut conſtitutione optimi principis certius ſtatuendum

 eſſe,

l. ult. C. de legib. eſſe. Et Iuſtinianus ait: Si in præſenti tempore leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & leges interpretari ſolummodo dignum imperio eſſe oportet.

Cæterum cum inepti iudices inanibus relationibus, & non neceſſariis conſultationibus temere Principis aures obtunderent (ut homines nullum in utramque partem modum ſervant) Conſtantinus huic quoque malo ſapienter occurrit. Extat lib. XI. Cod. Theodoſ. hoc eius reſcriptum, ad Clodium Plautianum correctorem Lucaniæ:

Super paucis, quæ iuridica ſententia decidi non poſſunt, noſtram debes conſulere maieſtatem, ne occupationes noſtras interrumpas: cum litigatoribus legitimum remaneat arbitrium, a ſententia provocandi.

Poſt rem iudicatam, de appellationibus quæri ſolet: quarum & veterem & frequentem & neceſſarium eſſe uſum, ut vel iniquitas iudicantium, vel imperitia corrigatur, dixit Ulpianus, (l. 1. de appel.) & neminem etiam id neſcire adiecit. Non prætermiſit itaque hanc iuris civilis partem Conſtantinus: imo vero nulla alia prope de re plures edidit leges: ut neque eſt profecto quicquam, quod in foro infelices rei magis requirant, magiſque etiam omnibus litigatoribus debeatur. Ac calumnioſas quidem provocationes eorum, qui non modo evidentiſſimis teſtimoniis convicti, ſed ſua etiam confeſſione veluti confoſſi eſſent, noluit audiri. (l. 2. C. Quorum appel. non recip.) Quis enim talia ludibria, talem impudentiam ferat? Sed ubi aliqua

aliqua vel minima eſſet appellandi cauſa, reiici noluit appellantem: neque id minus noluit in minoribus, quam maioribus negociis. Iudicesque etiam monet, ne exiſtiment ſibi iniuriam fieri, ſi ab iis condemnatus litigator, alios appellet. Et quamvis abs Præfecto prætorio provocari non poſſe, ut & olim conſtitutum fuerat, conſtituerit: ab omnibus tamen aliis iudicibus poſſe, ſtatuit: atque adeo ab iis, qui (ut loquitur) imaginem principalis diſceptationis accipiunt. Ac ſi memoria repetamus, quod libro ſuperiori retuli, ut ſe geſſerit in cauſa Donati, quamque patienter audierit ſæpius provocantem, cum quidem ab iis damnatus eſſet, quos & iudices dari ſibi ipſe poſtularat, & Conſtantinus dederat, quorumque etiam alioqui & autoritas ſumma erat, & pietas integritasque nota: facile profecto intelligemus, nihil eum in hoc genere, quod a Principe æquiſſimo, atque etiam indulgentiſſimo deſiderare quiſquam poſſet, prætermittere voluiſſe. Adverſus reos falſæ monetæ convictos, atque damnatos, quibus ius & beneficium provocandi negavit, durior fuiſſe fortaſſe videri poſſet. Sed ſingularem hanc adverſus eos ſeveritatem, requirebat eorum temporum neceſſitas, atque periculi magnitudo. Neque alioqui ſua natura vel præceps ad pœnam, vel acerbus Conſtantinus erat. Certe eum qui provocaſſet, ubi provocandi ius erat, paſſus non eſt ullam aut carceris pœnam, moleſtiamve aut contumeliam, quæ iniuriæ ullam ſpeciem præ ſe ferret, pati. Sed

l. & in maiorib. C. de appell.

l. a Proconſulibus. l. etiam eos. C. de appell.

l. minime. C. de app.

& in criminali cauſa reum provocantem, tum demum ubi nullum habet fideiuſſorem, cuſtodia contineri ſtatuit. Magnum eſt hoc profecto, & ſingulare humanitatis atque beneficii genus, reum criminis iam damnatum, datis vadibus carcere liberari poſſe. Fateor: non reiecit olim Siculus ille tyrannus vicariam amici vadis fidem: ſi tam vera eſt, quam eſt pervulgata, Pythiæ & Damonis hiſtoria. Sed paulo eſſe ſolebant in hoc genere difficiliores Romani.

l. 3. de cuſt. & exhib. reor. Pius Imp. ad epiſtolam Antiochenſium reſcribens, fatetur non eſſe in vincula coniiciendum eum, qui fideiuſſores dare paratus eſt; ſed id tamen negat, ſi tam grave ſcelus admiſiſſe eum conſtet, ut neque fideiuſſoribus, neque militibus committi debeat: verum hanc potius ipſam carceris pœnam ante ſupplicium quoque ſuſtinere.

Si ubi fideiuſſoribus commiſſus eſt reus, quæratur de eorum vel obligatione vel periculo, non dubium eſt Conſtantino placuiſſe, quod Ulpianus reſpondit, eum qui reum criminis, de quo ſatisdedit, non exhibet, pœna pecuniaria plecti: & ſi dolo non exhibeat, etiam extra ordinem puniri. l. 4. de cuſtod. & exhib. reo.

Ut autem perſequamur Conſtantini leges (ut ita loquar) capitales, humaniſſimam eius conſtitutionem de cuſtodia reorum initio proponamus. Edixerat aliquando, ut ſi quando, fiſci debitoribus propter contumaciam manus iniiciendæ eſſent, non niſi aperta & libera & in uſum hominum inſtituta cuſtodia militari detine-

tinerentur. Sed eo edicto non contentus legem præterea in univerſum tulit, qua valde ſibi probari teſtatus eſt, quod olim prudentes Romæ reſponderant, carcerem habendum eſſe ad homines continendos, non ad puniendos. Viderat etiam Romæ ferales & ſquallidas Tarquinii Superbi Latomias; viderat Tullianum. Sed talia regiæ tyrannidis inſtrumenta ecquis æquis oculis conſpiciat, niſi ſi etiam tauros Phalaridis amet? Audiebat Conſtantinus, impium illum Licinum, affinem ſuum, & imperii conſortem, edixiſſe, ne quis cibum ad Chriſtianos carcere clauſos, quos inedia extinguere volebat, deferret. An tam barbarum edictum hic noſter non execraretur, quod ipſi etiam Ethnici, qui plane barbari non erant, deteſtati fuiſſent? Certe Iurisconſultus ille Rom. Licinius Rufinus reſpondit, pœnali iudicio eum coercendum eſſe, qui victum vel ſtratum inferri reo etiam iudicato non pateretur. Accuſat & Cicero Verrem, quod filiis in carcerem incluſis, prohiberet miſeros parentes cibum veſtitumque ferre, niſi pretio id redimerent. Exaggerat & iniurias carceris, tenebrarum, vinculorum, incluſi ſupplicii, & a libero ſpiritu & luce communi ſecluſi: & hæc vel ipſa vita recte redimi poſſe, pecunia vero non poſſe æſtimari ait. Quid multis? Quod Ulpianus reſpondit, Eum quæſtionis modum eſſe debere, ut reus ſalvus ſit vel innocentiæ, vel ſupplicio: dici etiam de cuſtodia carceris poteſt: Tam-

l. 1. C. de cuſto. reo.

l. aut damnum §. ſolent. de pœnis.

l. ſi victum. de re iudic.

l. 7. de quæſt.

Tamque id profecto valde placuit Conſtantino, ut ipſum etiam magiſtratum puniri velit, ſi capitali ſtatim ſupplicio non affecerit cuſtodes carceris, eorumve miniſtros infelicem reum aut inedia torquentes, aut alio cruciatu affligentes.

Quod ad ordinem & uſum capitalium iudiciorum attinet, Conſtantinus in primis ſibi utrumque valde eſſe & curæ & cordi, reipſa oſtendit. Nam & ſeverus erat criminum, præcipue atrociorum, vindex, & impunitatem ſciebat humanæ ſocietatis eſſe perniciem: & vero, qua lege & in quos uſus ab ipſo Deo ius gladii accepiſſet, non neſciebat. Audiebat, quid is iam inde ab ipſius Noah temporibus edixiſſet: & Delphorum etiam exemplo permoveri poterat, apud quos moris fuiſſe accepimus, ut quo gladio pecudes ad ſacrificium mactabantur, ſontium capita etiam ferirentur. Quid igitur? In primis neceſſe fuit, delicta & maleficia, quæ ſi lateant, impunita erunt, & quæri & convinci: ſicuti & veteres ſæpe monuerunt, Reip. intereſſe, multos eſſe accuſatores criminum. Conſtantinus itaque ſuos habuit Curioſos & Stationarios (ſic enim appellabantur) quibus edita etiam lege præcepit, ut crimina inveſtigarent, iudicibusque nunciarent. Sed præcepit etiam diligenter (quod non minus erat neceſſe) ne quid negotii inſontibus per calumniam faceſſerent. Certe & olim Antonin9 Pius Imp. improbum Irenarcham puniri iuſſit, qui ad præſidem miſiſſet notoria

l. 1. C. de curioſ.

l. divus. de cuſtod. & exhibit.

ria falſa. Notoria vocat, quæ alias vel elogia, vel teſtationes vocari ſolent. Erant autem & appellabantur Irenarchæ, quibus ut cura tuendæ pacis & quietis publicæ (unde & nomen habent) mandata erat, ſic etiam inquirendorum atque denunciandorum criminum, ſi alii accuſatores deeſſent. Intereſt enim publicæ pacis, crimina puniri. Itaque & ſtationarii (ut appellabantur) milites id quoque agebant atque procurabant. Et olim Medorum reges habebant paſſim ſuos quoque hanc ob rem κατασκόπους, ut narrat Herodotus. Sed & qui in comitatu principum erant Curioſi (ſic enim vocabantur) quæſitores quidam erant. Narrat Plutarchus, Darium multos ſemper habuiſſe ὠτακουστάς, qui & principis aures appellabantur. Sed adiicit, delatores fuiſſe, quorum ſatellitio tyranni utantur, boni principes uti non debeant. Mecœnas vero, agens cum Auguſto, de iis quæ neceſſaria videntur ad Rempub. recte regendam, & illorum miniſterio utendum eſſe monet: ſed non iis temere fidem eſſe habendam, quia ſæpe improbi delatores ſint. Conſtantinus itaque hoc conſilium ſecutus, ea lege ſuos habuit Curioſos. Eorum vero audaciam repreſſit, cum non accuſare ſolum, ſed & alicui manus iniicere, & in carcerem abducere auderent. Non enim tantum iis licere voluit: & antea conſtitutum fuerat, ne ad eos, ſed ad præſidem potius ipſum, accuſatorii libelli deferrentur.

Plut. περὶ πολυπραγμ.

Dion. l. 52.

l. 1. C. de curioſ.

l. 1. C. de cohort.

Sed quam non indulſerit ſuis curioſis,

vel

vel illud teſtimonio eſſe poteſt, quod Aurelius Victor ſcribat, ſeveriſſimis eum legibus calumnias ſedaſſe. Non fuit profecto valde ſeverus adverſus Donatianos illos, qui Cecilianum, vel Arrianos, qui Athanaſium calumniis exagitabant. Sed libro ſuperiori dixi, cur tam lenis in ea cauſa eſſet. Cæterum quam alioqui maleficia omnia puniri vellet, ſæpe oſtendit. Sed & lege lata ſtatuit, ſenatores etiam & clariſſimos viros, & alios, qui tamen illuſtres non eſſent, nulla uti poſſe præſcriptione fori in cauſa capitali, quo minus in ea, in qua deliquerunt, provincia puniantur.

l. 1. C. ubi ſen. vel clariſſ.

Quod attinet ad cognitionem cauſarum criminalium, edixit, legatos proconſulum eas quoque audire poſſe & debere: ita tamen, ut ſi reus damandus ſit, ad proconſulem transmittatur. Hanc Conſtantini legem non ſatis intelligemus, niſi ſi quædam altius repetamus de officio proconſulis & legati. Sciendum itaque eſt, legatum, cui generaliter mandabatur iurisdictio, plenam habuiſſe in cauſis civilibus poteſtatem, non ſecus atque eum qui propria iurisdictione uteretur. Sed in cauſis criminalibus nihil habebat poteſtatis; nam neque verberandi ius habebat: & iubetur ad ſuum Proconſulem remittere, ſi quid ſit, quod maiorem animadverſionem deſideret. Sed neque proconſul ſuam poteſtatem gladii, vel alterius talis coercitionis in alium transferre, aliive mandare potuiſſet. Verum cum accuſatus eſſet aliquis, cognitio-

l. 1. C. de offic. pro-conſ.

l. ſi quid erit. de offi. proconſ.

nem

nem huius cauſæ criminalis recte legato ſuo mandabat: ea tamen lege, ut ipſe ius ſententiæ ferendæ ſemper retineret, neque modo condemnandi, ſed etiam abſolvendi. Sic Ulpianus ait, Proconſulem ſolere etiam cuſtodiarum cognitionem mandare legatis, ſcilicet ut præauditas cuſtodias ad ſe remittant, ut innocentem ipſe liberet. Sic enim nobilis ille Ulpiani locus & legendus eſt, & intelligendus. Quem quidem Conſtantinus ſecutus, ſtatuit, legatum præauditos reos (cuſtodias iurisconſulti appellant, quia carcere cuſtodiantur) ſi condemnandi ſint, multo magis ad proconſulem remittere debere. Nam ſi legatus ius abſolvendi non habet, multo minus habet condemnandi. Quanquam & hic locum habeat illa iuris regula, Neminem, qui condemnare non poteſt, abſolvere poſſe: præſertim ubi is eſt, apud quem reus ne accuſari quidem poteſt. Nam alioqui fieri interdum poſſet, ut qui non habet ius condemnandi, habeat tamen abſoluendi. Sed quisquis tandem ſit aut cognitor, aut iudex cauſarum criminalium, in primis meminiſſe debet, qnod Conſtantinus ſemper eos tenere vult. Vetus eſt illud, Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt. Illud quoque vetus: Eum nimis libenter damnare videri, qui cito damnat. Ergo Conſtantinus ſtatim atque imperii gubernacula ſuſcepiſſet, hanc legem tulit: *Qui ſententiam laturus eſt, temperamentum hoc teneat, ut non prius capitalem in quempiam promat, ſeveramque ſententiam, quam in adulterii vel homicidii* *vel*

l. 38. de reg. iur.

l. ult. C. ubi ſen. vel clariſſ.

l. qui ſententiam C. de pœnis.

vel maleficii crimine, aut ſua confeſſione, aut certe omnium qui tormentis vel interrogationibus fuerint dediti, in unum conſpirantes concordanteſque rei finem, convictus ſit: & ſic in obiecto flagitio deprehenſus, ut vix etiam ipſe, quæ commiſerit, negare ſufficiat.

Reſcripſit olim Traianus, neminem de ſuſpicionibus damnari debere. Satius enim eſſe, impunitum relinqui facinus nocentis, quam damnari innocentem. Hoc Conſtantino placuiſſe videtur: ſuam vero ſententiam neque tam argute, neque tam eleganter, ſed non minus tamen perſpicue dixit. Dixit paulo poſt & ipſe Iulianus Imp. Ecquis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiat? Gratianus deinde, & Valentinianus, & Theodoſius: *Sciant* (inquiunt) *cuncti accuſatores, eam ſe rem deferre debere in publicam notionem, quæ munita ſit idoneis teſtibus, vel inſtructa apertiſſimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.*

l. ult. C. De probat.

Multa de probationibus dici nunc poſſent, ſi a Conſtantino longius diſcedere vellem, aut poſſem. Sed illa reiiciantur ad iuſtum de publicis aut criminalibus iudiciis tractatum. Horum certe iudiciorum neceſſariam ſeveritatem valde placuiſſe Conſtantino, dubium non eſt. Nam & legis Iuliæ de vi, & Corneliæ de falſo, & Iuliæ de adulteriis, & Pompeiæ de parricidio, & Faviæ de plagiariis vel pœnas auxit, vel iudicia ſeveriſſime exerceri, iuſſit. Eum qui vim fecit,

vult

vult pœnas dare eius quoque homicidii, quod in ea fortaſſe turba perpetratum alterius manu fuerit. Iudicium adverſus reos falſæ monetæ convictos, quam acriter intendat, dixi libro ſuperiori. Lex Iulia capitali ſupplicio adulteros non afficiebat. Legimus quidem, Sept. Severum Imp. ſic in eos aliquando excanduiſſe, ut tria millia morte multarit. Sed qui hoc commemorant, adiiciunt, eum tanta talium hominum multitudine deterritum, remiſiſſe tam ſeveram quæſtionem. Primus vero Romanorum principum Conſtantinus, intelligens quam ſanctum ſit coniugii fœdus, & quantum ſit ſcelus adulterium, quod illud violat atque polluit, legem tulit Chriſtiano principe dignam, quæ dignas tanto flagitio pœnas irrogaret. Iuſſit enim ſacrilegos nuptiarum (ſic adulteros vocat) gladio puniri. De parricidio quoque legem edidit non minus, quam olim Pompeius, ſacroſanctam. Mitto, quod narrant eius filium Criſpum iniquo iudicio interceptum, & inſidiis Fauſtæ novercæ circumventum. Iam enim quæro magis quid fieri debeat, quam quid factum ſit, & de iure potius quam de facto diſputo: neque hiſtoriam contexo, ſed leges colligo. Sane ut ſua conſtitutione Conſtantinus crudeles atque impios parentes caſtigavit: ſic etiam bonis & veris parentibus filios aut eripi aut ſurripi minime paſſus eſt. Nam & quæ tandem maior parentibus iniuria fieri poſſet? Legem itaque Faviam de plagiariis non ſolum in uſum revocavit, ſed & novo genere pœnæ communivit.

Xiphilinus ex Dione.

l. quamvis. C. ad leg. Iul. de adult.

P Extat

Extat hæc conſtitutio in Theodoſiano Codice, quam in Iuſtinianæo, integrior: quam quidem nunc deſcribere non eſt neceſſe.

Illud poſtremo magis etiam Conſtantino acceptum ferendum eſt, quod magos & aruſpices, & eius generis impoſtores, & qui eos aut conſulerent, aut evocarent, acerrime puniri iuſſit: taliumque etiam hominum accuſatoribus præmia proponi. Tulit hanc legem Romæ paulo poſt victum oppreſſumque Maxentium, impium illum tyrannum, & magicarum artium principem: qui & cum adverſus Conſtantinum copias ſuas educeret, aruſpicum auſpiciis nitebatur: & reſciſſo mulierum prægnantium utero, iugulatisque infantibus nondum natis, magica nefandaque ſua ſacra peragebat. Sed & Maxentio ſublato ſupererat Licinius, iiſdem ſacris & incantationibus initiatus, qui huius impietatis novum veluti ludum aperuerat. Et erant ſane illa tempora valde magicis huius generis ſtudiis dedita. Quid dicam, Iulium Firmicum ea ætate libros, qui etiamnum extant, ad Lollianum, Orientis proconſulem, ſcripſiſſe? qui ad curioſam vanitatem Genethliacorum proxime accedere videntur.

l. 3. C. de malef. & mathem.

De crimine Maieſtatis, de quo alii principes, in ſua ſcilicet cauſa ſeveri iudices, tam multas leges tulerunt, nullam Conſtantini legem habemus. Sed ſingularis ſuæ in eo genere clementiæ illuſtre reliquit exemplum, quod in primis dignum

gnum memoria eſt. Eſt quidem (quod ſæpe mirari cogor) ab iis qui tam longos alioqui de Conſtantino commentarios olim conſcripſerunt, prætermiſſum, quacunque tandem vel negligentia vel oblivione factum id ſit: ſed commode accidit, ut cum Chryſoſtomi conciones ad populum Antiochenum habitas legerem, inciderim in eum, ex quo hanc hiſtoriam repeterem, inſignem locum. Conſtantini ſtatuam lapidaverant homines quidam ſeditioſi, vel petulantes. Accuſati ſunt. Accuſatores, ut ad vindictam principem magis inflammarent, iniuriam atrocem atrociſſimis præterea verbis amplificabant. Clamabant, non minus flagitioſum eſſe hoc maieſtatis crimen, quam ſi ipſius Imperatoris viva facies lapidibus cæſa, atque etiam contuſa fuiſſet. Hic Conſtantinus manu faciem ſuam palpans, & leniter arridens, placide reſpondit: nullum ſe vulnus ex illa lapidatione ſentire. Quo reſponſo non ſolum accuſatores illos abegit, ſed & alios principes non minus quam ſi legem tuliſſet, docuit, ut in ſua cauſa placabiles eſſent. Unde & cum poſtea quidam Antiochiæ ſtatuas Placidiæ imperatricis evertiſſent, proptereaque Theodoſius tali uxoris ſuæ iniuria commotus, totam civitatem perdere vellet: miſſus ad eum placandum Flavianus epiſcopus Antiochenus, in primis illud quod de Conſtantino recitavi, propoſuit: & Theodoſium eo exemplo ita mitigavit, ut is legem etiam ediderit, qua iis ignoſcendum eſſe iudicat, qui Imperatori maledixerint.

l. una. C. ſi quis Imp. maled.

P 2 Con.

Conſtantini leges & iudicia de criminibus miſſa faciam, ſi illud addidero, quod Sozomenus ſcriptor Eccleſiaſticæ hiſtoriæ commemorat: illum, cum de pœnis agere tur lege lata ſuſtuliſſe vetus ſupplicium crucis. Exiſtimavit enim, propter honorem crucis Dominicæ & Chriſtianæ, tale animadverſioninis genus in uſu amplius eſſe non debere. Si antiquitates ſcriberem, dicerem (quod multi fortaſſis ignorant) qualis forma crucis olim fuerit, & quale hoc ſupplicium apud Romanos. Verum nunc alio propero. Finem tamen facere non poſſum, quin Conſtantinum laudem, quod non ſolum bonis legibus ferendis, ſed & iniquis abrogandis operam dedit. Teſtis eſt Eubius, eum ius civile ab Licinio convulſum confirmaſſe, huiusque impii tyranni barbara quædam edicta ſuſtuliſſe. Sane libro decimo quinto Codicis Theodoſiani, extant hæc Conſtantini verba: *Remotis Licinii tyranni conſtitutionibus, & legibus, omnes ſciant, veteris iuris & ſtatutorum noſtrorum obſervari debere ſanctionem. Quæ tyrannus contra ius reſcripſit, non valere præcipimus: legitimis eius reſcriptis minime impugnandis.*

Cæterum cum plerumque de conſuetudine quæratur, & malis moribus bonæ leges ſæpe labefactentur, valde etiam fuit neceſſe aliquid hac de re ſtatuere, de qua & in Eccleſia & in Rep. magna ſæpe quæſtio eſt. Ut iuriſconſultorum nunc ſententias tantum recitem, di-

xit

xit Iulianus, inveteratam conſuetudinem pro lege non immerito cuſtodiri. Sed dixit etiam Proculus, non tam ſpectandum eſſe, quid Romæ factum ſit, quam quid fieri debeat. Quid noſter Conſtantinus? *Conſuetudinis* (inquit) *uſusque langævi non vilis auctoritas eſt: non tamen tanta, ut aut rationem vincat, aut legem.*

l. de quib. De legib.

l. 2. C. quæ ſit longa conſuet.

Qui exiſtimant non de aliqua conſuetudine, quæ legi contraria ſit, agi, ſed ſimpliciter vim & poteſtatem utriusque conferri: facile interpretantur, eandem utriusque vim & æqualem eſſe: neque alteram altera aut minorem, aut maiorem. Verum cum de conſuetudine quæritur, quæ legi contraria ſit: quæritur, an hæc illam vincat & abroget. Certe cum lex aliqua perpetua eſt, & naturali ratione ſubnixa, contraria conſuetudine tolli penitus non poteſt. Quandiu quidem patitur legislator eam impune contemni, aut negligi, illa cedit, & veluti dormit. Sed neque plane victa propterea eſt, quin revocari in uſum poſſit: neque mortua, quin ſuſcitari facile queat. Scio tamen & fateor, legem aliquam poſſe contraria conſuetudine abrogari, ſicuti & Iulianus Iuriſconſ. fatetur. Sed hoc demum fit, ubi legislator, cuius erat legem tueri, ſi manere vellet, illud non nolle videtur, & patiendo ſuam tacite legem abrogat.

Porro de vi & auctoritate conſuetudinis multa dici poſſent. Sed illud nunc obiter tantum dicam: ut eius aliqua vis ſit, in primis eſſe illam oportere non iniuſtam, aut iniquam. Ne-

que enim quod omnino iniuſtum eſt, tempore vel uſu ius fieri poteſt. Et quo tandem recideremus, ſi ſublato facti & iuris diſcrimine factum pro iure accipiamus, aut iuris regulam ex facto repetamus? Si id quod in uſu fuit, ſi alioqui non iniuſtum, non iniquum, ſaltem non intolerabile: tum certe longæ conſuetudinis eam vim, quæ legis eſſe dicitur, eſſe credemus: præſerim ubi tam longo iam tempore invaluit, ut quo primum cœperit tempore, nulla memoria ſit: & propterea etiam poſſit videri lex potius perlata principio fuiſſe.

Hanc etiam Conſtantini fuiſſe ſententiam exiſtimo: & in Eccleſia quoque valde utilem eſſe ſentio. Audiebat Nicænum illum canonem, *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω.* Sed interea tamen meminerat, antea in concilio Carthaginenſi, cui Cyprianus intererat, atque adeo præerat, editam hanc ſententiam fuiſſe, Veritati cedere conſuetudinem debere. Audiebat, quod Cyprianus ipſe ad Stephanum Rom. Epiſcopum ſcripſerat: conſuetudinem ſine veritate, vetuſtatem erroris eſſe, nec de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum.

Non inſtitui plura nunc dicere, de legibus Conſtantini, quibus optimus hic princeps orbem terrarum veluti converſum fundavit: neque ſolum ſapientiſſime continuit, ſed & in eo ſtatu collocavit, in quo conſiſtere debuiſſet. Viſitur adhuc Romæ in capite viæ Appiæ, ad Palatini in montis radices, arcus triumphalis, cum hac inſcriptione: IMP.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO
P. F. Auguſto S. P Q. R.
QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE, VNO TEMPORE, IVSTIS REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS, ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

In interiore autem eius arcus fornice, ab una parte eſt FVNDATORI QVIETIS: ab altera, LIBERATORI VRBIS. Potuiſſet ORBIS ſcribi, quem certe liberavit, & in quo quietem quandam bonis legibus fundavit. Nam etſi cum his illa poſtea perturbata, atque etiam everſa eſt, tamen Conſtantini culpa nulla fuit. Audio & ſuperioribus annis in ruinis veteris templi Concordiæ, inter Capitolium & Forum Romanum (quo in loco & ſenatus olim habebatur, & ſenatusconſulta fiebant) inuentum eſſe lapidem cum hac inſcriptione:

D. N. CONSTANTINO MAXIMO PIO FELICI AC TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO OB AMPLIFICATAM TOTO ORBE REMP. FACTIS CONSILIISQ.
S. P. Q. R.
AEDEM CONCORDIAE VETVSTATE COLLAPSAM IN MELIOREM FACIEM OPERE ET CVLTV RESTITVERVNT.

Lau-

Laudat Cicero non ſolummodo Q. Martium Cenſorem, quod ſignum Concordiæ fecerit, atque in publico collocarit: ſed & C. Caſſium cenſorem, quod hoc ſignum voluerit in curia eſſe: hancque præclaram fuiſſe ait, & omni laude dignam voluntatem hominis, qui præſcibere ſe arbitrabatur, ut ſine ſtudiis diſſenſionis ſententiæ dicerentur, ſi ſedem ipſam & templum publici conſilii, religione Concordiæ devinxiſſet. Equidem laudare non poſſem, nec vellem, ſenatum populumque Rom. ſi Concordiæ idolum colat: neque Conſtantinus talem ethnicæ vanitatis ſtultitiam & ſuperſtitionem probare potuit. Sed lubenter audio Conſtantinum publice laudari, auctorem concordiæ: quam certe, eamque veram, conſtituere voluiſſe videtur, cum & Remp. legibus bonis, & Eccleſiam religione vera devinxit.

Faceſſat Sept. Severus, qui gloriabatur, ſeſe tandem aliquando Byzantium vi cœpiſſe, diripuiſſe, funditusque evertiſſe. Laudetur vero Conſtantinus, qui civitatem illam, quæ iam annis prope centum in ſuis cineribus iacuerat, ſic erexit, ut deinde collabente Roma, Italiaque pervaſtata, fuerit ſola prope ſedes & cuſtos Imperii, doctrinæ, legum ac literarum. Quid dicam, eum in media Gallia Auguſtodunum Heduorum (quam civitatem Gallienus peſſundederat) ſic reſtituiſſe, ut ab auctore ſuo Flavio Conſtantino, Flavia ſit appellata: & fuerit altera

tera veluti Conſtantinopolis? Cum audio nobiliſſimas eum civitates inſtauraſſe toto orbe terrarum: agnoſco, domicilia religionis & iuris reſtituere voluiſſe. Sed cum cogito, quæ turbæ, quæ ruinæ, quæ tenebræ mortem illius conſecutæ ſint: agnoſco, etiam bonas leges valde opus habere bono cuſtode & vindice. Aiunt triſtiſſimum inuſitatæ magnitudinis cometem, paulo ante quam Conſtantinus moreretur, viſum eſſe. Vidit hoc funeſtiſſimum portentum optimus Princeps: quo magis morientem de tota Rep. de Eccleſia, de poſteritate ſolicitum fuiſſe credo. Extantque etiamnum apud Euſebium poſtrema ex ore morientis excepta verba. Mortuus eſt autem Nicomediæ, anno Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, XI. Calend. Iun. Quæ profecto nox tam tetra fuit, quam annis ante triginta lætus affulſerat orbi terrarum dies ille, quo primum in ſua Britannia Imperator fuerat ſalutatus. Non conferam eum cum ſucceſſoribus, Theodoſio, Valentiniano, Martiano, Iuſtiniano: ſed magnam cauſam eſſe dico, cur omnibus temporibus Conſtantinus aliquis novus deſideratus ſit: & ſolennibus votis vitam longam illi, qui ad Conſtantinum accederet, publice omnes boni precati ſint. Olim novo principi ſenatus populusque Rom. cum bene precaretur, acclamare ſolebat, FELICIOR AVGVSTO, MELIOR TRAIANO: idque adhuc ſuo tempore poſt

ætatem Conſtantini factitatum fuiſſe, narrat Eutropius. Sed adiicere profecto debuerant, RELIGIOSIOR CONSTANTINO: qualis & in Chriſtianorum conventibus atque conciliis fuit frequens ad Principes, & fauſta acclamatio. Sic enim & Synodus Chalcedonenſis, cum Martiano Imp. bene precaretur, acclamavit, CONSTANTINO NOVO ANNI MVLTI, VITA LONGA.

Hæc hactenus habui, quæ de Conſtantino, eiusque legibus, ex antiquitatis memoria repeterem. Reliqua, quæ de eo copioſe dici poſſent, Euſebius & alii hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, fuſe commemorant. Neque tamen neſcio, neque plane diſſimulo, vitia huius Principis multa fuiſſe. Homo enim fuit, & homo in magna temporum confuſione multis erroribus obnoxius. Sed illa nunc ſolum, quæ vel publice fecit cum laude, vel ad Remp. Chriſtianam conſtituendam bene ſapienterque providit, commemorare inſtitueram; non enim hiſtoriam ſcribo. Si itaque vel in ſigno crucis ſuperſtitioſe colendo, vel in templorum ſubſtructionibus immodice attollendis, vel in Athanaſio iniuſte pellendo, vel in Ario diſſolute revocando, vel in baptiſmo ad mortem usque ſtulte differendo, vel epiſcopi denique Ariani miniſterio tunc utendo peccavit: nihil ad inſtitutum nunc meum pertinere putavi. Si quid in Republ. forte fecit crudeliter, ſi quid avare, ſi quid libidinoſe:

dinoſe: Non laudo. Sed alius erit vituperandæ crudelitatis, avaritiæ, libidinis locus. Patior, ut Eutropius dicat, principem fuiſſe primo imperii tempore optimis quidem principibus, ſed poſtremo mediis comparandum. Patior, ut ſcribat, inſolentia rerum ſecundarum elatum, crudeliter uxorem, cognatos, amicos tractaſſe. Addo etiam, (quod Sidonius Apollinaris narrat) Ablavium conſulem tunc ea tempora vocaſſe Neroniana, cum Conſtantinus & coniugem Fauſtam calore (ut ait) balnei, & Criſpum filium frigore veneni extinxiſſe diceretur. Si hæc vera ſunt, tragica parricidia ſunt, quæ ad hiſtoriam pertinent. Sed obliterare tamen non debent alia religionis, ſapientiæ, iuſtitiæ, fortitudinis exempla: quæ ſi in ullo unquam principe fuerunt, in Conſtantino noſtro certe fuerunt.

FINIS.

IN-

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

ABlavii Coſ. de Conſtantini ætate teſtimonium 235
Abſentia ſtudiorum cauſa, æque ac Reipub. cauſa, iuſtiſſima habita 131. 132
Acceſius Novatianorum epiſcopus 64
Accuſatores criminum eſſe multos, Reipubl. utile 220
accuſatorii libelli ad præſidem deferendi 221
Achab regis & Naboth hiſtoria 186
actiones ſuis temporibus non prolatæ quæ 211
auctori probationem, non reo incumbere 210
actuarii 85
Adriani imperatoris frugalitas 90
adulteri gladio puniri a Conſtantino iuſſi 154
155. 255
adulteri, nuptiarum ſacrilegi 154
adulteri ſolidorum, eorumque pœna 166
Aegypti ſacerdotum ſcholæ 29
Aegyptiorum regum de alendis ſacerdotibus cura 20
Aelianus Africæ proconſ. 41
æquitas civilis Ulpiano quæ. 215. *naturalis, ibid.*
æquitatis potiſſ. iudici habenda ratio 213
æquitatem non ſcribi 214
ærarii eccleſiaſtici cura diaconis commiſſa 15
æris

æris ad aurum & argentum proportio 104. 105
æris libra 105
æroſa pecunia reprobata 108
affinitas aſcriptitiorum non ſeparanda 144
affinitas nuptiarum impedimentum cuiusmodi 150
Aggenus Urbicus 146
agnatio aſcriptitiorum non ſeparanda 144
agri colendi ſtudium regium 143
inter Agros confines quantum ſpatium liberum eſſe debeat 145
de Agricolis, Conſtantini lex 137. 140. 141. 145
item Friderici 142
Alexander Conſtantinopoleos epiſcopus pius 75
Alexander epiſcopus Alexandrinus Arii antagoniſta 55
Alexandrinus epiſcopus de æquinoctio verno conſuli ſolitus 63
Alexandri Hieroſol. epiſcopi bibliotheca 32
Alexandri Severi dictum 129. in Ulpianum pietas 135
Alexandriæ Aegypti ſchola 27. eiusdem ſtudium aſtronomiæ 63
Alexandrinorum regum in conquirendis veterum librorum theſauris ſtudium 38
aliena negotia fidei noſtræ commiſſa, non negligenter curanda 181
alienas res tractantium officium 183
ambitionem ægre coerceri 74
ambitus lex 74. 75
Ambroſii locus 2
amici fratrum loco 200

amicos

amicos honeſtos etiam fratribus conſanguineis præferri in teſtamento poſſe 200
Anaſtaſii Imp. interitus 61
ab Anaſtaſio ſublatum chriſargyrum tributum 94
ancillarum filii inter nothos relati 155
ἀνδροληψίαι 135
ἀνεξετάςως *ordinati* 73
angariarum præſtatio profeſſoribus & militibus remiſſa 128
aniculæ cuiusdam in Philippum Maced. regem ſcomma 180
annonæ militaris erogatio 90
anteceſſores 127
Antiochenæ eccleſiæ Chryſoſtomi tempore proventus 23
Antiochenum concilium 58. 70. 75
Antiochiæ ſchola 28
Antiochum Epiphanem imitatus Diocletianus 33
antiſtitum ambitio quomodo paulatim creverit 71
Antonini Caracallæ numi adulterini 109
Antonini Pii dictum 129
M. Antonius ob ferrum denariis admixtum damnatus 109
appellari a præfecto prætorio non poſſe 217
appellationes quatenus admittendæ, aut reiiciendæ 216. 217
appellationum uſus & neceſſitas 216
apocryphorum a canonicis diſcretio neceſſaria 37
apoſtolorum monumenta, Græca primum lingua conſcripta 37
aquila biceps 83
aratrum pignori accipere lege cautum 142

archi-

archiepiſcopi, eorumque prærogativa qualis, & unde 198. vide Metropol.
arcus triumphalis Conſtantini 231
Arelatenſis epiſcopus Romano prælatus 40
argentum regium 109
argenti ad æs proportio 105
argenti in numis miſcendi ratio 108. 109
argenti libra 104. 105
Ariſtidis apophthegma 44
Arianum dogma damnatum 58
Arius Alexandrinus presbyter. 48. 49. *qua occaſione & malitia in religionem graſſatus* 50
Arius ab exilio revocatus 60
Arii factio. 48. *trecentis annis graſſata* 49
Arii hæreſis qualis 51. *ſeq. eiusdem periurium* 60. *verſtia & tergiverſatio.* 51. *horrendus interitus* 60. 61
Arii ſectatores plerique ipſo deteriores 51
inter Arma leges non ſilere debere 88
Artemii confutationes Iuliani calumniarum in Conſtantinum 94
artium doctoribus conceſſa privil. quibus reb. conſtent. 127. *eisd. honores & ſalaria decreta* 129
as libralis factus ſextantarius & uncialis 110
aſcriptitiorum agnatio non ſeparanda 144
aſtrorum diſciplinæ potiſſ. ratio habita in ſchola Alexandrina 63
Athanaſius Arii antagoniſta 55
Athenienſium Plynteria 138
Audii ab eccleſia defectio 6
auditoria liberalium artium tranquilla eſſe leges volunt 128

audi-

auditorum quanta ratio habita priſcis Imperatoribus 131
Auguſti bibliotheca 30. eiusdem de militari diſciplina libri 87
Auguſti lex, de populi pro ſua Imperiive ſalute votis 115
Auguſtodunum a Gallieno deſtructum, Conſtantinus reſtituit 232
Aures principis qui 221
aurei numi diverſum pondus 104
aurum obryzum 114
auri ad argentum proportio 105
auri libra 104
auro vitii quid addentes, falſi criminis teneri 108

B.

Bannocherenſe collegium 27
Baſilides hæreſiarcha 50
belli nervi pecuniæ 93
beneficium cum alterius iniuria non poſtulandum 207
Beritienſis academia 132
bibliothecæ aliquot celebriores 30. *ſeq.*
bibliothecæ templis adiunctæ cur 30. 31. 32.
bibliothecarum veterum uſus 37
Bononiæ ſchola a Carolo Magno inſtaurata 135
bonorum diviſio patri teſtaturo libera 198
bovem in ſpecum delapſum feriis etiam liberari impune licuiſſe 138
Britanniæ idololatria 8
Britannos facile vinci, Cor. Taciti dictum 53
buccellatum 90

Byzan-

Byzantium a Sept. Severo everſum, a Conſtantino rurſus inſtauratum 232
Byzantium altera Roma, & cur eo ſedem ſuam Conſtantinus tranſtulerit 82
Byzantina moneta ferrea 168
Byzantina ſchola 28

C.

Cæciliani Carthaginenſis epiſcopi accuſatio 39
abſolutio 40
cæremoniis libenter inhærere homines 67
Cæſareæ Palæſtinæ ſchola 27
Cæſares Conſtantinopolitanos etiam latine loquentes græciſſare 212
Cæſarum arbitrio ac iuſſu concilia generalia cogi ſolita 54
Cæſarienſis bibliotheca 32
Cæſtria, legionum urbs 27
calumniæ repreſſæ 220. 222
canon frumentarius 93
canonici libri ab apocryphis diſcernendi 37
capitalium iudiciorum ordo & uſus 220. 223
capitatio quid, & eius immunitas quibus concedi ſalita 102
capitatio remiſſa. 128. *eccleſiarum miniſtris* 45
capiiecenſi 102
Capitolii Rom. bibliotheca 30
Caracallæ nummi adulterini 109
carceris pœna quomodo uſus Conſtantinus 218. 219
carceris uſus ad homines continendos, non puniendos 219
carcere incluſi humaniter habendi 219

Carolo magno ſchola & Papiæ inſtituta, & Bononiæ inſtaurata 135
caſtigationis domeſticæ privatæque ius 173
caſtitas eccleſiæ miniſtris præſcripta 75. 76
caſtrenſis peculii ius filiofam. etiam in principum comitatu conceſſum 91
caſtrorum Rom. diſciplina. 86. 87
Κατασκόποι, *eorumque uſus* 221
catecheſeos uſus Conſtantini ætate 30
Κατηχήσεων *ſcholæ* 28
catechiſtæ 27
Cathari Novatiani 66
catillus 142
Catonis in L. Flaminium cenſura 117
cauponariæ mulieres ſere impudicæ 153
cauſarum criminalium cognitio 222
cauſidicorum pactiones improbatæ 194. 195
cœlibatus ratio cuiusmodi a Nicænis patribus habita 76. 77
cenſor, cenſitor, cenſus magiſter, idem 98
cenſores eccleſiaſtici 13
Chalcedonenſe concilium 70. 71. *a Martiano coactum* 54
Charondæ lex 129
chirographariis creditorib. pupillos præferri 175
Chriſtianum mancipium Iudæis, aut impiis, ſervire, indignum & illicitum 173. 174
Chriſtiani libertate donati a Conſtantino 11
Chriſtiani Romæ ab omni reip. functione depulſi 12
Chriſto hærede inſtituto, eccleſiam eius loci intelligi 22

chryſargyrum tributum 94
Chryſoſtomi tempore quanti eccleſiæ Antiochenæ proventus 23
Ciceronis bibliotheca 35
Ciceronis dictum 3. 10
Ciceronis locus 108. 177. 181. 182 184. 206
Ciceronis tempore quanta vectigalium ſumma 97
Circenſes ludi 121
civibus legata, ipſi civitati relicta videri 26
ſi Civitas mutuam pecuniam crediderit, &c. 184. 185
civitati relicta in quos uſus vertenda 26
civitates 80
civitatum pecuniæ ſine idoneis pignoribus non credendæ 184. 185
κλῆροι 16
clerici a tributis non immunes 103
clerici in criminali cauſa coram præſide conveniendi 43
clerici quales Eccleſiæ ſumptu alendi 17
clericorum avaritia repreſſa 25
clericorum loco Eccleſiis qui potiſſ. habendi 136
clericorum ordinatio qualis a Nicænis patribus conſtituta 73
clericorum privilegia. 135. 136. *provocationes ibid.*
clericis fœneratio omnis interdicta 194
cœlibatum eſſe liberum debere 160. 161
cœlibum mulcta ibid.
collegiis legari iure permiſſum. 21. *interdictum* ibid.

coloni a prædiis ſuis non alienandi 144
in Commerciis vis omnis remota 188
commiſſoriæ pactiones quatenus tolerandæ 189
commodati cura 182. 183
concilium, eccleſiæ corpus 25
conciliorum generalium cogendorum ius apud Cæſares 53. 54
Concordiæ ſignum in pub. locatum 232
concubinæ lege Moſaica permiſſæ uxorum loco 151
concubinarum ratio apud veteres Rom. cuiusmodi 151
concubinis Senatorum iniquior Conſtantinus 153
adverſus Concubinas parum ſeverus Conſtantinus 150. 153
concubinatus a legitimis nuptiis diſcrimen 152
coniugii a concubinatu diſcrimen 152
coniugii neceſſitas 149
coniugium ſacerdotibus a Nicæna ſynodo permiſſum 77
coniugia debere libera eſſe 155. 161
Conſtantinus alter Cyrus & Nehemias 8
Conſtantinus cur ſibi Byzantium, relicta Roma, ſedem delegerit 82. 127
Conſtantinus epiſcoporum inter ſeſe concertantium libellos exurit 44
Conſtantinus erga concubinas remiſſior. 160. in templorum extructionibus profuſior. 11. legitimarum nuptiarum fautor 77
Conſtantinus Nicæni Synodi tanquam choragus 55
Conſtantinus placidiſſ. rerum eccleſiaſticarum iudex 41

Con-

Conſtantinus poſt epiſcopalia iudicia pronunciat 40
Conſtantinus principibus exemplum, quo officii ſui admoneantur, a Deo conſtitutus 5
Conſtantinus IV. Pogonatus 58
Conſtantinus quibus legibus eccleſiæ ordinem ac formam communierit. 7. ſeqq.
Conſtantinus quo anno, & ubi mortuus 233
Conſtantini ad Perſarum regem literæ pro Chriſtianis 11. 12
Conſtantini apophthegma 227. arcus triumphalis 231
Conſtantini aula commune aſylum afflictæ innocentiæ 180
Conſtantini aureus nummus 104
Conſtantini clementia in audiendis etiam calumniatoribus 40
Conſtantini conſtantia 6. continentia & frugalitas. 90. diſciplina militaris 88. facilitas. 60. 90. humanitas. 180. religio 8
Conſtantini collegæ & Imperii ſocii quales. 5. item adverſarii 6
Conſtantini de adulterio lex 225. item de agricolis 137. 139. 140. 145. de donatione 195. 196
Conſtantini de Euſebio Cæſarienſi encomium 70
Conſtantini de patria in filiosfam. poteſtate lex. 161. 162. item de egenis patribus e fiſco ſuſtentandis 164. 165. 166
Conſtantini de ultimis voluntatibus conſtitutio 197. ſeqq.
Conſtantini de uſuris lex 191. 192

Conſtantini dictum 2
Conſtantini donatio fabuloſa 18. 19
Conſtantini duo max. in Eccleſiam beneficia 62
Conſtantini erga bonarum literarum ſtudia favor 122. 123. *item Conſtantii patris* 124
Conſtantini erga Nicænum conſeſſum reverentia 55. *erga ſacerdotes indulgentia.* 44. *erga pupillos cura* 175
Conſtantini iidem qui & eccleſiæ & Chriſti hoſtes 94
Conſtantini in bibliothecis inſtituendis ſtudium 31. 32. *ſeq.*
Conſtantini in cohibenda & Iudæorum perfidia & gentium idololatria ſtudium 8. 9
Conſtantini in deſcribendis ſacris libris religio 34. 35. *in conſervandis ſtudium* 38
Conſtantini in Donatianos & Arianos facilitas. 222. *in Heduos liberalitas* 97
Conſtantini in Maieſtatis crimine clementia 226. *ſeq.*
Conſtantini in populum Conſtantinopolitanum munificentia 93
Conſtantini in ſedanda Ariana hæreſi prudentia 52. 53
Conſtantini in Tyriam Synodum, & Nicomedienſem clerum libertas 43
Conſtantini in vectigalibus exigendis modeſtia 96
Conſtantini laus ab urbibus inſtauratis 233
Conſtantini lex de gladiatorum ludis tollendis 118
Conſtantini lex de nummorum æſtimatione obſcura. 111. 112. *contra falſatores.* 115. 116

Conſtantini lex de ſervis non inhumanius tractandis 172
Conſtantini lex ſacris in Synodo Nicæna iudicibus præſcripta 56
Conſtantini leges capitales. 218. *inde* 224. *item forenſes* 205. *hæreditariæ* 202. *nauticæ.* 147. *numariæ* 106. *ſeq.*
Conſtantini leges propter obſcurum dicendi genus interdum in contrariam ſententiam contorqueri 168
Conſtantini magnitudo animi, 3. *religionis promovendæ ſtudium.* 4. 7. 11
Conſtantini mortem quantæ calamitates conſecutæ 233. *cometes paulo ante conſpectus. ibid. inde*
Conſtantini munimentum prope Agrippinam Coloniam extructum 88
Conſtantini numorum character qualis 111
Conſtantini precationis militaris formula 87
Conſtantini pro infirmioribus contra potentiores conſtitutio 179. 180
Conſtantini ſtatua lapidata 227
Conſtantini ſymbolum 30. 62
Conſtantini tempore qualis eccleſiæ, religionis, ac iuris ſtatus 5. 11. 47
Conſtantini tutelaris conſtitutio 176
Conſtantino quantæ curæ fuerit Reipublicæ adminiſtratio 80. 85. *item militaris res* 86. *ſq.*
Conſtantini vitia 234
Conſtantinopolis unde dicta 28
Conſtantinopolitana Synodus Arianis & Macedo-

cedonianis confutandis occupata. 65. *a Theodoſio coacta* 54. *in Trullo* 36. 37
Conſtantinopolitanorum Cæſarum leges cuiusmodi 111. 112
Conſtantii dictum 95. 96
conſuetudo inveterata quatenus pro lege habenda 229. 230
conſuetudo ſine veritate erroris vetuſtas 230
conſuetudinis vis & autoritas 229
conſuetudinem veritati cedere debere 230
de Conſuetudine legi contraria, quæſtio cuiusmodi. 229
continentia cauſæ 206
contractus mutui ratio 193
contractus vi extorti, aut dolo malo, diſſolvendi 185
contractus alio nomine iniri etiam poſſe 169
conventiones dolo extortæ, prohibitæ 188
Κοπιάςαι 14
Cornelia lex monetaria. 107. 108. *item numaria* 110
Cor. Taciti dictum 53. 94
a Creditore hypothecario emere, tutius plerumque, quam a domino 100
cremari, pro ſuſpendi 212
criminalium iudiciorum ſeveritas Conſtantino approbata 224
criminum inveſtigatores & accuſatores Reipublicæ utiles, & quatenus 220
Criſpus Conſtantini filius, novercæ Fauſtæ inſidiis interceptus 225
eius interitus 235

crucis ſupplicium a Conſtantino ſublatum 228
cunctatio de morte hominis nulla unquam longa 223
curiæ quomodo a Conſtantino curatæ 85
curialia munera cur Conſtantini ætate plerique fugerint 85
de Curialibus lex 85
curioſi, eorumque in Rep. uſus 220. 221
cuſtodiæ liberæ uſus 218. 219
cuſtodiæ, pro reis cuſtoditis 223
Cypriani concio de clericorum ſimplicitate 68

D.

Damaſi epiſcopi Rom. confeſſio 75
damnare eum libenter videri, qui cito damnat 223
Darii ὠτακουσταὶ 221
decani funerarii 15
decuriones 85
decurionum decreta 127
delatorum audacia Conſtantino repreſſa 221
delatorum miniſterio utendum, non autem temere fidendum 221
delatorum ſatellitia tyrannos tantum uti 221
Delphorum mos ſacro gladio etiam in ſontes animadvertenti 220
Dei aliqua reverentia omnium hominum animis inſita 7
Dei colendi invocandique ratio vera 7
Dei invocatio, præcipuus eius cultus 7
diaconorum circa ærarium eccleſiaſticum munus 16

diaconorum cum ſacris virginibus, Cypriani *tempore, convictus nimium familiaris* 76
Dianæ templi incendium 50
dieculam ducere 208
dierum aliquot in Eccleſia diſcrimen neceſſarium 137
dierum ſuperſtitioſa obſervatio ibid.
Diocletiani aureus nummus 104
Diocletiani de templis Chriſtianorum & ſacris literis obolendis edictum 33
Dionyſius tyrannus ſtanneis nummis uſus 108
Dionyſii Corinthii epiſcopi ad Gnoſios epiſtola 77. 78
diſciplinæ eccleſiaſticæ nervus, exomologeſeos uſus 65
diſcipulorum quanta ratio habita priſcis Imperatoribus 131
divites eccleſiaſticis bonis abſtinere iuſſi 17
divortiorum cauſæ 155
doli actio biennalis ſtatuta 186
doli iudicium in Repub. valde neceſſarium. ibid
dominica dies ruſticis ad agriculturam libera permiſſa 137. 138
Dominicæ diei obſervatio 138. 139
de Dominico die feſto lex 47
domino invito rem alienare iniquum 186
dominorum in ſervos crudelitas repreſſa 172. 173
Domitiani bibliotheca 30
domus paterna pupillis non alienanda 176. 177
Donatio Conſtantini fabuloſa 18. 19

donatio uxori facta, donationi mortis cauſa ſimilis 158
de Donatione leges Conſtantini 195. 196
de Donatione revocanda lex 18
donationes ſponſalitiæ, & propter nuptias 155
donationum diiudicatio 195
donationum pupilli nomine accipiendarum neglectus 176
donationum revocandarum cauſæ 158. 159
Donatus a caſis nigris 39
Donatiani in Cæcilianum calumnia 41
Donatiani Conſtantino adverſi 2
Donatianorum dogma 64
dos matrimonii propria cur 152
dotis conſervandæ gratia conceſſum mulieribus tacitæ hypothecæ privilegium 175
dotem ſeparari, ſi mariti bona publicentur 159
L. Druſi numi 109
Druydum ſcholæ 29
in Dubia re contra fiſcum potius pro domino reſpondendum 148

E.

Eccleſiæ bonis frui eos, qui propriis ali poſſent, ſacrilegium 17
eccleſiæ corpus, concilium 25
eccleſiæ diſciplina & reformatio ex Nicænis potiſſ. canonibus petenda 79
eccleſiæ doctrina ad ſacrarum literarum regulam tota exploranda 56
eccleſiæ inſtaurandæ exemplum principibus a Deo conſtitutus Conſtantinus 5

eccle-

eccleſiæ interitus potiſſ. cauſa, primatus contentio 71

eccleſiæ miniſtri cur ex publico alendi 20

de Eccleſiæ miniſtrorum creatione canones 73

eccleſiæ miniſtrorum ordo euiusmodi Nicænis patribus approbatus 68

eccleſiæ miniſtris alendis certa vectigalium pars deſtinata 20

eccleſiæ miniſtros non minus exemplo quam verbo docere debere 75

eccleſiæ opes non miniſtris tantum eius, ſed omnibus qui egent, communes 23

eccleſiæ ordinem ac formam, quibus legibus communierit Conſtantinus 7. ſq.

eccleſiæ rurſum colligendæ ſeruandæque gratia excitatus a Deo Conſtantinus 2

eccleſiæ ſtatus Conſtantini tempore qualis 47

eccleſiæ cur propria quædam bona eſſe Conſtantinus voluerit 20

eccleſiæ quies per Conſtantinum parta 10

eccleſiæ ſatisfacere 68

eccleſiam principum opera ſubſidioque uti non debere, Donatianorum error 2

ab Eccleſia una ad aliam tranſitus epiſcopis interdictus. 74. *quatenus conceſſus* 75

eccleſiæ bibliothecis a Conſtantino dotatæ 32. 33

eccleſiæ metropoles 68. 69

eccleſiarum miniſtri beneficiis & privilegiis a Conſtantino aucti 13

eccleſiarum miniſtris qualis immunitas a Conſtantino data 45

eccle-

eccleſiarum miniſtris ſua cuique ſtatio tuenda commiſſa 74
eccleſiis legata & hæreditates relinqui, lege cautum 24. 25
eccleſiis legata in quos uſus vertenda 26. 27
eccleſiis reſtituta bona, a Iuliano erepta 19
eccleſiaſticæ cenſuræ ratio a civili magiſtratu diverſa 13. 14
eccleſiaſticæ diſciplinæ quomodo ratio habita in Synodo Nicæna 65
eccleſiaſticæ politiæ ordo 13
eccleſiaſticarum facultatum in pauperes diſpenſatio, diaconorum munus 16
eccleſiaſtica prædia ordinariis tributis obnoxia 46
eccleſiaſticorum bonorum uſus 26
elogia 221
ἐνεχυριασμοὶ 235
Epheſina ſchola 28
Epheſina ſynodus a Theodoſio coacta 54
ἐπιείκεια 214
Epiphanius eccleſiæ opes pauperibus largitus 24
epiſcopatus omnium eccleſiæ paſtorum unus ſub Chriſto 68
epiſcopi eccleſiæ deligendi ratio qualis Nicænis patribus approbata 73
Epiſcopi ab Imperatoribus & depoſiti, & proſcripti 43
epiſcopi opum eccleſiæ non tam domini quam œconomi 24
epiſcoporum ambitio quibus initiis paulatim creverit 70. 71. 74
epiſcoporum conſecrandorum & inaugurandorum mos 73

epiſcoporum immunitas qualis a Conſtantino data 45
epiſcoporum metropolitanorum dignitas unde nata. 69. *& ad quid.* ibid.
epiſcoporum vitiis offenſum Audium, ab eccleſia defeciſſe 6
epiſcopis pauperum cura inprimis habenda, 166
equi publico uſui deputati, flabellis tantum agitandi 173
ἔριδος *ponum* 50
eruditionis atque religionis arctiſſ. coniunctio. 30
Eſaiæ locus 2
ἐθελοθρησκείαι 7.8
Euagrius 94
Eulogio philoſopho teſſera frumentaria dari iuſſa 130
Eumenius rhetor, eiusque oratio 124
Euſebius Conſtantini bibliothecarius 32
Euſebius Nicomedienſis Arii patronus. 60.75. *eius ambitio* ibid.
Euſebii Cæſarienſis encomium 70
Euſtachius Antiochenus epiſcopus 55
Eutropii de Conſtantino teſtimonium 234
exceptores iudicum 85
exhæredationis iuſta certaque cauſa ab ipſo teſtatore exprimenda, & ab hærede ſcripto probanda 201
exomologeſis 66
exomologeſeos a Nicenis patrib. præſcriptæ difficultas 68
exomologeſeos uſus eccleſiaſticæ diſciplinæ nervus 32

in Exomologeſi externa non hærendum 67
Ezechiæ liberalitas 19

F

Favia lex de plagiariis 347
Faviana actio 178
Fauſtæ Conſtantini uxoris interitus 235
feriæ ſtultorum otioſæ. 138
feriæ a Moſe indictæ cuiusmodi 140
de Feriis lex 47
de Feriis leges, iuris Pontificii olim 137
feriis quid agendum 138
ferrea moneta 108
ferrum denariis admixtum 109
fides bona 214
filiifam. aut vendendi aut obligandi poteſtas ſublata 162.166
filiofam. an ignorante patre vel contrahere vel teſtamentum facere liceat 168. 169
filiofam. militi hæreditatem ſibi a commilitone relictam adire, quatenus ſine patre liceat 179
filiofam. quatenus obligatæ res patris 175
filii, paternis honoribus ut fruantur, permittendi 168
filiorum appellatione etiam nepotes contineri 167
filiorum emancipatio officiis a patribus petenda 169
filiorumfam. ingenuorum magna cura Conſtantino habita 172
filios etiam in ſtudiis alere, paternæ pietatis intereſſe 131
filios ſurripi parentibus a Conſtantino coercitum 225

fiſcale

ſiſcale ius privatorum pactione convelli non poſſe 99
ad Fiſcalia tributa etiam clericos prædiorum poſſeſſores compelli 46. & quatenus. ibidem
ſiſcalium debitorum contumacia quomodo coercenda 101
ſiſcalium procuratorum in Gallia barbaries 160
ſiſcus lieni comparatus 95
ſiſci actionem ad bona vacantia quadriennio tantum durare 211
ſiſci ius a Zenone Imp. introductum 100
ſiſci iuſtæ etiam actiones cremari quatenus iuſſæ 211
ſiſci non magis, quam privatorum, ſingulorumque hominum habita ratio a Conſtantino 147
ſiſci quæſtionibus viginti annorum præſcriptionem cuſtodiri 212
ex Fiſco ſuccurri pauperum neceſſitati Conſtantinus voluit 165. 166
L. Flaminii improbum factum 117
Flavia, quæ Auguſtodunum prius 232
Flaviani epiſcopi opera placatus Theodoſius 227
forenſium legum uſus 205
fori iudicialis feriæ, meſſis & vindemiarum tempore 128
Friderici Aenobarbi Imper. conſtitutio de privilegiis ſcholaſticorum 132. 133. 135.
Friderici Aenobarbi conventus iuridici ad Roncalias indicti 134
Friderici Imp. lex nautica 148. item ruſtica 142
fronti non temere fidendum 67

fru-

frugum cur pars octava uſuræ nomine pendi iuſſa 192. 193
fundum comparari ſine cenſu & reliquis non poſſe, lex 99
fundi inſtrumento legato, qui contineantur 167
funerariæ rei cura 15
funerum cura clericis commiſſa 14

G.

Galerius 8
Gallus catechiſta 28
Georgii Alexandrini epiſcopi avaritia & tyrannis repreſſa 15. 16
gladiatores buſtuarii 121
gladiatorum ludi ſublati 118. 119
gladiatorum paria etiam a privatis hominibus exhiberi ſolita 117. *& quibus licere ſenatusconſulto permiſſum* 118
ob Gladiatorios ludos prohibitos monachus quidam lapidibus obrutus 120
glebæ addicti 143
Gotthorum regum in artium profeſſores liberalitas 130
Græcorum levitas 77. *ſuperſtitio & vanitas* 139
gymnicus agon approbatus 120. *ſublatus* 121

H.

Heduis ob agri ſterilitatem tributa remiſſa 96
Heliæ conventus 29
Heliopolis ſchola 29
Heliopolitanorum uxores & puellas proſtituendi mos 149
Heliſæi conventus 29

ἡμιόλον *uſuræ* ἡμιόλιαι 193.194
hæredes ab exhæredatis liberis probationes innocentiæ & officiorum poſſe requirere 201
hæredum concordiæ in dividendis bonis habenda a teſtatore ratio 198
hæreditariæ Conſtantini leges 202
hæretici quomodo tractandi 59
Herodis interitus 61
Hilarii epiſcopi in eccleſiam liberalitas 24
Homeri templum & bibliotheca Smyrnæ. 31
de ὁμοουσίου *contentio inter orthodoxos orta* 59
horrea Conſtantini & Imperatorum poſteriorum 156
hoſpitis recipiendi neceſſitas profeſſoribus & militibus remiſſa 129
hybernis menſibus navigationi interdictum 148
hypocriſeos magni receſſus 67
hypocritarum libido 76
hypothecæ tacitæ privilegium 175

I.

Iactus ex navi factus, quatenus ei qui invenit, cedat 148
idololatria Conſtantino quod ſublata 7.9
idololatria ſummum nefas primitivæ Eccleſiæ habitum 66
idololatriæ etiam reliquiæ tollendæ 9.10
idolorum delubra funditus deleta a Theodoſio 10
Romæ vero a Gothis ibid.
immunitas eccleſiarum miniſtris a Conſtantino data qualis 45
immunitatis privilegium 127.128

Impe-

Imperator malus pupillus qui 129
Imperatori novo quomodo acclamari ſolitum 233. 234
Imperatores, quatenus religionis cauſas ſibi committi permiſerint 45
Imperatorum poſt Conſtantinum monopolia 156
Imperii in Orientale & occidentale partitio 83
Imperium fato dari, Conſtantini dictum 2
Imperium Roma Byzantium translatum cur 82
impietatis pœna certa 61
indulgentia homines reddi deteriores 48
ingrati actio 195
ingrati appellatio 196
innocentem damnare gravius, quam nocentem non punire 224
de inofficioſo teſtamento queri quatenus liceat 199
inquilini veteribus qui 144
Ioannis apoſtoli ſchola Epheſi 28
Ioſiæ regis religio 31
Iovianus Iuliani ſucceſſor 19
Irenæus Ioannis apoſtoli diſcipulus 28
Irenæi obteſtatio, de ſacris libris bona fide deſcribendis 36
Irenarchæ 221
Iudæorum Conſtantini tempore audacia. 8. 9. *per Conſtant. repreſſa,* *ibid.*
Iudæorum improbitate multi prophetici libri deleti 31
Iudæorum ſynagogæ. 29. *a Conſtantino tolerat æ* 8

Iudæorum templi reſtauratio a Conſtantino cohibita 8.9
Iudæis legata interdicta 21
iudici æquitatis potiſſimum habenda ratio 213
iudicatæ rei vis & auctoritas 212.213
iudiciariam rem quantum curarit Conſtantinus 206
iudiciorum corruptelæ pœna 213
iudiciorum ordo 206
iugatio miniſtris eccleſiarum non remiſſa 46
Iulia Papia lex 153
Iulia lex de vi & adulteriis.347. repetundarum 187
Iulia lege cœlibes & ſteriles mulctari ſoliti 160.161
Iulianus catechiſta 28
Iuliani apoſtatæ orationes 94. in Conſtantium calumniæ 95
Iuliani de ſcholis & aperiendis & occludendis lex 125.126
Iuliani idololatria 9. in Eccleſiam iniuria 19. interitus 61
Iulius Firmicus 226
Iulii Cæſ. de tributis remittendis ſententia 96. eiusdem ambitio ibid.
Iulii Pauli de iure ſingulari liber 126
iurisiurandi legitima formula 209
iurisperitis honores additi 127
Ius ſingulare quid 126
iuris civilis libri publice prælegi iuſſi 134.135
iuris civilis ſcientia precio numario non æſtimanda 130

iuris ignorantia quatenus noceat 179
iuris profeſſoribus cur preſes ius non dicat 130
iura ſingularia 126
iuſtitiæ appellatio 214
Iuſtiniani de ſynodis provincialibus conſtitutio 72
Iuſtiniano omiſſa Conſtantini de alendis pauperibus lex. 164. 166. *item de patria poteſtate* 172.

L.

Lactantius Firm. a Conſtantino præceptor filio ſuo Criſpo datus 123. 124
lacunæ auri 108
lapſi quatenus in Eccleſiam recipiendi 66. 67
Latomiæ Tarquinii 219
latrones Reip. hoſtes non pro militibus habiti 92
lecticarii 15
legata collegiis quatenus iure permiſſa 21. 22
legata Deo. 22. *item Chriſto ſive Eccleſiæ* 23 ad spectacula illicita 26
legionum urbs 28
legati officium 222. 223
legis obſcuritas aut ambiguitas a Principe tantum decidenda 215
legem ad futura tantum, non præterita referri 190. *& ad præterita tamen etiam quatenus. ibid. inde*
legem perpetuam contraria conſuetudine non tolli 229
leges bonæ ex malis moribus 116
leges bonas malis moribus ſæpe labefactari 228
in Legum forenſium legibus aliarum legum vis tota, atque adeo Reip. ſalus ſita 205
legibus non ſolum bonis ferendis, ſed & malis abrogandis ſtuduiſſe Conſtantium 228

lenonibus non per omnia indulſiſſe Conſtantinum 154
Leontius Romæ præfectus 18
Levitarum tubæ in bellum ituris Iudæis ſonare cur inſtitutæ 88
Levitici ſcholæ 28
lex aliqua quatenus contraria conſuetudine abrogetur 229
libelli epiſcoporum inter ſeſe de Arianiſmo concertantium exuſti 44
Liberius epiſcopus Roma pulſus 18
liberta patroni ſui concubina, uxoris loco habita 151
libertatis naturalis prima fundamenta 187
liberti hæredis inſtituendi ratio 201
liberto ingrato libertatem auferri 196
libertorum ingratitudo probibita. 174. *quomodo punita* ibid.
libertos fratribus conſanguineis præferri in teſtamento illicitum 200
libitinaria turba 15
librariorum imperitia 35
librariis bona fide deſcribendi libri, præſertim ſacri 34. *ſeq.*
libri ſacri ab hæreticis corrupti 36
librorum ad conſervandam religionem uſus 44
librorum fatidicorum duo milia ab Auguſto Cæſ. cremata 34
librorum veterum theſauri 38
libros ſuppoſititios pro veris, nimio horum ſtudio, obtrudi 38
Licinius Ruffus 219

Lici-

Licinius tyrannus magiæ deditus 226
Licinii adverſus literarum ſtudia iniquitas. 124. *impietas.* 53. *in Chriſtianos tyrannis.* 219. *inceſta barbaries repreſſa.* 149. *leges ſublatæ* 229
limitanei agri militibus ſine ullo collationis onere aſſignari ſoliti 103
literarum magiſtris publice mercedem dari, Charondæ lege decretum 129. 130
literas bonas & Reipub. & eccleſiæ ſalutem ac decus eſſe 125
literariis collegiis conceſſa privilegia 127
lite pendente patronum de ſalario paciſci, iure cautum 195
litium redemptores 194. 195
Lotharii de iuris civilis libris publice perlegendis lex 135
Lucii Britanniæ regis religio 8
Luculli bibliotheca 34
ludorum oblectatio quatenus populo permittenda 121
lupanaria Rom. & Græcorum legibus permiſſa divinis non item 154,
lupanariorum autor Satan 154
lupanarium tributum chryſargyrum 94

M.

Macedonii Conſtantinopolitani epiſcopi turbæ 40
magia coercita 226
magiſtratus civilis ab eccleſiaſtico diſcrimen 14
magiſtratus quales rebus pub. a Conſtantino præfecti 12

magiſtratuum poteſtas non infinita 186
magorum ſcholæ 29
Mahometicus furor Arrii factionem ſecutus 49
maieſtatis crimen 226. *ſeq.*
Maiumæ feſtivitas cuiusmodi 121
Maiorum bibliotheca Capitolii Rom. 30
mandatæ rei circumſtantiæ 182. *periculum* 181
mandatum ſuſcipienti iuſtam ignorantiam non imputari 184
mandati contempti pœna 184
mandati neglector quatenus mandati actione non conveniendus 183
Manilia lex, ſive Mamilia 145
Manlii Torquati hiſtoria 184
Marciani de reſtituendis eccleſiæ bonis lex 19
Marcionis perfidia 24
Marii Gratidiani ſtatuæ 106
Marinus 39
mariti bonis publicatis, dotem uxoris ſeparari 159 *etiam in uxoris partem fiſcales procuratores in Gallia graſſari* 160
maritorum privilegia 160. 161
Maternus 39
matris hæreditas relicta filiis, quatenus in patris poteſtate 170. 171
matri quatenus actione ingrati adverſum filios experiri conceſſum 196
Maxentius tyrannus Conſtantino ſublatus 7. *idem magiæ deditus* 226. *eius libido* 154
Maximinus 7
Mecœnatis cum Auguſto conſultatio 103. 106
Medorum κατασκόποι 221

C. Me-

C. Meliſſi bibliotheca 32

Melitonis epiſcopi Sardenſis in inquirendis ſacris libris ſtudium 37

meſſis tempore iuſtitium 140

meta 142

Metelli frugalitas 90

metropoles 68. 69

μητροπόλεων ius 69

metropolitæ 13. 69

metropolitarum ius & prærogativa a Nicænis patribus conceſſa cuiusmodi 70. 74

metropolitanorum epiſcoporum dignitas unde, & quomodo nata. 69. & ad quid. ibid.

militaris annonæ erogatio 90

militaris diſciplina Auguſti, Romanorum, Conſtantini 87. 88

militaris diſciplinæ etiam feriati dies permiſſi 139

militaris precationis formula Conſtantini 87

militaris res tantum Reipub. nomine conſervata a Conſtantino 92

militaris rei uſus ac neceſſitas 86. 87

militaris teſtamenti libertas 90. 91

militares leges non minus quam civiles curæ fuiſſe Conſtantino 87. 88

milites deſertores 86

milites ſtipendiis ſuis eſſe contenti iubentur. 89

militum erga Conſtantinum obſervantia 92

militum ius ſingulare 158

militibus uxores ſuas habere comites conceſſum 88. 89

militiæ, quæ nunc officia. 84. 85.

militiarum privilegia 85

militiarum ratio qualis Conſtantino habita ibid.
Miltiades Rom. epiſcopus 39
miniſtris eccleſiæ ſua cuique ſtatio tuenda commiſſa 74
de Miniſtrorum eccleſiæ creatione Canones 73
miniſtrorum Eccleſiæ ordo cuiusmodi Nicænis patribus approbatus 68
minorum res quatenus vendi aut non vendi licitum 177
minoribus iuris ignorantiam non nocere 179
molarum ſaxum ſuperius & inferius pignori accipi a Moſe interdictum 142
monetæ opifices in inſula concludendi 115
in Monetæ falſatores ſeverior Conſtantinus 217
monetæ falſatorum pœna 116. 117
monetæ officina Rom. *Iunoni monetæ vicina* 111
monetales triumviri 107. 111
monopolia Imperatorum poſt Conſtantium 166
Monothelitæ 58. *eorundem in corrumpendis Synodi canonibus impudentia* 37
Moſis feriæ & ſabbatha. 140
ob Moſaicum librum diſcerptum, miles cæſus 38
Moſis inſtitutum, ut levitæ tubis canentes in bellum ituris Iudæis præcinerent, quid 88
mulierum favor ſingularis 157. *ſeq.*
mulieribus quatenus iuris ignorantia noceat 179
municipalia munera 85
municipia quantæ curæ Conſtantino fuerint 85
mutui contractus ratio 193

N

Naviculariorum collegii privilegium 147
naufragii lex 147

navi-

navigatio hybernis menſibus interdictum 148
nauticæ leges Conſtantini 146. Friderici 148
nauticæ rei commendatio 146
nautis quomodo proſpectum voluerit Conſtantinus ibid.
Nazareorum ſcholæ 129
neceſſitati nulla lex poſita 163
negotiatores domus principalis 166
Neronis de remittendis vectigalibus deliberatio 97
Nicæa Bithyniæ, & Nicæna ſynodus a Conſtantino coacta 54
Nicæni canones a Rom. *epiſcopis corrupti* 36
Nicænorum canonum præſtantia 78
Nicænorum patrum ſeveritas 68
Nicænum conſeſſum quanta reverentia proſecutus Conſtantinus 55
nobiles an a tributis immunes 103
nobilium appellationes ibid.
Nititia orientis & occidentis, liber 83
notoria 221
Novati turbæ 48. 49
Novatiana hæreſis 64. quomodo a Nicæna Synodo repreſſa 65
Novatiani, Cathari 66
Novatianis æquior paulo Theodoſius 65
Numæ religio 20
numariæ leges 106. 107. 111
numariæ rei apud Romanos *conſtitutio* 106
numi ſignandi ratio 110. 111
numi vis tota in æſtimatione magis quam in materia 111

numi

numi adulterini Caracallæ 109. Liv. Druſi. ibid.
numi quali charactere a Conſtantino ſignati 111
numi ſtannei & plumbei lege Corn. prohibiti 107
de Numorum æſtimatione Conſtantini lex 111. 112
numorum ponderis ratio 109. 110
numorum qualitas apud Iuſtinianum quid 108
numorum raſores teneri lege Cornelia de falſis 110. 116
in Numis tria ſpectari 107
numos cudere privatis hominibus olim interdictum 110. 111
numos probandi ſchola inſtituta 106
numos reprobos non liberare ſolventem 107
nuptiæ, inter quos illicitæ 150. ſacerdotibus a Nicæna ſynodo permiſſæ 77. ultra biennium per ſponſum ſine cauſa dilatæ, irritæ 157
nuptiarum leges 149. 150. 155
nuptiarum ſacrilegi 154

O.

Obedientia religionis veræ mater 8
obryzati ſolidi qui 114
obryzatorum ſolidorum omnium idem pretium 114
obryzum aurum 114
officio aliquo præditus ſi quempiam aliquid ſibi vendere cogat, quo modo puniendus 186
officia militiæ olim 84
Olympii interitus 61
ordinatio eccleſiaſtica iuſta & legitima, quæ 73
Oriens ad libidinem proclivior 151. 154
Orphitianum ſenatusconſultum 171

oſcu-

oſculari mulierem, præter uxorem aut cognatam, illicitum 157
oſculi dati, non ſecutis nuptiis, merces 157
Oſius Cordubenſ. epiſcopus 52. 74
ὠτακȣςαὶ 221

P.

Pacatianus Conſtantini in Britania vicarius 102
pacti commiſſorii lex 191
pactiones commiſſoriæ quatenus tolerandæ 190
Pamphili martyris bibliotheca 32
panes civiles 93
Pantænus 28
Papia lege ſteriles & cælibes mulctari ſoliti 160
Papiæ ſchola a Carolo Magno inſtituta 135
parricidii lex 225
Paſchæ celebratio hodierna quantum a Nicæna conſtitutione diſtet 63
Paſchæ diei controverſia quantæ turbæ occaſio 62
Paſchatis celebrandi ratio certa a Conſtantino conſtituta 62
paterna bona ſi fiſcus diſtrahat, a filiofam. aſſeri iure ſingulari poſſe 178
patria in filiosfam. poteſtas 161. 162. 168
patriæ ſuæ quemque magis quam ſibi naſci 85
patribus quatenus permiſſum liberos ſuos vendere 163
patriarchæ Metropolitis præfecti 70
patriarcharum appellatio 69. de primatu certamina 71
patrimoniorum munera eccleſiarum miniſtris non remiſſa 45. 46
patrimoniorum munera non temere remitti 128

patro-

patronorum in libertos ius 174
Pauli Samoſateni libidines 75. *turbæ.* 48.50.51.
pauperes ex ærario alendi ratio 16
pauperum cura Epiſcopis habenda 166
pauperibus ex fiſco alendis proſpexiſſe Conſtantium 164. *ſeq.*
pecuniæ numeratæ loco an etiam alias res dare mutuo licitum 193
pecuniæ belli nervi 93
peræquator 98
Pergamenorum regum in conquirendis veterum librorum theſauris ſtudium 38
Petrus Alexandrinus 64
Phalaridis taurus 219
Philippi Imp. ſeculares ludi 118
Philippi Maced. arrogantia ab anicula reprehenſa 180
philoſophos mercenariam operam ſpernere 130
pietas in affines & cognatos 167
pignus quatenus, pecunia ad diem non ſoluta, creditori cedat 189
pignoris cauſa individua 185
pignoris taciti ius civitatibus aliquot datum 184
de Pignoribus tributorum cauſa diſtrahendis, lex 99. 100
Pinitus epiſcopus 78
Piſiſtrati bibliotheca 34
Placidiæ ſtatuæ everſæ 227
de plagiariis lex 225. *eorundem pœna* 191
Platonis locus 20
Plauti locus 182
Plynteria Athenienſium 138

pœni-

pœnitentia publica 65. 66
pollinctores 15
polygamia Græcorum 77
πολυπραγμοσύνη 86
pontifex etiam patrimoniorum muneribus obnoxius 47
Pont. Romani a cenſorum notis liberi olim 43
pontificis ſummi & œcumenici nulla ratio Nicenis patribus habita 70
pontifices unde dicti 170
pontificium ibid.
populi bene precantis munuſcula Conſtantino non ſpreta 115
portorium 97
poſſeſſori reo quatenus probatio competat. 210. 211
prædia de hoſtibus capta limitaneis ducibus & militibus donata 91. *eorumque hæredibus* ibid.
prædia Italica a tributis immunia 103
Præſidi provinciali emptionibus interdictum 187
præſcriptionem moratoriam reſcripto principis concedi poſſe, peremptoriam non item 206. 207
prætorio Italiæ præfectus 84. *item orientis, Galliæ, Illyrici, &c.* ibid.
precationis militaris formula Conſtantini 87
primates in eccleſia qui dicti 69
primatus contentio eccleſiæ interitus potiſſ. cauſa 71
principis boni officium 97
pro Principis ſalute nuncupari ſolita vota 115
principes in ſua cauſa ſeveri iudices 226
principum beneficia latiſſime interpretanda 128
principum officii exemplum Conſtantinus a Deo conſtitutus 5

prin-

principum poteſtas non infinita 186
privilegia tam cauſæ quam perſonæ ibid.
privilegia bonarum artium doctoribus conceſſa, quibus rebus conſtent 127
privilegia quatenus approbanda 126
proconſulis officium 222. 223
a Procuratore quomodo omnis culpa præſtanda 183
prodigo non minus quam furioſo dandus curator 181
profectitia peculia 159
profeſſorum ædes privatæ non interturbandæ 128
profeſſorum honorarium ſive ſalarium. 129. 130. *immunitas & privilegia* 128
profeſſoribus cautum, ne litis cauſa temere alio avocentur 132
profeſſoribus ſalarii tardius perſoluti etiam uſuras deberi 130
prolatæ res 140
prophetarum ſcholæ 29
prophetici libri aliquot a Iudæis deleti 31
provincialium ſynodorum cauſa 71. 72
provincialibus Romanorum præſidibus interdictum emptionibus 187
provocationum uſus ac ratio. 216. *vide Appellationes.*
ex Pſalmorum tribus millibus, paucos tantum ſupereſſe 31
Ptolemæi Philadelphi bibliotheca 33
publicani 97
publicanorum acerbitas reprimenda 97
publicanorum pœna 98

puellæ alimentariæ 166
pueri ex publico ali ſoliti 195
pupillares res ſine decreto non alienandæ 176
pupillorum cura 174. 175. privilegium 175. tutela eccleſiarum miniſtris interdicta 45
pupillis obligata tutorum bona 175
Pythiæ & Damonis hiſtoria 218

Q.

Quæſtionibus modus qualis adhibendus 219

R.

Rachaim. raceb 142
raptores virginum & viduarum graviter puniti 155
regale ſtudium agricultura 143
religio contemptui doctis, odio indoctis, Lactantii tempore 4
religionis atque eruditionis arctiſſ. coniunctio 30
religionis cauſæ ad epiſcoporum cognitionem reiectæ 43
religionis controverſiæ ad ſacrarum literarum regulam diſcutiendæ 56.57
religionis potiſſ. in repub. habenda ratio 3
religionis veræ mater obedientia 8
religionem ſine libris conſervari non poſſe 30
repetundarum lex Iulia 187
rei mandatæ periculum duplex 181
rei ſuæ quisque moderator & arbiter 181
re ſua ne quis male utatur, etiam Reip*ub. intereſſe* 181
reſpublica ſine religione, latrocinium 3
reipub. bene conſtitutæ fundamenta & membra 4

in Reipub. curam detrectantes lex 185. 186
reipub. nervi in tributis 93. 94. 95
reipub. quantam curam habuerit Conſtantinus 80. 85
reipub. quies quibus potiſſ. rebus conſtet 117
reipub. præfecti e publico alendi 20
reipubl. quales gubernatores præficere ſolitus Conſtantinus 12
Reticus 39
a Reo probationem non exigi 210
reges Eccleſiæ nutricii ab Eſaia prædicti 2
rhetores olim principum aſſentatores 5
Rheticus Heduorum epiſcopus 65
Rhodia lex nautica 147
Roma relicta, cur Byzantium ſibi ſedem delegerit Conſtantinus 82
Romano epiſcopo prælatus Arelatenſis & Syracuſius 40
Romanorum epiſc. in Conciliorum canonibus corrumpendis fraus 36
Roncaliæ 134
ruſticæ rei vacantes, in forum non compellendi 140
ruſticæ leges Conſtantini 136. 139
ruſticorum non inſtrumentis ſolum, ſed & corporibus parcendum 141. 143

S.

Sabellii hæreſis 50. 51
ſacerdotes in criminali cauſa coram præſide conveniendi 43

ſacer-

ſacerdotum veterum a tributis & vectigalibus immunitas 46
ſacerdotibus permiſſum coniugium Nicænis decretis 77
ſacerdotibus relicta, ipſi templo relicta videri 26
ſacrilegi nuptiarum 225
ſacrilegium eſſe, eccleſiæ bonis frui, eos qui propriis ali poſſunt 17
ſalarium quibus dari Conſtantinus voluerit 129
ſalarii tardius perſoluti profeſſoribus, etiam uſuras deberi 130
ſalaria ocioſis ſubtracta 129
ſalgami vox 89
Salutis ara 180
Sanatibus idem ius, quod fortibus 67
ſanguinolentus 163
Sardicenſis conventus. 74. *eius canones pro Nicænis ſuppoſiti* 36
Scævolæ de feriis reſponſum 138
ſchola Levitica 28
ſcholæ veterum illuſtriores 27. 28
ſcholarum in Eccleſia uſus 27
de Scholis civilibus Conſtantini lex 122
ſcholaſticorum privilegia 132. *ſeq.*
Scipionis Aemyliani frugalitas 90
ſcortorum chryſargyrum vectigal 94
ſcriptura 97
σεισάχθεια *Solonis* 207
ſemiſſis 194
ſenatoris filius 168
ſenatorum concubinis iniquior Conſtantinus 153

Senatus quo loco olim Romæ *haberi ſolitus* 231
ſepulturæ gratuitæ a Conſtantino inſtitutæ 15. 16
ſervi hæredis inſtituendi ratio 200. 201
ſervire Iudæis aut impiis hominibus illicitum Chriſtiano 173
de Servis non inclementius tractandis lex 173
ſeſcuplum, ἡμιόλον 194
Sex, Aurelius Victor 83
Smyrnenſis bibliotheca 31
Sibyllini libri 34
ſingularia iura 126
Siſinius Novatianorum antiſtes 65
ſolidi exteriorem circulum incidentes damnati 116
ſolidi obryzati qui 114
ſolidorum æſtimatio 104
Solonis σεισάχθεια 207
Spartam nactus es, hanc orna 86
Spartana moneta ferrea 108
ad Spectaculum illicitum relicta, ad quos uſus vertenda 26
ſpectacula cruenta 119
Spes fallax dea 190
ſponſalitiæ arræ 157
ſponſalitiæ donationes 155
ſtannei numi apud Syracuſanos 108
Stationarii, eorumque in Repub. *uſus* 220. 221
ſterilitatis gratia tributa remiſſa 96
ſterilium mulcta 160
ſtudiorum reverentia privilegiis confirmata 127
a Studiis ante annos 25. quenquam avocari pub. munerum prætextu, cautum 132

ſtudioſis quales iudices deputati 132. 135
ſtudioſorum quanta ſit ratio habita priſcis Imperatoribus 131. *ſeq.*
de Succeſſione & hæreditatibus lex 202. *ſeq.*
ſui quisque iuris dominus 181
de Suſpicionibus damnari neminem debere 224
Symbolum Conſtantini 62
Symmachus Veſtalium patronus 23
ſynagogæ Iudæorum 29
συνεισάκτοι *quæ, earumque conſuetudine interdictum* 76. 150
Synodus Tyria a Conſtantino caſtigata 43
Synodorum cogendarum potiſſ. ratio & uſus 53. *ius olim apud Cæſares* 54
Synodorum decretis quantum tribuendum 57
ſynodorum provincialium cauſa 71. 72
Syracuſius epiſcopus Romano prælatus 40

T.

Tacitæ hypothecæ privilegium. 175. *quibusdam civitatibus datum* 184
temporum certa obſervatio quanti momenti 63
teſtamenti faciendi ratio liberior 197. *ſeq.*
teſtamenti factio an filiofam. licita 169
teſtamenti inofficioſi querela quatenus licita 199
teſtamenti militaris libertas 90
teſtari neminem, niſi qui ſui iuris eſt, poſſe 169
teſtationes 221
teſtatoris bona etiam alia tacite legatariis obligata 185
teſti iniurato non minus quam iurato credendum 209
teſti uni non acquieſcendum 209

teſtes iurisiurandi religione conſtringendi 209
Theodoſius alter Conſtantinus. 146. eiusdem de Novatianis lex. 65. liberalitas 93
Theodoſii ira per Flavianum epiſcop. placata 227
Theodoſio funditus deleta idolorum templa 10
Tiberina decurſio 121
Tiberii dictum 96
Traiani bibliotheca 30. frugalitas 90. laus 125
Traiani dictum 95
tranſitus ab eccleſia una ad aliam 75
tributi ſolutioni quantum temporis præſcriptum 101
tributa ex prædiis ſterilibus quomodo colligenda 103
tributa proprie quæ 98
tributa Reip. *nervi* 93. 95
tributa ſterilitatis gratia remiſſa 96
tributorum æquabilis ratio. 94. 98. 165. eorundemque exigendi modus 99
tributorum qualis ratio fuerit in Rom. *imperio* 97
tributorum debitores contumaces quomodo tractandi 101. 102
tributorum exactores acerbiores puniri ſoliti 97. 98
tributorum exactoribus a ruſticis inſtrumentis & bobus interdictum 101
tributorum numi æqua lance appendi ſoliti 110
a Tributis neque clericos fuiſſe immunes 103
tributis ordinariis etiam eccleſiaſtica prædia eſſe obnoxia 46
a Tributis penſitandis nemo eximendus 102

de

de Tributis remittendis Iulii Cæſ. ſententia 96
triumviri monetales 107. 174
Tullianum 219
tutelam ut rempub. geri debere 176
tutelaris prætor 177
tutoris, qui pupillam ſuam ſtuprarit, pœna 154. 155
tutorum bona pupillis obligata 175
tutoribus quatenus conceſſum res minorum alienare, &c. 176

V.

Vadis amici vicaria fides quatenus recepta 218
Valentinianus Eccleſiæ filius 2. *eiusdem de reſtituendis eccleſiæ bonis lex* 19
M. Varronis bibliotheca 32
vectigalia proprie dicta quæ 97
vectigalia Reipub. *nervi* 97
vectigalium æquabilis ratio 94
vectigalium certa pars alendis ſacerdotibus deſtinata 20
vectigalium immunitas priſcorum ſacerdotibus conceſſa 46
in Vectigalibus exigendis Conſtantini modeſtia 95. 96
Vergilii locus 127
veritati conſuetudinem cedere debere 230
Veſpaſiani ſordida avaritia 96
veſpillones 15
Veſtalibus legata, eorumque in pauperes liberalitas 23
pro Veſte etiam uſuras ſtipulari poſſe 193
veteranis conceſſa privilegia 92

vim qui ſecit, quomodo puniendus 224. 225
de Vi iudicium ante omnes alias cauſas tractari ſolitum 205
vi nihil magis iuri contrarium 209
vindemiarum tempore iuſticium 140
vindictæ divinæ exempla 61
virginum ſacrarum cum diaconis conſuetudo, Cypriani tempore 76
Vlpianus contra militum furorem defenſus 135
Vlpiani locus reſtitutus 223
de Vltimis voluntatibus 197
vota pro ſalute Principis nuncupari ſolita 115
uſuræ ἡμιόλιαι. *193. ſeſquicenteſimæ, centeſimæ* ibid.
uſuræ legitimæ non improbandæ 193. 194
uſurariæ leges 192. 193
vulgaris uxor aut mulier quæ 153
uxori obſtricta mariti bona, dotis conſervandæ nomine 175
uxoribus data privilegia a Conſtantino 158. 159

Z.

Zoſimi in Conſtantinum mendacium 94

F I N I S.

VA 152 456 FRAN-

FRANCISCI BALDVINI
J. C.
COMMENTARIVS
AD
EDICTA
VETERVM PRINCIPVM
ROMANORVM
DE
CHRISTIANIS.

EDITIO NOVA

CVM INDICE RERVM ET VERBORVM.

LIPSIAE ET HALAE,
APVD ERNEST. GOTTL. CRVGIVM.
MDCCXXVII.

CLARISS. VIRO
D. CASP. à NYDPRVG,
IVRISC. ET SENATORI REGIO,
FR. BALDVINVS S.

CVM anno ſuperiori deſcriptum ex noſtris Eccleſiaſticarum civiliumque rerum Commentariis Conſtantinum edidiſſem, rogarunt me multi harum rerum ſtudioſi, ecqua ante illum in orbe Romano conditione annis prope trecentis vixiſſent maiores illi noſtri Chriſtiani: & vero, quæ olim Rom. Imp. de iis leges fuiſſent. Quod cum & ad Conſtantini imperium illuſtrandum, & ad earum antiquitatum, quarum ſtudioſum eſſe me non diſſimulo, memoriam pertinere intelligerem, & huius ætatis intereſſe putarem, id

non latere: facile nunc paſſus ſum in publicum dari, quam earum legum hiſtoriam iisdem meis Commentariis privatim incluſeram. Nam etſi iam V. viris Magdeburgenſib. qui hiſtoriæ Eccleſiæ conſcribendæ provinciam ſuſceperunt, curam hanc lubenter reliquerim, & expoſito illis meo, quod rogabant, conſilio, aliis me ſcriptionibus dediderim: tamen quicquid illud eſt, quod antea de illis legibus annotaveram, cum aliis communicare non recuſavi. Imo vero Apologeticos veterum Chriſtianorum libellos Annotationibus explicatos adiungere inſtitueram. Sed Athenagoræ vetuſtiſſimam huius generis ἀπολογίαν expecto, quam brevi ſpero in lucem editum iri. Interea quod nunc edo, ad te ut referrem, res profecto ipſa me ſtatim non ſolum monuit, ſed etiam impulit: cum eum eſſe te ſciam, qui ad harum antiquitatum inquiſitionem me non ſolum literis, ſed & exemplo tuo cohorteris: & hanc Iurisprudentiæ nobiliſſimam partem, quam alii, nimium profecto profani homines, quia ignorant, contemnunt, unus ex ordine Iurisconſultorum religioſe & perite colas: & vero poſſis maximos in hoc Imperio principes, quorum conſiliis præes, ſapienter monere, ſi quam moderationis & temperantiæ legem

legem hic eſſe putabis, quam illi audire debeant. Ego quidem certe Maximilianum Regem & Principem opt. max. lubentius compellabo, ubi Theodoſium, quem in manibus habeo, delineatum illi offerre potero. Interea vir clariſſ. pignus hoc habeto animi erga te mei: & hanc ſtudiorum noſtrorum partem magis atque magis excitato. Quid enim? Si olim Iudæi tam valde laborarunt, ut unum aliquod Cyri, de ſui templi inſtauratione edictum, quod in regios Commentarios relatum latebat, ab extremis usque Ecbatanis repeterent, ex quo Darius de Iudæorum cauſa iudicaret: & hoc exemplo Chriſtiani tam magnam operam olim quoque dederunt, ut Adriani Imp. reſcriptum, quod adverſarii ſuppreſſerant, rurſum ederent, & per Iuſtinum ſuum Antonino Imp. offerrent: certe pati non debemus, quæ ad nos non minus pertinent monumenta huius generis, in tenebris ſepulta iacere. Vale.

Heidelb. Cal. Aug.

AD EDICTA PRINCIPVM DE CHRISTIANIS

PRÆFATIO.

VT Iuriſprudentia eſſe dicitur divinarum atque humanarum rerum notitia: ſic eos dicere ſoleo, qui illi nomen dederunt, Eccleſiaſticarum atque civilium rerum ſtudioſos eſſe oportere: & cum utriusque iuris, divini nempe & humani, tum vero hiſtoriæ veteris, & quidem hiſtoriæ utriusque, hoc eſt, Eccleſiaſticæ & civilis, cognitionem coniungere debere. Laudo equidem Romanarum antiquitatum commentarios, quales nunc ſcribunt homines quidam eruditi: ſed antiquitatibus Chriſtianis nullam eos operam dare, non ſolum miror, ſed etiam doleo. Nam ſi illarum magno deſiderio tenemur, ut tenemur: qui poſſumus harum, quæ illis etiam immixtæ plerumque ſunt, memoriam, qua nihil nobis antiquius eſſe deberet, faſtidioſe negligere, quin ſtudia literarum, profanæ cuiusdam vanitatis ſtudia eſſe flagitioſe ſignificemus? Hanc ego labem (nulla enim tetrior barbaries eſt) abs Iurisprudentia procul abeſſe iampridem cupio: fremat licet improborum quorundam leguleiorum impietas:

quæ-

quædam tecta, quæ vult tamen vel aſtuta vel erudita videri. Hæc enim etſi in tenebris audax ſit, quia tamen in luce trepidat, non valde me terret. Quid igitur? Ut in Iurisprudentiæ Romanæ ſtudiis, ius ab hiſtoria tanquam facto diſcernendum eſt, ſic eſt etiam utrumque coniungendum: ut & in iure Romano hiſtoriam, & in hiſtoria ius ipſum obſervemus: neque ipſius ſolum Reip. ſed & Eccleſiæ cauſam atque conditionem conſideremus. Nam & ubi hæc coniunguntur antiquitatum monumenta, multo ſunt illuſtriora. Quid in hoc genere deſiderem, quid velim, quid inſtituam, pluribus non dicam. Sed ſane iuvat, cum in veteris Reip. vel Imperii Rom. ſtatu cognoſcendo, eiusque iure explicando verſor: quales etiam de noſtra religione leges tulerint illi legumlatores, & qualis in orbe Romano Eccleſiæ ſtatus, maiorumque noſtrorum conditio fuerit, non ignorare. Immanis profecto in hoc genere fuit, illius Imperii, iuſtitiæ alioqui & humanitatis laude florentis, ac prope incredibilis barbaries: ſi quid, quantumque religioni, hoc eſt, Deo debeatur, cogitemus; ſed fuit rurſus admirabilis quædam, in illorum temporum intemperie, quorundam principum temperantia in hac cauſa: ſi qualis alioqui, quantaque impiorum hominum rabies ſit, odio & furore inflammata, cogitemus. Itane vero hic terrarum orbis, qui non ſtaret (ſic enim Prophetæ docent) niſi ſi in extremo ſaltem eius aliquo angulo, Eccleſia, ut appellatur, hæreret: hanc tamen ferre non poteſt, hoſpitis minime ingratæ hoſpes nimium profecto ferus?

Atqui neceſſe eſt, in hoc mundo illa aliquod habeat, ſi non domicilium, in quo tanquam civis habitet: at diverſorium ſaltem, ubi peregrina commoretur. Horribilis eſt illa ſane apud Danielem pictura regnorum atque imperiorum, quæ quid hæc aliquando molirentur prædixit. Sed modum tamen aliquem, & finem horum malorum illa promittit. Ac poſtremo quidem Romanos notare videtur, cum principem quendam populum exoriturum eſſe ſignificat, qui Chriſti regnum depopuletur. Verum huius quoque populi, qui orbi terrarum leges poſtremo dedit, non eadem profecto ſemper ſententia fuit: ut neque fuit perpetua aliorum principum conditio impietatis. Ante Chriſti ætatem, Iudæorum reſp. fuit etiam, dicique potuit, Eccleſia. Quid vero de illa ſtatuunt Monarchæ? Reges Perſici tres, publicis edictis iuſſere, ut & immunis & libera eſſet: ipſiusque etiam templi ſacroſancti inſtaurationem liberaliter adiuvant: cum tamen aliarum gentium templa & fana omnia Perſæ diruerent, nullaque ferre poſſent. Alexander Macedo, ſi quo modo ſe geſſerit Hieroſolymis meminerimus, alter in hac cauſa quidam Cyrus videri poſſet. Sed & cum Alexandriam conderet, Iudæos cives allegit. Succeſſores reliquit varios, qui hanc quoque gentem varie afflixerunt: ſed ſubinde tamen, ut illa reſpiraret, ſeſe cohibuerunt: & nonnunquam amiciſs. fuerunt. Quam enim valde & amicus & religioſus fuit Ptolemæus Philadelphus? Quam non adverſarius Nicanor Syriæ rex, qui ius civium in ſuis civitatibus Iudæis dedit? Quam in hac cauſa

ſa bonus & æquus Antiochus magnus? certe non minus placidus erat, quam crudelis paulo poſt & impius fuit Antiochus Epiphanes. Edicta quæ dixi de Iudæis, Perſica, Macedonica, Ægyptia, Syriaca, ex Ioſephi & Eſræ commentariis repeti facile poſſunt. Et ea ſunt, quæ cum Romanis in ſimili cauſa legibus conferri atque comparari valde velim. Venio ad Romanos: nam de eorum edictis in hoc genere magis nunc quæritur. Ac in primis quidem mihi occurrit, quod Tertullianus in Apolog. capite 26. Iudææ (inquit) & Deum victimis, & templum donis, & gentem fœderibus aliquando Romani honoraſtis. Certe colonias Iudæorum toto orbe Romano multas iam olim fuiſſe conſtat. Pompeius, Cicerone & Antonio Coſs. urbem Hieroſolymorum, templumque ipſum expugnavit: ſed eius tamen religionem ſartam tectam reliquit, ac ne templum quidem ſpoliare auſus eſt. Iudæos iuſſit eſſe tributarios. Interea tamen eorum templo ſuas etiam provincias veluti eſſe tributarias Romani paſſi ſunt, & Iudaicorum ſacrorum libertatem quodam privilegio communitam reliquerunt: etſi varia de iis iam inde ab initio Romæ iudicia profecto fuerint. Operæ pretium vero eſt Ciceronis pro L. Flacco orationem, que huius plane loci eſt: audire. Cum (inquit) aurum Iudæorum nomine, quotannis ex Italia, & ex omnibus veſtris provinciis Hieroſolymam exportari ſoleret: Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret. Quis eſt, Iudices, qui hoc non vere laudare poſſit? Exportari aurum

„non oportere, cum ſæpe antea Senatus, tum me „Conſule graviſſime iudicavit. Huic autem barba„ræ ſuperſtitioni reſiſtere, ſeveritatis: multitudi„nem Iudæorum flagrantem nonnunquam in con„cionibus pro Rep. contemnere, gravitatis ſummæ „fuit. At Cn. Pompeius captis Hieroſolymis, victor „ex illo fano nihil attigit. In primis hoc, ut multa „alia ſapienter, quod in tam ſuſpitioſa ac maledica „civitate, locum ſermoni obtrectatorum non re„liquit. Non enim credo religionem & Iudæo„rum & hoſtium, impedimento præſtantiſſimo „Imperatori, ſed pudorem fuiſſe, &c. Sua cuique „civitati religio Læli eſt, noſtra nobis. Stantibus „Hieroſolymis, pacatiſque Iudæis, tamen iſtorum „religio ſacrorum, a ſplendore huius Imperii, gra„vitate nominis noſtri, maiorum inſtitutis abhorre„bat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de „Imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis: quam ca„ra diis immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, „quod elocata, quod ſervata.

Defendat profanus orator Flacci ſui edictum, ſi poſſit. Utut autem & de Iudæis, quas alibi ait natos eſſe ſervituti, & de Pompeio, loquatur, quem alio loco vocat Hieroſolymarium: non impetravit tamen Conſul, quod voluiſſe videtur, ut gens illa, in qua adhuc erat Eccleſia, exſcinderetur. Ioſephus libro ſecundo contra Appionem narrat, Apollonium Molonem adverſus Iudæos turpiſſime multa nefaria ſcripſiſſe: eos appellaſſe atheos: Moſem ut magum & impoſtorem, eiuſque leges ut impias & iniuſtas, multis convitiis calu-

mniis-

mniisque oneraſſe. Si is tam fuiſſet, Romæ legislator, quam erat aut Grammaticus aut Rhetor, dira de iis exterminandis edicta credo compoſuiſſet. Fuit autem hic Apollonius, Ciceronis & Cæſaris præceptor. Magiſtrum ergo in hac cauſa ſuum ſecutus Cicero eſſe videtur, & ex illius ſchola in forum Senatumque Rom. impias de Moſaica religione ſententias attulit. Quid autem Iulius Cæſar? Certe in hoc genere fuit ſuo & præceptore & condiſcipulo temperantior. Imo vero cum rerum potitus eſſet, pro Hyrcano Iudæorum pontifice, & in huius gratiam pro Iudæis ecquid non fecit, edixit, ſtatuit, decrevit? neque ſolum per omnes provincias, ſed & in Capitolio ipſo, Romanis Græcisque literis in æs inciſa ſua de Iudæis privilegia æquiſſima fixit: quæ & deinde Ioſephus, ne quando ſupprimerentur, collegit, & ad omnem poſteritatis memoriam commentariis ſuis incluſa iterum veluti promulgavit, libro Antiquit. 14. Ac illa quidem etiam mortuo Cæſare, Antonio & Dolabella Coſs. S. C. confirmata ſunt: ipſeque rurſus Dolabella, cui Syria provincia obvenerat, ſuis ad Epheſios magiſtratus literis magis atque magis rata eſſe iuſſit. Sed & complura huius generis alia veterum Ro. ad provinciarum præſides & Proconſules mandata & reſcripta fuiſſe, teſtis eſt Ioſephus: quæ quidem eo præcipue pertinebant, ut Iudæi libere ſuis ſacris operam dare poſſent, & in religionis cauſa ſuis legibus uterentur, Romanis non tenerentur: neque tam unius Cæſaris,

quam

quam S. P. Q. R. beneficia hæc erant, eſſeque dicebantur.

Secutus eſt Auguſtus, qui illa etiam auxit. Suetonius quidem ſcribit, eum veteres Romanorum, receptasque ceremonias coluiſſe: novas vero atque peregrinas ita contempſiſſe, ut nec in peragranda Ægypto paululum deflectere ad viſendum Apin voluerit. Sed tanto eſt admirabilius, quod in Iudæorum cauſa ſingulariter fecit. Certe cum multi in provinciis paſsim adverſarii Iudæis adhuc obſtarent, nec paterentur, eos iure ſuo uti frui (ut difficilius ſemper fuit adverſus vim multitudinis, & præſidum invidiam, libertatem religionis veræ tueri, quam abs profanis etiam principibus eam impetrare) nihil antiquius habuiſſe dicitur, nihil feciſſe diligentius, quam ut iterum ius Iudæis relictum confirmaret, & eorum templum ornaret. Nam & utebatur Marci Agrippæ conſilio, qui iniuſtiſſimum eſſe iudicabat, illorum religionem, quorum & templum tam auguſtum viderat, & ceremonias etſi non intelligeret, admirabatur, crudelibus edictis aut diſturbare, aut peſſundare, ut oſtendit Philo περὶ πρεσβ. Decreta Auguſti de Iudæis repeti poſſunt ex Ioſephi libro 16. Antiquit. & digna profecto ſunt, quæ in legum Romanarum album referantur. Addo quod ex eodem Philonis libro περὶ πρεσβ. didici, Auguſtum non ſolum (quod tamen Cicero tam valde olim vituperabat) mandaſſe, ut aurum ex omnibus provinciis Hieroſolymam, ſacrorum cauſa, de more poſſet exportari: ſed & de ſuo fiſco liberali-

raliter multa donaſſe, & victimas, quæ in templo Hieroſolymitano mactarentur, quotannis miſiſſe. Adderem & illud, quod idem Philo in Flaccum narrat: Auguſtum conſtituiſſe quendam Iudæorum Senatum, quo magis eorum Rempub. ſtabiliret. Sed hanc profecto nimium labefactavit, cum Herodis, qui & Synedrion ipſum ſuſtulit, regnum confirmavit: nec eius incredibilem in Iudæos tyrannidem aliquando repreſſit. Quid immanius illo Herodis edicto, de trucidandis omnibus pueris bimulis & minoribus? Auguſtus id tamen, quaſi ludicrum aliquid eſſet, toleravit. Paulo ante quam Auguſtus naſceretur, propter quoddam prodigium Senatus cenſuerat, ne quis eo anno genitus educaretur. Sed hoc S. C. ad ærarium non fuit delatum. Cur magis receptum fuit Herodis decretum? quid igitur? Si ut Auguſti tempore natus CHRISTVS eſt, Chriſtiana quoque Eccleſia adoleviſſet, an hunc eſſe alium principem ſenſiſſet, quam Tiberium, Caligulam, Claudium, Neronem, Domitianum ſenſit? Equidem de eo reſpondere non poſſum. Sed ſi Mecœnatis, quem de Rep. adminiſtranda Conſuluit, reſponſum & conſilium audivit, probavitque, ut probaſſe videtur: vereor, ne Nero potius quiſpiam, quam Tiberius in hac cauſa fuiſſet. Age vero, recitetur illa Mecœnatis ſententia, quæ, quale Romanæ ſapientiæ de noſtra religione tunc iudicium fuiſſet, veluti prædicit: & ad id quod nunc agimus, quærimusque, in primis conducit. Extat apud Dionem libro quinquageſimo ſecundo, in hæc verba: τὸ θεῖον

πάν-

πάντη πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε· τοὺς δὲ δὴ ξενίζοντάς τε περὶ αὐτὸ, καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας, οὐδ' ἄλλου ἄντινος προτιμήσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες, πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν, κἀκ τούτου καὶ συνωμοσίαι καὶ συστάσεις ἑταιρίαι τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει. Conſulit Mecœnas, ut non ſolum more maiorum Auguſtus numen diligenter colat, ſed & alios ad eum cultum compellat. Eos vero qui peregrinum aliquid aut novum in religione tentant, puniat atque coerceat: non ſolum religionis cauſa, ſed & Reip. multo magis. Nam alioqui novæ religionis prætextu multos res novas moliri, & illicita collegia coire, coniurationesque inde & ſeditiones naſci, & alia huius generis, quæ Monarchiæ minime conducunt. Equidem in hoc de religione iudicio, hominis ſcilicet inter Romanos ſapientiſſimi, agnoſco & cauſam & originem omnium vel legum vel iudiciorum, quibus in orbe Romano deinde vexati, & prope oppreſſi Chriſtiani ſunt. Quanquam fuerit hæc vetus, & prope perpetua omnium Romanorum prudentum ſententia: ut quoniam religione mutata Remp. mutari iudicabant, & religioni Rempub. præponebant, morem maiorum potius quam veritatem hic ſequerentur: & quæcunque illis nova aut peregrina religio videretur, eam repudiarent. Ipſe Poſthumius Conſul, cum de abolendis Bacchanalibus verba facit, ait: Sæpe negotium Magiſtratibus datum eſſe, ut ſacra externa fieri vetarent, omnemque diſci-

pli-

plinam ſacrificandi, præpterquam more Romano, abolerent. Nihil enim æque abſolvendæ religionis eſſe, quam ubi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur. Certe tale negotium multis ante annis dederat Senatus M. Attilio Prætori urbano: qui cum in concione Senatus conſultum recitaſſet, edixit: Ne quis novo aut externo ritu ſacrificaret. Sed fuitne tunc ſanctio capitalis? Non exiſtimo, quanquam poſtea fuiſſe ſciam. Certe Paulus Iuriſconſ. libro 5. Sentent. Qui novas (inquit) & uſu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur. Sed & Ioſephus contra Appionem teſtis eſt, Perſas olim capitis pœnam religioni peregrinæ irrogaſſe. Et vero experti poſtremo ſunt Chriſtiani, quam illi eſſent ſeveri ſuorum ſacrorum vindices. Quid multis? Omnes (inquit Cicero) religione moventur: & deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos ſibi diligenter, & retinendos eſſe arbitrantur. Græcorum præſertim Athenienſium, qui ſapientiſſimi habebantur, & in hoc genere ſeveriſſimi fuerunt, eadem oratio fuit: quod Iſocrates in Areopag. oſtendit. Ac publicum atque capitale iudicium τῆς ἀσεβείας in curia Areopagitica propterea exercebatur: & ex condemnatione trium maximorum virorum, Socratis, Demonactis, & Alcibiadis, quam eſſet acerbum, intelligi poteſt. Ut iam mirari non debeamus, quod Ioſephus libro 2. contra Appionem narrat, non ſolum capitis ſupplicium aliquando decreviſſe adverſus eos qui novum

ali-

aliquem deum introducerent, non minus quam adverſus aliquem Diagoram ἄθεον: ſed & mulierem quandam ſacerdotem extremo ſupplicio affeciſſe, quod peregrinos coluiſſet deos. Imo vero & qui verbo uno patriam religionem læderent atque minuerent, religionis læſæ atque imminutæ, tanquam Maieſtatis reos fuiſſe. Fuerint ſane tam capitales de religione Athenienſium leges: tamen conſtat, Athenis multos impune impios fuiſſe. Quid enim de Epicureis aliud dicam? Quid? Cum illic eſſet ara ignotorum deorum, certe non obſcurum erat veſtigium peregrinæ religionis. Et vero interdum leges in hoc genere latæ ſunt, ad terrendum magis quam ad vindicandum: ut minas contineant potius, quam pœnas ſtatim irrogent; quod & de quibusdam Theodoſii conſtitutionibus adverſus hæreticos latis, narrant hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Sane Euſebius lib. περὶ πρεσβ. indicat fuiſſe hoc quoddam ius Gentium, ut nova religio reprimeretur, cum eius reprimendæ cauſa dicat ubiq[illegible] ſcriptas fuiſſe leges capitales: quas quidem [illegible] Chriſtianis obiectas fuiſſe ſignificat. Mirum vero, quod cum aliàs earum executio ſæpe infringeretur, ab ipſius quoque auctoribus: in orbe tamen Romano, antequam tales perlatæ leges fuiſſent, in Chriſtianos ſævitum fuiſſe. Quid igitur? Magna Eccleſiæ fuerunt certamina cum philoſophis: ſed maxima cum Magiſtratibus & Præſidibus, qui non verbis & diſputatione, ſed vi, & armis, & carceribus, & gladiis, & ignibus Chriſtianos fatigarunt; quanquam & Iudæi, ubi ubi potuerunt,

vim

vim adhibuerint: & Arriani non fuerint humaniores, cum rerum potiti ſunt. Denique & philoſophorum ea tandem rabies fuit, is furor, ut ex ſcholis ſuis egreſſi ad carnifices confugerint, & ad ſæva tribunalia tanquam ad ſcopulos reorum Chriſtianorum. Sic Creſcens ille Cynicus ſuam cum Iuſtino diſputationem concluſit. Sic ſuam Celſus eſt exorſus. Nam Origenes teſtatur, hoc eum principio uſum eſſe, quod diceret Chriſtianos adverſus principum placita cœtus novos religionis ſuæ nomine inſtituere, & adverſus Remp. ſeditioſe coire, ſuamque coniurationem appellare Charitatem. Principibus ipſis uſi Chriſtiani plerumque ſunt æquioribus. Sed Senatum & Magiſtratus & Iuriſconſultos, duriores adverſarios habuere. Nam etſi his mandaretur executio atque tuitio mandatorum principalium, quibus Chriſtianorum univerſitas defenderetur: talia tamen illi, quantum poterant, mandata eludebant. Hoc Iudæi iam inde ab initio, cum ab Cyro edictum de templi ſui inſtauratione impetraſſent, experti ſunt. Sed Chriſtiani multo magis. Hanc ego nunc hiſtoriam totam deſcribere non inſtitui: Sed interea dum inſtituitur integra deſcriptio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, facio non invitus, ut eam nunc partem attingam, quæ ad Iuris Rom. memoriam propius accedit: & veterum Imperatorum usque ad Conſtantinum leges, vel privilegia potius, de Chriſtianis continet. Dixit olim Mutius Scævola, turpe eſſe viro patritio ius ignorare, in quo verſatur. Sed aliæ multo graviores cauſæ ſunt, quæ pudorem nobis incutere debent, ſi earum,

de quibus nunc loquor, legum hiſtoriam ignoremus. Quæ Conſtantinum conſecuta tempora ſunt, Arrianorum nempe principum, funeſtiora profecto fuerunt. Illi enim etſi Chriſtiani dicerentur, tamen in Chriſtianos, qui una in re ab iis diſſentiebant, crudeliores quam ethnici (ut appellantur) olim fuerant, fuiſſe videntur: ac ne abs collegis quidem, ſuis etiam fratribus, qui pietati favebant, reprimi potuerunt. Qualis fuit Conſtantius, etſi Conſtantem: qualis Valens, etſi Valentinianum Imperii conſortem haberet. Fuit aut tanto gravior illorum temporum hæc ſævitia, quod cum Chriſtianam religionem peſſundaret, eius tamen ſe vindicem eſſe profiteretur: neque tam qui affligebantur, quam qui ſæviebant, Chriſtiani dicerentur, ut graviſſime Baſilius ad Galliæ & Italiæ epiſcopos ſcribens ait.

Vt autem intereſt, conferre ethnicorum, & (ut vocantur) hæreticorum principum vel magiſtratuum adverſus orthodoxos edicta: ſic e diverſo, & orthodoxorum (ut etiam appellantur) qui viciſſim rerum potiti ſunt, leges, quas quidem de iis qui abs ſua, hoc eſt, vera religione alieni eſſent, vel defeciſſent, ediderunt, non in Chriſtiana modo, ſed & in Moſaica olim Rep. comparare atque committere utile eſt, inprimisque dignum huius ætatis memoria.

Obiecit aliquando Chriſtianis Iulianus ille apoſtata, qui ethnicos, & quos appellabant hæreticos, abs ſe diſſentientes, crudeliter ſtatim occiderent. Cyrillus falſam eſſe hanc calumniam reſpondit: & ea recriminatione utitur, ut ab adverſariis potius Chriſtianos iniuſtiſſime occidi conqueratur. Hic

certe

certe duplex eſſe quæſtio poteſt: una facti, iuris altera. Primum quæritur, an de hæreticis capitales fuerint Chriſtianorum olim principum leges. Deinde, an tales eſſe debuerint. Et rurſus, quia leges interdum ſunt ſine executione, an Chriſtiani olim Magiſtratus capitali ſupplicio hæreticos affecerint. Deinde, an afficere debuerint. Neque de illa, neque de hac quæſtione iam reſpondeo: quod ſuo alias loco & tempore copioſe faciam, ubi ad Theodoſium ventum erit. Video magnam in multis huius & facti & iuris ignorantiam, quæ nunc cœlum terræ miſcet. Sed nunc illud tantum ſuſcepi, ut quærerem, atque etiam reſponderem, quales fuerint ethnicorum ante Conſtantinum, Imperatorum de Chriſtianis leges. Ad quas cum aggredior, in primis occurrit illa, quæ poſtrema fuit Romanæ adverſus Chriſtianos ſævitiæ πρόφασις, & veluti extremus actus fabulæ: illa dico conficta impudenter acta Pilati (ut appellabantur) quæ ad Chriſtiani nominis ludibrium odiumque publicum abs Maximino edita ſunt, & pueris quoque ipſis in literarum ludo propoſita. Huic non fuiſſet fabulæ & calumniæ locus, ſi hiſtoriæ veritas vulgo nota fuiſſet.

FRANCISCI BALDVINI

EDICTA PRINCIPVM ROMANORVM DE CHRISTIANIS.

QVID Pontius Pilatus Palæſtinæ Præſes de Chriſto ſtatuerit, Sacris literis memoriæ proditum eſt. Poſtea res illi digna eſſe viſa eſt, ut erat, de qua tota referret ad Tiberium Imp. Nam & hoc erat in more Romanorum poſitum, ut quod in provinciis fieret, quod quidem maioris eſſet momenti, Præſides ad Principem aut Senatum referrent. Huius moris, quem & Pontius ſecutus ſit, Euſebius meminit in hiſt. Eccleſ. Tertullianus in Apolog. cap. 21. poſteaquam Evangelicæ hiſtoriæ de Chriſto ſumma capita retulit: Ea (inquit) omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe iam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nunciavit. Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſeculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares. Hunc ego Tertulliani memorabilem locum deſcripſi, ut in primis intelligamus, quod huius

ius maxime loci eſt. Quid igitur Tiberius de hac cauſa ſenſit? Id priusquam exponam, quippiam commemorabo, quod commode nunc mihi occurrit, & vulgo alioqui non eſt protritum. Plutarchus in libro περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων narrat, temporibus Tiberii mirabilem quandam vocem prope inſulam Paxon editam fuiſſe, ὁ μέγας πὰν τέθνηκεν, quæ navigantes terruerit: & Romam delata, Tiberium ipſum commoverit, atque perculerit, ut diligenter inquireret, quid illa tandem ſibi vellet. Euſebius libro quinto περὶ παρασκευ. hunc Plutarchi locum etiam notat, & vocem illam ad Chriſti cauſam pertinuiſſe interpretatur. Ego de ea nihil nunc pronuncio. Sed profecto eius rei memoria facit, ut quæcunque tandem ea vox & fama fuerit, Tiberium relatione Pontii commotum quoque fuiſſe ſuſpicer. Quid de Chriſti cauſa, omnium profecto maxima atque nobiliſſima Pontius retulerit: quid Tiberius iudicarit, quid Senatus Rom. cenſuerit, ſcriptores profani tacent: noſtri narrant. Tertullianus in Apolog. capite 5. Vetus (inquit) „erat decretum, ne quis deus ab Imperatore con„ſecraretur, niſi a Senatu probaretur: ut M. Æmi„lius de deo ſuo Alburno. Idem cap. 12. Status „dei cuiusque in Senatus æſtimatione pendebat. Cuius temporis fuerit hoc decretum, neſcio. Sed Romulus certe iam inde ab initio legem tulerat, ne Romani deos peregrinos colerent. Cicero autem in ſuis legibus hanc exceptionem addit: Niſi publi„ce aſcitos. Sed quod ſequitur, videamus. Addit „Tertullianus: Tiberius ergo, cuius tempore no-

„men Chriſtianum in ſeculum introivit, annuncia-
„tum ſibi ex Syria Palæſtinæ, quæ illic veritatem
„ipſius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum,
„cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia
„non ipſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſenten
„tia manſit, comminatus periculum accuſato
ribus Chriſtianorum. Hunc Tertulliani locum
Euſebius libro ſecundo laudat, & in Græcam lin-
guam converſum ſuæ quoque hiſtoriæ aſſuit:
& vero rem eandem pluribus verbis exponit.
Quem quidem rurſus Euſebii locum Oroſius, etſi
Euſebium auctorem non laudat, tranſcripſiſſe vi-
detur, & ex Græca lingua in Latinam convertiſ-
„ſe. Sic autem ſcribit libro ſeptimo: Poſtquam
„paſſus eſt Dominus CHRISTVS, atque a
„mortuis reſurrexit, & diſcipulos ſuos ad prædi-
„candum dimiſit, Pilatus Præſes Palæſtinæ pro-
„vinciæ, ad Tiberium Imp. atque ad Senatum re-
„tulit de paſſione & reſurrectione Chriſti, conſe-
„quentibusque virtutibus, quæ vel per ipſum pa-
„lam factæ fuerant, vel per diſcipulos ipſius in no-
„mine ipſius fiebant, & de eo quod certatim cre-
„ſcente plurimorum fide, Deus crederetur. Ti-
„berius cum ſuffragio magni favoris retulit ad
„Senatum, ut Chriſtus Deus haberetur. Se-
„natus indignatione motus, cur non ſibi prius, ſe-
„cundum morem, delatum eſſet, ut de ſuſcipien-
„do cultu prius ipſe decerneret, conſecrationem
„Chriſti recuſavit: edictoque conſtituit, extermi-
„nandos eſſe urbe Chriſtianos: præcipue cum & Se-
„janus præfectus Tiberii, ſuſcipiendæ religioni ob-
„ſtinatiſſimæ contradiceret. Tiberius tamen edi-
cto

ſto accuſatoribus Chriſtianorum mortem com-“ minatus eſt. Hæc Oroſius, ex Euſebio. Quanquam Euſebius non meminerit aut Seiani, aut alicuius Senatusconſulti de exterminandis Chriſtianis: neque profecto veriſimile eſt, id Senatum tunc decreviſſe. Satis ſuperque fuit, orationem Tiberii non confirmaſſe. Marcus Antonius, cum ſuam de Chriſtianorum impunitate legem, quam poſtea ſuo loco referam, ederet, nominatim adiecit: velle ſe, Senatusconſulto etiam confirmari. Sic enim ſolebant cum orationibus Principum coniungi Senatusconſulta: & propterea in libris Iuris Civilis ſæpe idem decretum, modo Principis oratio, modo Senatusconſultum appellatur. Cæterum in hac cauſa Tiberius id non impetravit. Mirum vero, ſi Seianus ei ſit refragatus, & Senatui potius ſit aſſenſus: ille (inquam) Seianus, qui Tiberio tam valde aſſentabatur, & Senatum contemnebat: quanquam qui Iudæos vexavit, ut indicat Philo in Flaccum, facile potuerit eadem ratione hic inſanire. Verum, quisquis tandem fuerit, qui Senatum, ut in hac cauſa Tiberii reclamaret, impulerit: tanto laudandus magis Tiberius eſt, qui in ſententia permanſerit, & accuſatoribus Chriſtianorum repreſſis, Chriſtiano eſſe cuique impune licere voluit. Addit Oroſius, eum Iudæos urbe ſummoviſſe, eorumque iuventutem per ſpeciem ſacramenti in provincias gravioris cœli relegaſſe. Cor. Tacitus libro ſecundo illud antea prodiderat. Loquens enim de temporibus Tiberii: Actum (inquit) eſt & de ſacris Ægyptiis Iudaicisque pellendis, factumque patrum con-“

„ſultum, ut quatuor millia libertini generis ea ſu„perſtitione infecta, quîs idonea ætas, in inſulam „Sardiniam veherentur, coercendis illis latrociniis: „& ſi ob gravitatem cœli interiiſſent, vile damnum: „cæteri cederent Italia, niſi certum ante diem profa„nos ritus exuiſſent. Hæc ille. Atqui Tiberius Iudæis Hieroſolymitanis tamen, & eorum ſacris faviſſe dicitur: neque per Pilati clypeos ea pollui paſſus eſt, ut & Philo *περὶ πρεσβ.* eleganter oſtendit. Dicerem, Iudæis urbe pulſis, Chriſtianis tanto propterea magis Romam tunc patuiſſe. Sed non uno ſtatim edicto exterminari Iudæi potuere. An comminationem Tiberii reformidarint hoſtes & accuſatores religionis Chriſtianæ, obſcurum eſt: quia tunc Chriſtiani nondum Romæ eſſent, de quorum accuſatione quæreretur. Sed de Chriſto quæ fuerit ſententia Senatus, cum audiamus: quid de Chriſtianis tunc iudicaſſet, dubitare profecto non debemus. Sane etſi Oroſius ſcribat, edicto comminatum eſſe Tiberium mortem accuſatoribus Chriſtianorum: tamen neque Tertullianus, neque Euſebius edicti ullius meminit, ſed ſolius comminationis. Longe autem alia erat vis edicti alicuius perpetui, alia temporariæ cuiusdam & ſimplicis comminationis. Tiberio ſucceſſit Caius Caligula. Hic quantopere Iudæos vexarit, ex Ioſepho & Philone *περὶ πρεσβ.* intelligi poteſt. De Chriſtianis nihil ſciviſſe videtur. Quam miſere tunc vexati ſint Iudæi abs quodam Flacco iuridico, ſive præſide Alexandrino, idem Philo, in eo quem de hoc Flacco ſcripſit libro, fuſe exponit. Et vero

iam tempus erat, ut Iudæorum Reſp. libertasque labefactaretur. Claudius Caium ſecutus eſt: tuncque primum Chriſtianos Romæ eſſe cœpiſſe, narrat Oroſius; dubitat tamen num, quod Suetonius ſcribit, Claudium Iudæos impulſore Chriſto tumultuantes Roma expuliſſe, ad Chriſtianos quoque pertinuerit, velut cognatæ religionis homines. Certe Lucas ſecundo libro hiſtoriæ Apoſtolicæ ſcribit, Aquilam Ponticum edicto Claudii, Iudæis urbe interdicentis, Italia pulſum eſſe: cum tamen relicta ſuperſtitione Iudaica, iam Chriſto nomen dediſſet. Nero Claudio ſucceſſit: quo imperante, primum de Chriſtianis Romæ publica veluti quæſtio inſtituta videtur. Suetonius ſimpliciter ait, tunc eos afflictos fuiſſe. Sed Cor. Tacitus diligentius rem totam narrat. Prius autem, hoc eſt, lib. 13. ſcribit, Pomponiam Græcinam, inſignem fœminam, Plantio Britannico nuptam, ſuperſtitionis externæ ream fuiſſe: ſed mariti iudicio permiſſam eſſe, qui priſco inſtituto coram cognatis de capite & fama coniugis cognoverit, & inſontem pronunciavit: fortaſſe erat hæc matrona religionis Chriſtianæ rea. Quæ enim tandem alia tunc Romæ religio fuit, quæ quidem in iudicium capitis vocaretur? Certe paulo poſt non obſcurum in Chriſtianos odium erupit, tale tantumque, ut nulla magis in re ſeſe Neronis ſævitia incredibilis effuderit. Verum tunc non tam religionis, quam confitebantur, cauſa, quam incendii falſo crimine vexati illi ſunt. Quod & Cor. Tacitus fatetur, qui eam hiſtoriam pluribus verbis expoſuit libro

ſuorum Annalium decimo quinto. Sed & Tertullianus in Apolog. Conſulite (inquit) com-
„mentarios veſtros. Illic reperietis, primum Ne-
„ronem in hanc ſectam, tum maxime Romæ
„orientem, Cæſariano gladio ferociſſe. Sed tali
„dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur.
„Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi
„aliquid bonum grande a Nerone damnatum eſſe.
Hunc quoque Tertulliani locum Euſebius hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ aſcripſit. Oroſius addit, Neronem iuſſiſſe, ut in provinciis, ſicuti Romæ, Chriſtiani excruciarentur. Et Sulpitius Severus, Oroſio antiquior, narrat, tunc datis legibus vetitam fuiſſe religionem: palamque edictis propoſitis, Chriſtiano eſſe non licuiſſe. Sed huius edicti Neroniani non meminerunt alii ſcriptores. Veſpaſianus & Titus in debellandis Iudæis Hieroſolymitanis occupati fuerunt: Chriſtianorum eccleſiam, quæ relictis Hieroſolymis, Pellam commigraverunt, diſſipaverunt. Imo vero ne ipſis quidem Iudæis Alexandrinis & Antiochenſibus ius civitatis detrahi voluerunt, ut teſtis eſt Ioſephus lib. 12. Antiq. cap. 3. Sulpitius Severus narrat, Titum, cum templum dirueret, Chriſtianos non minus quam Iudæos exterminare voluiſſe. Ego id affirmare non auſim. Verum ſucceſſit Domitianus, qui Chriſtianos publico iudicio τῆς ἀθεότητος (ut Dio loquitur) tandem vexavit. Nero aliud quoddam crimen confinxerat abs religione alienum. Domitianus agit apertius. Chriſtianos enim non alio nomine quam quod Chriſtiani ſint, in ius,

capi-

capitisque iudicium vocat. Flavium Clementem, virum conſularem, collegam ſuum, ſuum & propinquum & affinem, propter confeſſionem religionis Chriſtianæ, capitis condemnat. Flaviam Domicillam relegat in inſulam Pontiam. Teſtis eſt Euſebius, Hieronymus, & epitome Dionis. Quanquam non ſolum religionis odio, ſed & rerum novarum metu commotus fuiſſe; & humiles alioqui abiectosque Chriſtianos, in quibus nullam earum ſuſpicionem hærere putabat, contempſiſſe, vitamque iis conceſſiſſe videatur, ut Euſebius ſignificat. Nondum itaque perpetuum aliquod edictum in Chriſtianos editum legimus. Oroſius ait, eum datis ubique crudeliſſimæ perſecutionis edictis, auſum convellere Chriſti eccleſiam. Sed Oroſium video temere multa interdum affirmare, quibus ego facile ſubſcribere non auſim. Neque quod tyrannus aliquis facit, publicam ſtatim legem eſſe iubet: & Magiſtratus in iudicando non exempla, ſed leges ſequi iubentur. Melito Sardenſis in ſua ad Lucium Verum Imp. apologia, Domitianum cum Nerone coniungit, & hos numerat duos Chriſti anæ religionis hoſtes principes. Tertullianus in Apolog. Domitianum minus accuſare videtur. Nam poſteaquam de Nerone dixit, ait, Domitianum fuiſſe quidem portionem Neronianæ crudelitatis, ſed tentaſſe magis quam feciſſe: & facile, quod cœperat, repreſſiſſe, iis etiam quos relegaverat reſtitutis. Hanc reſtitutionem ſucceſſori Nervæ aſcribit epitome Dionis, cum quidem & alia Domitiani acta Senatus reſcidiſſet. Verum, ut Plinius ait, Pantomimos, quos ſuſtulerat Domitianus, reſtitui de-

debuiſſe, & nihilominus tolli reſtitutos: ſic & de Chriſtianis tunc Romani iudicaſſe videntur. Quid igitur? Quale tandem eſt Romanis legibus iudicium de iis conſtitutum? Hactenus enim nihil niſi vim quandam, & ſævitiam barbaram atque confuſam, ſine ulla iuris iudiciorumve ſpecie, ſine ullo ordine iudiciariæ quæſtionis legimus. Quid Traianus? qui Remp. abs Domitiano perturbatam, in integrum reſtituere voluit. Oroſius ait, præcepiſſe, ut Chriſtani, qui ſacrificare nollent, interficerentur: ſed edictum temperaſſe, cum Plinii, qui inter cæteros iudices perſecutor datus fuerat, relationem audiiſſet. Hæc Oroſii deſcriptio, veris falſa involvit. Fuiſſe aliquod Traiani de interficiendis Chriſtianis certum edictum ante Plinii relationem non exiſtimo. Si quod enim fuiſſet, Plinius non dubitaſſet: aut Traianum certe conſulendo, eius edicti mentionem feciſſet. Neque Plinius iudex datus eſt, ut Chriſtianos perſequeretur. Miſſus erat proconſulari poteſtate & imperio in Bithyniam & Pontum, ad ordinandum earum provinciarum ſtatum: ipſeque Traianus in ſua ad eum epiſtola teſtatur, miſſum fuiſſe, ut rationes publicas in primis excuteret. Caſu quodam accidit, ut in Chriſtianorum cognitionem incurrerit, quibus tum provinciæ illæ redundabant. Lucas in Bithyniam Paulum apoſtolum ire voluiſſe ſignificat: non iviſſe tamen. Sed vicina erat Galatia, ubi eccleſia Chriſtiana ita coaluerat, ut in Bithyniam atque Pontum colonias ſuas facile deduxerit. Quid de iis cognoverit Plinius, cum in rem præſentem

ve-

veniſſet, Traiano ſcripſit: quid de iis iudicarit, narrat: quid in poſterum & in univerſum ſtatuere debeat, petit. Tandem Traianus, quid opus eſſe facto putet, reſcribit: ut non ſolum in cauſa Ponticorum aut Bithynorum Chriſtianorum id ſequatur Plinius, ſed & alii præſides in ſuis provinciis obſervent. Atque hoc quidem primum reſcripto lex Romana de Chriſtianis certaque conſtitutio aliqua edita fuiſſe videtur. Quid in mentem Functio venerit, ut ex Hiſpania Plinium de his retuliſſe ſcribat, neſcio. An quia Hiſpanus fuit Traianus, Orientem cum Occidente permiſcebimus? An tunc Hiſpaniam, non minus quam Aſiam, Chriſtianis refertam fuiſſe credemus? Sed hiſtoriam perſequamur. Plinius in Aſiam appellens, Epheſum metropolim primum intravit: ſicuti ad Traianum ſcribit; & in Pandectis cap. 4. De off. proc. Vlpianus affirmat, præſides aut Proconſules in Aſiam miſſos debuiſſe Epheſum appellere. Maxima tunc erat Epheſi eccleſia Chriſtianorum, ſicuti etiam Smyrnæ: & recens erat memoria Ioannis apoſtoli, qui iis in locis cœtus ſuos collegerat. Sed Plinius in aliena provincia de Chriſtianis non cognoſcit. Cum in ſuam venit, hanc certe quæſtionem minime neglexit; neque Remp. ea neglecta, recte conſtituere ſe poſſe putavit. Ulpianus in Pandectis ait, ſtatim atque in aliquam celebrem civitatem vel provinciæ caput Proconſul venit, debere ædes ſacras circuire atque inſpicere. Id Plinium feciſſe conſtat. Abs Chriſtianis eas deſertas eſſe videt; cœtus tamen eorum

rum frequentes eſſe, ſed tranquillos, & modeſtos, & innoxios. Quid faceret? Neronem aut Domitianum imitari non ſolebat: rem totam negligere non audebat. Legerat Livium diligenter, teſtem moris antiqui. Livius duo publicarum animadverſionum exempla illuſtria narrat: alterum libro 25. libro 39. alterum. Hæc fortaſſe Plinio in hac deliberatione occurrebant, ſed diſſimilem hanc eſſe cauſam videbat. Quid multis? Totam hanc rogationem ab ipſis auctoribus perſcriptam audiamus. Incredibile eſt enim, quantum hæc Plinii conſultatio, Traianique reſponſio conferat ad illuſtrandam eorum temporum hiſtoriam Eccleſiaſticam: cuius alioqui obſcura tenuisque memoria (nam fabulas quæ circumferuntur, nihil moror) ſupereſt in tanta veteris Eccleſiæ, quæ Apoſtolos ſtatim conſecuta eſt, prope oblivione, & antiquorum eius monumentorum amiſſione. Hæc Plinii relatio ſcripta eſt annis ad ſummum 40. poſt Pauli apoſtoli mortem: diligenterque eſt cum ipſo Traiani reſcripto ab ipſis etiam Chriſtianis olim conſervata, & vero ſæpe adverſariorum de Chriſtianis turpiſſime multa confingentium calumniis oppoſita. Tertullianus in Apolog. Invenimus (in„quit) inquiſitionem quoque in nos prohibitam. „Plinius enim Secundus, cum provinciam rege„ret, damnatis quibusdam Chriſtianis, qui„busdam gradu pulſis, ipſa tamen multitudine „perturbatus, quid de cætero ageret, conſuluit „tunc Traianum Imp. allegans, præter obſtinatio„nem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacris eorum

com-

comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto & Deo, & ad confœderandam diſcipluam homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera prohibentes. Tunc Traianus reſcripſit, hoc genus quidem inquirendos non eſſe: oblatos vero, puniri oportere. Hunc Tertulliani locum, qui etiam veluti argumentum continet eorum de quibus nunc agendum eſt, Euſebius libro tertio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ eandem hiſtoriam commemorans, laudat.

PLINIUS TRAIANO.

SOlenne eſt mihi, Domine, omina, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim poteſt melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam inſtruere. Cognitionibus de Chriſtianis interſui *a*) nunquam: ideo neſcio, quid & quatenus aut puniri ſoleat, aut quæri. *b*) Nec mediocriter hæſitavi, ſit ne aliquod diſcrimen, ætatum, an quamlibet teneri nihil a robuſtioribus differant: *c*) deturne pœnitentiæ venia, & an ei qui omnino Chriſtianus fuit, deſiſſe non proſit. *d*) Nomen ipſum, etiamſi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in iis qui ad me tanquam Chriſtiani deferebantur, hunc ſum ſecutus modum. Interrogavi ipſos, an eſſent Chriſtiani: *e*) confitentes, iterum ac tertio interrogavi, ſupplicium minatus: *f*) perſeverantes,

duci

duci iuſſi. *g*) Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet quod faterentur, pervicaciam certe, & inflexibilem obſtinationem debere puniri. *h*) Fuerunt alii ſimilis amentiæ: *i*) quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos. Mox ipſo tractatu, ut fieri ſolet, diffundente ſe crimine, plures ſpecies inciderunt. *k*) Propoſitus eſt libellus ſine auctore, multorum nomina continens, qui negant ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe: cum præeunte me deos appellarent, *l*) et imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulacris numinum adferri, thure ac vino ſupplicarent, *m*) præterea maledicerent Chriſto *n*) (quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt revera Chriſtiani) dimittendos putavi. *o*) Alii ab indice nominati ſe eſſe Chriſtianos dixerunt, & mox negaverunt: fuiſſe quidem, ſed deſiiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, *p*) non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam, deorumque ſimulacra venerati ſunt: ii & Chriſto maledixerunt. *q*) Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti *r*) ſtato die *s*) ante lucem convenire *t*) carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem: *u*) ſe-

que

que ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent, quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe: *x*) rurſusque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium. Quod ipſum facere deſiſſe poſt edictum meum, *y*) quo ſecundum mandata tua & hetærias eſſe vetueram. Quo magis neceſſarium credidi, *z*) ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri, & per tormenta quærere. Sed *aa*) nihil aliud inveni, quam ſuperſtitionem pravam & immodicam: ideoque dilata cognitione, ad conſulendum te decucurri. Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione: maxime *bb*) propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque ſexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, ſed vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio pervagata eſt: quæ videtur ſiſti & corrigi poſſe. Certe ſatis *cc*) conſtat, prope iam deſolata templa cepiſſe celebrari, & ſacra ſolennia diu intermiſſa repeti, paſſimque vænire victimas, quarum adhuc rariſſimus emtor inveniebatur: ex quo facile eſt opinari,

quæ turba hominum emendari poſſit, ſit ſit pœnitentiæ locus.

TRAIANVS PLINIO.

a) Actum, quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es. Neque enim in univerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat, conſtitui poteſt. *b*) Conquirendi non ſunt. Si deferantur, & arguantur, puniendi ſunt: *c*) ita tamen, ut qui negaverit ſe Chriſtianum eſſe, idque re ipſa manifeſtum fecerit, id eſt, ſupplicando diis noſtris, quamvis ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. *d*) Sine auctore vero propoſiti libelli, nullo crimine, locum habere debent: nam & peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt.

a) *Cognitionibus de Chriſtianis interfui nunquam.*) Legerat Plinius Annales Cor. Taciti, familiaris ſui. In iis legerat, quid tempore Neronis iudicatum de Chriſtianis fuiſſet, & quam inhumaniter in eos ſævitum. Sed & tempore Domitiani, quo etiam Prætor ipſe fuit, tales potuit multos Romæ reos videre. Verum ut Seneca ſeceſſiſſe dicitur, cum Nero in Chriſtianos ſæviret: ſic Plinius Domitiani ſævitiam oderat. Et vero cur tunc forum & tribunal fugeret, magna cauſa fuit. Ignatius (ut narrat Hieronymus) & Simeon (ut ſcribit Euſebius) duo veluti duces Chriſtianorum, ille Antiochia, hic Hieroſolymis Romam pertra-

ctus,

ctus, propter religionis confeſſionem, capitis pœnas dederunt. Sed ex iudicum numero non erat Plinius. Cognitiones hic vocat, capitales quæſtiones. Hæ ſic erant meri imperii, ut cum iurisdictione Prætoris nihil haberent commune. Sed cum merum imperium, quod quis ex lege acceperat, mandare alteri non poſſet, recte appellatur cognitio: ſicuti & cum Prætor de aliqua cauſa civili ipſe iudicabat. Ut autem extraordinariæ Prætoris cognitiones multæ de re pecuniaria erant, ſicuti ex Pandectis intelligi poteſt: ſic & erant capitales quædam quæſtiones cognitionis extraordinariæ, ut & crimen extraordinarium abs Iureconſultis appellatur. Eius generis videtur Romæ fuiſſe crimen religionis Chriſtianæ. Nam neque de eo certa quædam & publica lex lata erat.

b) *Nec mediocriter hæſitavi, ſitne aliquod diſcrimen ætatum.* Huic dubitationi non reſpondet Traianus. Quærebat autem hoc Plinius: quia, ut paulo poſt ait, omnis ordinis, omnis ætatis, utriusque ſexus multi vocabantur in periculum. Sed profecto Romani Iuriſconſulti magnum huius generis diſcrimen in pœnis irrogandis eſſe, ſæpe monuerunt. Ac ut de ætate nunc tantum loquamur, de qua quæritur: primum definiunt, quæ ſit delicti (ut loquuntur) capax. Deinde, etſi talis ſit, ſi tamen adhuc eſt minor annis XXV, aiunt eius miſeratione flecti iudicem poſſe ad mitiorem pœnam. Non dubito hæc placuiſſe Traiano. Sed minime tamen placuerunt multis poſtea præſidib. in cauſa Chriſtianor. In epiſtola eccleſiæ Lugd. legimus, quendam puerum

(c) 2 Pon-

Ponticum vix annos quindecim natum, cum matre Blandina, propter confeſſionem religionis Chriſtianæ, crudeliſſimas pœnas Lugduni dediſſe. Factum id fuit tempore Antoninorum. Sane & Arnobius & Lactantius, in pueros & mulierculas ſævitum quoque fuiſſe hoc nomine, ſcribunt.

c) *Deturne pœnitentiæ venia.*) Dari, reſcribit Traianus. Sed Plinius id ſtatuere ipſe non audebat. Nam principis eſt, non alicuius præſidis aut iudicis, pœnam condonare, aut veniam dare. Itaque & Cicero pœnæ deprecationem non in iudicio, ſed in Senatu locum habere poſſe, ait. Erant quidem iam tempore Plinii, ut noſtrorum Iuriſconſultorum, arbitrariæ pœnæ. Sed impunitas reorum vel confitentium, vel convictorum, non erat arbitrii Proconſularis.

d) *Nomen ipſum etiamſi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur.*) Cum Traianus ſimpliciter reſcribit, Chriſtianos eſſe puniendos: neque aliam cauſam pœnæ requirit: ſatis ſignificat, nomen ipſum puniri. Et Tertullianus in Apolog. oſtendit nihil fuiſſe, quod in Chriſtianis puniretur, præter nomen. Tantum huius nominis odium fuiſſe: cum tamen ne eius quidem verbi ſignificatio, ut ab adverſariis proferebatur, quicquam præ ſe ferret, quod non eſſet amabile. Eadem eſt Iuſtini querimonia in Apolog. Et vero cum damnabantur Chriſtiani, hoc ſolo plerumque nomine damnabantur. Tertullianus ait tabellam damnationis tantum continuiſſe, reum eſſe Chriſtianum. Eadem tabella, cum ad ſupplicii locum ventum erat, præferebatur. Vt cum in

amphi-

amphitheatro Lugdunenſi olim Attalus, iam damnatus circumduceretur, prælatam fuiſſe tabulam, in qua ſcriptum erat, HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS, narrat vetus Eccleſiæ Lugd. epiſtola. Cumq; iisdem temporibus in Aſia Polycarpus ad ſupplicium duceretur, iuſſu præſidis præconem ter vociferatum eſſe, POLYCARPVS CHRISTIANVM ESSE SE CONFESSVS EST, teſtatur epiſtola veteris eccleſiæ Smyrnenſis. Erat autem hoc moris antiqui, ut cum de damnatis ſupplicium ſumeretur, cauſa damnationis populo publice exponeretur per tabellam, vel vocem præconis.

c) *Confitentes, iterum ac tertio interrogavi, ſupplicium minatus.*) Vbi reorum confeſſio omnem facti quæſtionem tollit, nullaque eius defenſio eſt, quæ iuris quæſtionem moveat, nihil upereſt quam ut iudex confeſſos damnet. Sed non ſtatim confeſſio omnem tollit facti quæſtionem. Cato apud Saluſtium, de Catilinariis loquens, ait: De confesſis, ſicut de manifeſtis rerum capitalium, ſupplicium ſumendum eſſe. Sed loquitur de confesſis ſimul, & convictis. Livius de antiſtitibus Bacchanalium agens: Adducti (inquit) ad Conſulem, faſſique de ſe, nullam moram iudicio fecerunt. Sed confitebantur, quod iam erat etiam compertum. Sane Ulpianus cap. 1. De quæſt. ait Severum Imp. reſcripſiſſe, confeſſiones reorum pro exploratis criminibus haberi non oportere, ſi nulla probatio religionem iudicantis inſtruat. Idem: Si quis (inquit) ultro de maleficio confiteatur, non ſemper ei fides habenda eſt. Nonnun-

quam aut metu, aut alia cauſa in ſe confitentur. Sed & Tertullianus in Apolog. cum dixiſſet leges præſcribere, ut confeſſi damnentur: tamen addit, non eſſe ſola confeſſione contentos iudices, ſed & conſequentia exigere, qualitatem facti, numerum, locum, modum, tempus, &c. Verum cur confeſſos toties interrogaret Plinius, illa etiam cauſa fuiſſe videtur, quod paulo poſt narrat, quoſdam, qui ſe Chriſtianos erant confeſſi, mox negaſſe: & illis vellet integrum eſſe inficiari, ac ſupplicii etiam minis ad inficiationem revocaret: non ſolum quod abſolvere fortaſſis negantes, quam damnare confeſſos mallet: ſed etiam, quod tum demum victi viderentur, cum propter inficiationem liberabantur. Itaque & præſides multis poſt annis hoc in primis egerunt, ut tormentis adhibitis potius confeſſos adigerent ad inficiationem, quam inficiantes ad confeſſionem: tametſi adverſus omnem & legum rationem, & iudiciorum ordinem id fieret. Iuſtinus in Apolog. Tertullianus in Apolog. Cyprianus contra Demetrium, Arnobius libro 8. Lactantius libro 5. (ut ducentis prope annis poſt Plinium hoc feciſſe iudices intelligamus) hac de re conqueruntur. Idem Tertullianus ad Scapulam, Carthaginenſem præſidem: Quid amplius (inquit) tibi „mandatur, quam nocentes confeſſos damnare, „negantes autem ad tormenta revocare? Videtis „ergo, quomodo ipſi vos contra mandata faciatis, „ut confeſſos negare cogatis. Adeo confitemini „innocentes nos eſſe, quos damnare ſtatim ex con„feſſione non vultis. Sed & Lactantius (ut in pro-

vincia

vincia Plinii nunc conſiſtamus) narrat ſe vidiſſe in Bithynia præſidem gaudio mirabiliter elatum, tanquam barbarorum aliquam gentem ſubegiſſet, quod unus Chriſtianus, qui per biennium magna virtute reſtiterat, poſtremo cedere viſus eſſet. Si quis non exiſtimat Plinium Bithyniæ proconſulem tam vanum & ineptum fuiſſe, exiſtimet a ſanguine abhorruiſſe Chriſtianorum. Sane & ille proconſul Aſiæ, qui Polycarpum interrogabat, interrogando ſuadebat, ut negaret ſe Chriſtianum eſſe: ut & cum olim non niſi confeſſi parricidæ damnarentur, Auguſtus quem abſolvere cupiebat, ſic interrogaſſe dicitur, ut ad inficiationem potius quam ad confeſſionem eum invitaret, Nunquid patrem tuum occidiſti? Tales etiam olim quidam fuerunt iudices in cauſa Chriſtianorum. Tertullianus ad Scap. ſcribit, præſides multa in ea ſæpe diſſimulaſſe: & Cincium Severum etiam dediſſe remedium, quomodo reſponderent Chriſtiani, ut dimitti poſſent; & alium quendam inter advocatos & aſſeſſores eſſe profeſſum, dolere ſe in talem cauſam incidiſſe. Sane quod Traianus reſcripſit cap. 1. de Quæſt. neminem de ſuſpicionibus damnari debere, credo in his cauſis Plinium ſecutum eſſe.

f) *Perſeverantes duci iuſſi.*) Sic Tertullianus ad Scap. Chriſtianos nonnullos, qui ſe ad tribunal cuiusdam Arrii Antonini proconſulis Aſiæ obtulerant, duci iuſſos ait. Iuriſconſultorum eſt hoc verbum, cum vel in ius, vel in carcerem, vel ad ſupplicium aliquem abripi ſignificant. De eo qui in ius vocatur, ſi ultro non ſequatur, ducendo, vel tra-

hendo, multa ſunt in Pandectis. Sed hæc ſignificatio huic loco non convenit. Conveniret illa magis, ut in carcerem ductos intelligamus: ſicuti & Iurisconſulti reſpondent, reos confeſſos in vincula publica coniiciendos eſſe, donec de iis pronuncietur. Cum Cicero de Verre ait, Quisquis ductus erat Senator, duci iubebat: creditur utramque huius verbi ſignificationem complexus. Sed tertia fortaſſe huic loco magis quadrabit, ut ad ſupplicium duci iuſſos, perſeverantes Chriſtianos, intelligamus: ſicuti Suetonius de Caligula loquitur: Stans intra porticum a calvo ad Calvum duci iubebat. Non diſſimilis apud Græcos eſt ſignificatio verbi ἀπάγεσθαι: & in Sacris quoque literis extat, Act. 12.

g) *Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet quod faterentur, pervicaciam certe & inflexibilem obſtinationem debere puniri.*) Mira vero profani hominis, & cauſam, de qua pronunciat, non intelligentis, confidentia de religione, hoc eſt, de re maxima quærebatur. Cauſa capitis agebatur. Audit, reos quidem factum fateri: ſed conſtanter defendere, ſe iure facere, atque adeo pie & religioſe. Quid illud tandem ſit, neque intelligit, neque inquirit: & tamen non dubitat damnare. Certe religionem non abiicere, improbæ obſtinationis non eſt, ſed optimæ conſtantiæ. Et vero nihil magis multitudinem attonitam olim ad religionis huius admirationem invitabat, quam Chriſtianorum religioſa obſtinatio. Illa ipſa obſtinatio (inquit Tertullianus) quam exprobratis, magiſtra eſt. Neque tamen ſolus Bithyniæ proconſul Plinius eam expro-

probravit: multis poſt eum annis in eadem Bithynia impius philoſophaſter declamitavit in pertinacem obſtinationem Chriſtianorum, ut Lactantius lib. 5. cap. 2. narrat. Tertullianus in Apolog. cap. 2. ſcribit, Plinium in Chriſtianis accuſaſſe obſtinationem non ſacrificandi. Item cap. 27. ait, eos obſtinationem talem præferre ſuæ vitæ, & pro fidei obſtinatione damnari. Sed & adverſarios, eorum fidem appellare præſumptionem. Poſteriores illi tyranni Galerius & Maximinus, aliter quam hic Plinius iudicet, iudicarunt, cum inflexibilis Chriſtianorum obſtinatio eſſet, & nullas pœnas reformidaret, pœnas, quibus nihil proficeretur, eſſe remittendas: **ὁπότε τῇ τοσούτον χρόνου συνελούσῃ συνέςη αὐτοὺς μηδενὶ τρόπῳ πεπεῖσθαι δεδυνῆσθαι, ὅπως ἀπὸ τῶν τοιούτων ἐνςάσεων ἀναχωρίσαιεν**, ut illorum tyrannorum nomine reſcripſit Sabinus præfectus prætorio Orientis.

h) *Fuerunt alii ſimilis amentiæ.*) Chriſtianos olim dictos fuiſſe furioſos, inſanos, ſtultos, fatuos, dementes, intelligi facile poteſt ex Iuſtino, Tertulliano, Arnobio, Lactantio, Euſebio. Tertulliani unum ex multis locum aſcribam ex Apolog. cap. 27. "Quidam (inquit) dementiam exiſtimant, quod cum "poſſimus & ſacrificare in præſenti, & illæſi abi-"re, manente apud animum propoſito, obſtinatio-"nem ſaluti præferamus.

i) *Quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos.*) Hoc quoque verbum Adnotandi plane eſt Iuriſconſultorum. Adnotare dicitur iudex, cum aliquid decernit, quod ſcribi & in acta

referri iubet. Iuriſconſulti ſolent dicere, abſentes reos adnotari requirendos; titulo Pand. de requirendis reis. Hic vero Plinius ediverſo, præſentes adnotat, alio remittendos. * Remittebat autem cum elogio & notariis, ut tunc etiam loquebantur Iuriſconſulti. Quod ad ius civium Rom. attinet, quo & Paulus apoſtolus uſus eſt, duæ veteres fuerunt leges, Porcia & Sempronia. Illa cavebat, ne quis civem Rom virgis cæderet, necaretve: ſed damnato exilium permitteret. Sempronia vero, ne de capite civium Rom. iniuſſu populi iudicaretur. Itaque Cicero Verr. 7. ait hanc vocem, CIVIS RO. SVM, multis ſæpe in ultimis terris opem, etiam inter barbaros, & ſalutem attuliſſe. Etſi autem tempore Traiani iam valde imminuta eſſent vetera civium Rom. iura: tamen ea Plinius plane ſublata eſſe non putavit.

k) *Propoſitus eſt libellus ſine auctore.*) Tales libellos non eſſe recipiendos, reſcribit Traianus.

l) *Et imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulacris Numinum adferri, thure & vino ſupplicarent.*) Traianus reſcribit, negantibus ſe eſſe Chriſtianos, ita demum veniam dari debere, ſi re ipſa manifeſtum id faciant, ſupplicando diis. Nunc nimia eſt Plinii aſſentatio, qui Traianum inter deos refert, quem tamen in Paneg. laudat, quod delubra ingrederetur, non ut adoraretur, quemadmodum Domitianus fecerat, ſed ut adoraret: quodque ſtatuas deprecaretur, & unam tantum aut alteram, eamque æream, in veſtibulo templi Capitolini ſtare voluiſſet.

m) *Præterea maledicerent Chriſto.*) Hic impietatis

tatis cumulus eſt: quem & paulo poſt cum idololatria rurſus coniungit. Sic & poſtea proconſul Aſiæ Polycarpum captum eo adigere conatus eſt: ſed cum reo forti & conſtanti ſibi rem eſſe ſenſit. Extat fragmentum vetus cuiusdam epiſtolæ Smyrnenſis eccleſiæ, de hoc certamine; narrat, proconſulem Polycarpo imperaſſe: λοιδόρησον τὸν Χριστόν, Conviciare Chriſto. Polycarpum vero reſpondiſſe: ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ, καὶ οὐδέν με ἠδίκησε. πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα τὸν σώσαντά με: hoc eſt, Octoginta ſex annos iam illi ſervio, neque me ulla unquam in re læſit; quî fieri poſſet, ut huic regi meo & ſervatori maledicam?

n) *Quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt revera Chriſtiani.*) Non debebat dubitare Plinius, nihil abs religione Chriſtianorum magis alienum eſſe, quam idololatriam cum tali blasphemia coniunctam: neque tam multa requirere impietatis argumenta, ut aliquem non eſſe revera Chriſtianum crederet. Sola & ſimplici inficiatione contentus eſſe debuerat. Sed bene habet, quod interea confiteatur, revera Chriſtianos non fuiſſe, illos idololatras, atque blasphemos. Quale iudicium fuerit veteris Eccleſiæ de lapſis, aut ſacrificatis (ut tunc loquebantur) ex Tertulliano & Cypriano facile intelligi poteſt.

o) *Alii ab indice nominati.*) Aſconius ait, indicem eſſe, qui facinoris, cuius eſt conſcius, latebras indicat impunitate propoſita. Multum quidem ab accuſatore differebat. Sed ab indice delatus, ſi convinceretur, non minus quam ſi ab accuſatore convictus eſſet,

eſſet puniebatur; ſolamque repetundarum cauſam excipit Aſconius, quæ per indices agi non ſoleret.

p) Non nemo etiam ante viginti.) Viginti annorum præſcriptio crimen extinguit, Iure Civili, l. 12. C. ad leg. Corn. de falſ.

q) Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam.) Bene habet, perfidos illos deſertores nihil hic affingere, Chriſtianis cœtibus indignum: & profanum Proconſulem ſimpliciter & ingenue, quod accepit, commemorare. Quam non ſolum putida, ſed etiam indigna eo tempore de Iudæis, & eorum ſacris & antiquitatibus ſcribebat vel Cor. Tacitus lib. 21. Annal. vel Plutarchus in Sympoſiac. Certe verecundius de Chriſtianis tunc loquebatur Lucianus in Pereg. Cum eo nunc Plinii hanc relationem coniungo; nam & eiusdem temporis eſt. Quam fuerint paulo poſt impudentes adverſarii, ut turpiſſima quæque de Chriſtianis confingerent, poſtea dicam. Interea meminerimus ſic iam abs Plinio deſcribi ſummam religionis Chriſtianæ, ut ab homine profano, qui externam ad ſummum formam ſolam videre potuit.

r) Stato die.) Statum diem appellant Iuriſconſulti, certum & conſtitutum, ut in condictionibus eſſe ſolebat. Habebant autem veteres Chriſtiani certos, & (ut ita loquar) ſolennes, quibus præcipue convenirent, ſuos dies. Iuſtinus in Apolog. teſtatur, die Solis (ut loquitur) frequentiores fuiſſe & ordinarios eorum cœtus. Nos diem Dominicum appellamus: ſicuti & Ioannes ipſe in Apocalypſi appellat. Paulus Hebræorum more

vocat

vocat primam Sabbatorum: qua die Chriſtianos etiam conveniſſe ſignificat. Tertullianus in libro de Fuga in perſec. meminit Dominicorum ſolennium: & in Apologetico, capite 16. fatetur Chriſtianos, diem Solis, latitiæ indulſiſſe. Iuſtinus addit, cur ſtatus eſſet hic dies Chriſtianæ ſynaxeos, nempe propter memoriam Dominicæ reſurrectionis: & interea notat adverſariorum ineptias, qui cavillabantur, abs Chriſtianis adorari Solem. Nam & audierant, eos ad Orientem converſos, ſolere ſuas preces concipere. Ceterum nullum alioqui ſuperſtitioſum olim fuit dierum diſcrimen apud Chriſtianos.

ſ) *Ante lucem convenire.*) Antelucanos cœtus Chriſtianorum comperiſſe Plinium, ait Tertullianus in libro De coro. mil. Cicero antelucanas vocat cœnas Catilinariorum, qui tota nocte perpotabant. Sed Chriſtianorum & cœtus antelucani pii & cœnæ ſobriæ profecto erant. Idem Tertullianus libro 2. ad uxo. meminit eorum nocturnæ convocationis. Denique in libro de Fuga in perſec. ſignificat, ſi interdiu non poterant, noctu collectos illos fuiſſe. Sed & nocturnarum precum mentionem facit in Apolog. Sane Arnobius libro octavo teſtis eſt, ſuo adhuc tempore adverſarios Chriſtianis obieciſſe atque exprobraſſe nocturnas congregationes, & occulta atque nocturna ſacra, & in eos exclamaſſe, LATEBROSA ET LVCIFVGAX NATIO, &c. Non fugiebant certe lucem, non quærebant latebras, non amabant tenebras Chriſtiani. Sed quid facerent?

In-

Interdictum iis erat locis publicis, & ipſa prope luce ſolis, ut igni & aqua. Certe ubi licuit, in aperta & publica luce convenerunt. Tertullianus ipſis Valentinianis exprobrat ſecretos & abſconditos conventus atque initiationes; de Chriſtianis autem ita loquitur: Noſtræ columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper & apertis, & ad lucem, &c. Interea vero ubi id non licebat, noctu etiam Chriſtianos convenire iubet. Nam in libro de Fuga in perſec. ſcribens ad Fabium presbyterum: Si (inquit) colligere interdiu non potes, habes noctem, luce Chriſti luminoſi adverſus eam, &c.

t) *Carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.*) Apud Tertullianum eſt: Ad canendum Chriſto, & Deo. Apud Euſebium: τὸν Χριστὸν θεοῦ δίκην ὑμνεῖν. Tiberius ad Senatum cum prærogativa ſui ſuffragii detulerat, de Chriſto inter deos referendo. Id non placuit Senatui. Tanto itaque magis indigne ferebant præſides Rom. hunc nihilominus tanquam Deum coli: præſertim quem cruci affixum fuiſſe audiebant. Sed Chriſtiani eorum iudicia non morabantur. Fuit quidem abs multis hæreticis oppugnata Chriſti æterna divinitas. Sed Eccleſia in eius confeſſione, atque etiam defenſione perſtitit. Plinius carmen vocat, Romano more, quod conceptis verbis dicitur. Iuſtinus ſcribit, præeunte miniſtro conceptas fuiſſe publicas Chriſtianorum preces, totumque populum aſſentientem reſpondiſſe AMEN. Nullius autem cantus meminit. Et ſane carmen quoque Latine dicitur, precatio præſcriptis verbis concepta.

Sed

Sed Tertullianus carmen hic intelligit, quod canebatur. Idem in Apolog. capite 39. loquens de convivio Chriſtianorum, de quo paulo poſt agemus: Poſt aquam manualem (inquit) & lumina, ut quisque de ſcripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere. Idem lib. 2. Ad uxo. ait, Chriſtianos ſeſe mutuo provocaſſe, quis melius Deo ſuo caneret: neque ſolum in Eccleſia aut cœtu, ſed & in privatis Chriſtianorum ædibus, pſalmos concinuiſſe ait. Certe in iis, ut in Eccleſia, preces ſonuiſſe, ſcribit Cyprianus ad Mart. Sed & Clemens Alexandrinus lib. 7. *ςρωμ.* indicat moris fuiſſe, ut cum cibum ſumerent Chriſtiani, pſalmi hymnique perſonarent. In Pædag. accuſat mulieres quadam, quæ laſcivis canticis operam dabant. Interea tamen indicat, quam hoc eſſet ab Eccleſia & diſciplina Chriſtianorum alienum. Mitto, quæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narrant de cantu poſteriorum Chriſtianorum. Illud magis eſt huius loci, quod Euſebius libro quinto hiſtor. Eccleſ. citat vetuſta quædam commentariorum Chriſtianorum fragmenta, in quibus legimus multas abs Chriſtianis iam inde ab initio conpoſitas odas fuiſſe, & pſalmos decantatos, quibus Chriſti divinitas celebrabatur; verba ſunt hæc: *ψαλμοὶ δὲ ὅσοι, καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπαρχῆς ὑπὸ πιςῶν γραφεῖσαι, τὸν λόγον τοῦ θεοῦ χριςὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες:*

u) Seque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere.) Sacramentum veteres Latini appellabant æs illud, quod apud Pontificem deponebant litigatores,

ut

ut ſcribit Varro. Nam eius qui vincebatur, mulcta quædam fuit, ut hæc pecunia ſacris tuendis impenderetur. Poſtea ſic appellatum eſt iuſiurandum militare: ſicuti coniuratio appellabatur, cum uno præeunte multi, qui convenerant, iurabant. Sic Plinius videtur hoc verbo nunc uti. Tertullianus confœderationem diſciplinæ vocat: ſed iuriſiurandi non meminit; quanquam in baptiſmo Chriſtianorum fuerit ſolennis conteſtatio, & ſacroſanctæ fuerint ſtipulationes, ſponſionesque, quarum & Iuſtinus & Tertullianus meminerunt. Hi etiam ſæpe mentionem faciunt exorciſmorum, ſed eos alio referunt. Tertullianus primus videtur ſacramenti vocem, quaſi ſignificaret quod Græci myſterium vocant, retuliſſe ad cœnam Domini. Nam ſacramentum Euchariſtiæ vocat, & id in antelucanis cœtibus de præſidentium manu ſumpſiſſe Chriſtianos ait, in lib. De coro. mil. Idem in Apolog. cap. 7. Sacramentum infanticidii vocat, cuius accuſabantur Chriſtiani: quaſi ſecretum dicas, aut arcanum. Sæpe etiam hoc verbo ſimplicem religionis Chriſtianæ formulam, aut confeſſionem ſæpe vocat. Sic Chriſtianum ſacramentum appellat in libro contra Prax. Lactantius, qui eſt etiam magis Latine & pure & proprie alioqui locutus, apoſtatam quendam ita deſcribit: Qui religionis, cui fuerat aſſenſus, & fidei, cuius nomen induerat, & ſacramenti quod acceperat, proditor factus eſt: lib. 5. cap. 2. Sane Livius lib. 39. narrat, olim Romæ in Bacchanalibus, & nocturnis eorum ſacris, fuiſſe quaſdam

ex

ex carmine ſacro, præeunte verba ſacerdote, precationes, in quibus nefanda coniuratio in omne facinus ac libidinem continebatur: talique (ut etiam loquitur) ſacramento initiatos multos tunc fuiſſe. Non diſſimilia de Chriſtianis poſtea conficta fuere. Atque ut olim veteres quidam dixerunt, Catilinam, cum ad iusiurandum (ſicuti ait Saluſtius) populares ſceleris ſui addiceret, humani corporis ſanguinem vino permixtum in pateris circumtuliſſe: inde cum poſt execrationem omnes deguſtasſent, ſicuti in ſolennibus ſacris fieri conſuevit, aperuiſſe conſilium ſuum: atque eo feciſſe, quo inter ſe magis fidi forent, tanti facinoris conſcii. Sic ille apud Arnobium Cecilius Chriſtianos dictitat, cum coeunt, infantis occiſi ſanguinem lambere: hac fœderari hoſtia, hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignerari. Horribile profecto ſacramentum. Sed voluit Deus, ut paulo ante, quam talia ab adverſariis portenta confingerentur, & ederetur & extaret huius Plinii teſtimonium, ad refellendas tales calumnias. Fuit hæc aliquando Mileſiorum conſpiratio, NEMO NOSTRVM FRVGI ESTO. Chriſtianorum vero hæc olim fuiſſe videtur compromiſſio, ſanctaque confœderatio, NEMO NOSTRVM SCELERATVS AVT NEQVAM ESTO. Neque ſane fuit hæc eorum inanis pactio. Talis fuit eorum vita, qualis oratio. Tertullianus ad Scap. Depoſitum (inquit) non abnegamus: Matrimonium nullius adulteramus: Pupillos pie tractamus: Nulli malum pro malo reddimus, &c.

x) *Rurſusque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium.)* Exiſtimo hic ſignificari Chriſtianorum illud convivium, quod appellabatur ἀγάπη, & pulcherrime deſcribitur abs Tertulliano in Apolog. cap. 39. ubi etiam vocatur coitio Chriſtianorum, & cœna, quæ & diſciplina dici potuerit. Alia tamen erat cœna (ut Apoſtolus vocat) Dominica, quæ & Euchariſtia dicta fuit, & abs Iuſtino in Apologia ſecunda ſuaviſſime depingitur. Apoſtolorum tamen temporibus coniuncta fuiſſe videtur cum illo convivio. Promiſcuum Plinius fuiſſe ait. Tertullianus, inopum refocillandorum cauſa comparatum fuiſſe ſignificat: Inopes (inquit) refrigerio iſto iuvamus; & propterea etiam vocabatur ἀγάπη. Miror, cur Clemens Alexand. in Pædag. hanc appellationem convivio tribui ægre ferat. Ipſe Apoſtolus eam probat, extat enim in epiſtola Iudæ. Fortaſſe Plinius exiſtimabat quædam eſſe, ut apud Romanos erant & dicebantur, Chariſtia, & deſcribuntur abs Valerio libro 2. & Ovidio in Faſt. Certe cum laudatum olim fuiſſe meminiſſet Pythagoreorum (ut etiam appellabatur) κοινόβιον: non debebat illi inſolens videri, quod hic audiebat. Sed & gentes omnes ſolitas eſſe ſciebat, cum ſacrificio coniungere aliquod religioſum epulum. Ipſe in Augurum collegio verſatus, ab epulonibus non abhorrebat. Epulabatur & cum ſuis ſodalibus Cato. Mitto quæ veteres narrant de Lacedæmoniorum Phiditiis, & Cretenſium Syſſitiis. Sed ut Plinius apud Livium libro 5. legit, cum primum lectiſternio

nio facto ſacra Romæ fierent, fuiſſe hanc religionis notam, quod tota urbe promiſcuus uſus rerum omnium in propatulo poſitus ſit, paſſimque aduenas in hoſpitium ductos: ſic videtur, cum promiſcuum cibum Chriſtianorum vocat, de eorum religione & ſacris aliquid cogitaſſe. Addit, innoxium fuiſſe hunc eorum cibum. Sobrium, caſtum, religioſum fuiſſe, Tertullianus oſtendit. Sed gratia Plinio habenda eſt, qui ingenue confitetur, non fuiſſe aliquam improborum hominum coitionem atque factionem. Imo vero gratias Deo agamus, qui voluerit extare hoc minime ſuſpectum teſtimonium profani Præſidis, & refutandas prodigioſas illas calumnias, quas de Chriſtianorum cœtib. atque conviviis adverſarii poſtea turpiſſime confinxerunt, & adveteris Eccleſiæ admirabilem ſimplicitatem magis cognoſcenda. Barbaræ profecto erant illæ provinciæ Ponticæ, ubi & promiſcuam libidinem ſuo adhuc tempore fuiſſe, & parentum cadavera cum pecudibus cæſa, in convivio devorata, Tertullianus libro primo contra Marcionem Ponticum narrat. Eccleſiæ, quæ in talium gentium ſinu coaleſcebant, poterant hoc nomine male audire: & vero paulo poſt Plinii diſceſſum, illinc eruperunt prodigioſæ hæreſes, quæ infanda illa flagita intulerant in ſuos cœtus, quos tamen Chriſtianos eſſe iactabant. Quid ſi in eos Plinius incidiſſet? Sed eius ætate omnia fuerunt adhuc caſta, & integra inter Chriſtianos: propterea que illius inquiſitio ad eorum innocentiam patefaciendam fuit

utilis. Paulo poſt vero nati ſunt impuri nebulones Gnoſtici & Cataphryges, qui Bacchanalia, quam olim fuerant, turpiora inſtituerunt, cum ſe tamen Chriſtianos eſſe profiterentur, & infanda illa ſua ſacra Chriſtianæ cœnæ & ſynaxeos nomine ornarent. Qualia hæc fuerint, Epiphanius commemorat. Eadem omnibus Chriſtianis adverſarii mox affinxerunt, ſive errore quodam, ſive potius malitia. Nam & epiſtola vetus Eccleſiæ Lugdunenſis, ſcripta temporibus Antoninorum, narrat, ab iis ſubornatos eſſe quoſdam Chriſtianorum ſervos, atque etiam in tormentis coactos, ut affirmarent, in Chriſtianorum cœtibus eſſe Thyeſtea convivia & Oedipodæos inceſtus. Iuſtinus in Apolog. appellat hæc crimina δύσφημα, nempe λυχνίας ἀνατροπὴν, τὰς ἀνέδην μίξεις, καὶ ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς. Tertullianus in Apolog. cap. 7. Dicimur (inquit) ſceleratiſſimi de ſacramento infanticidii, & pabulo inde, & poſt convivium inceſto, quod everſores luminum canes, lenones ſcilicet, tenebrarum & libidinum impiarum inverecundiam procurent, &c. Horribilis profecto eſt oratio Cecilii illius leguleii Romani, qui apud Arnobium libro octavo hæc adhuc Chriſtianis obiicit, & pluribus verbis deſcribit. Adeo ſemel nata calumnia, non minus impudens quam nefaria, multis annis perduravit. Nam & temporibus Maximini Imp. quidam dux Romanos Damaſci ſubornavit quaſdam meretriculas, quæ mentirentur ſeſe Chriſtianas aliquando fuiſſe, & in Chriſtianorum conventibus vidiſſe mul-

tas

tas tetras libidines, ut narrat Euſebius libro 9. Potuiſſet Plinius id, ſi voluiſſet, imitari. Sed nondum, ut dixi, tanta erat noſtrorum adverſariorum improbitas. Age vero, conferatur cum illius Cecilii Arnobiani criminatione de convivio & conventu Chriſtianorum, hæc Plinii relatio: non erit, ut opinor, alia neceſſaria refutatio: tantoque propterea magis hic hæreo. Philo Alexandrinus περὶ βίου θεωρητικοῦ, deſcribit eorum ſodalitia, quos θεραπευτὰς appellat, & ſuo tempore in agro Alexandrino coaluiſſe narrat. Tales eorum conventus fuiſſe videntur, taliaque convivia, qualia Chriſtianorum hic fuiſſe dicuntur. Sed addit alias quaſdam chorearum & geſticulationum ineptias: ut neque Epiphanio, neque Euſebio aſſentiri poſſim, Chriſtianos fuiſſe illos exiſtimantibus. Si Plinius Alexandriæ iuridicus fuiſſet, idem fortaſſe de illis, quod de Chriſtianis, iudicaſſet: nunquam tamen ad eam, ad quam Appion tunc evaſit, impudentiam calumniandi evaſiſſet. Sed cum de Chriſtianorum conviviis nunc quæratur, adiiciendum eſt, quod ex Origenis lib. 3. ex Iob. intelleximus, eorum olim fuiſſe ſolennia etiam quædam convivia natalitia, ſicuti & oblationum natalitiarum meminit Tertullianus in libro de Cor. mil. Erant autem illi dies natales, quibus martyres vitam hanc profuderant, ut ad immortalitatem tranſirent: ſicuti docet vetus epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis. Cæterum, ut erant Chriſtianorum religioſa convivia, ſic & ſolennia ieiunia fuerunt. Tertullianus lib. 2.

 ad

ad Vxor. commemorat ieiunia obſervanda: & in libro De reſurrect. car. inter eorum ſacrificia Deo grata, refert ieiunia, & (ut appellat) ſeras atque aridas eſcas.

y) Secundum mandatum ἑταιρίας eſſe uetueram.) Caius Iurisconſultus cap. ult. De colleg. Sodales, inquit, ſunt, qui eusdem collegii ſunt, quam Græci ἑταιρίαν uocant. Talia collegia, in provinciis præſertim, Traianus coire non patiebatur. Vnde & cum aliquando eum Plinius conſuleret de inſtituendo Nicomediæ collegio Fabrorum CL, reſcripſit, ſibi non placere. Meminerimus (inquit) „provinciam iſtam, & præcipue eas civitates, „eiusmodi factionibus eſſe vexatas. Quodcunque „nomen ex quacunque cauſa dederimus iis, ἑται„ρίαι graues fient. Sed & cum in Bithynia eſſent ſolennes quædam invitationes, quibus homines mille interdum conuocarentur, ſæpe etiam plures, Plinius dubitauit, an hoc permittendum eſſet: & veritus eſt, ut in ſpeciem diamones incideret. Traianus reſcripſit, non immerito hoc eum vereri: & propterea curare debere, & conſtituere, quod ad prouinciæ quietem pertineret. Diamone videtur quædam fuiſſe coitio multitudinis, loco uno conſiſtentis: quam Traianus propter metum ſeditionis, non tolerandam eſſe putabat. Ergo & hoc exemplo, ſynaxes & conuentus Chriſtianorum Plinius diſturbat. Martianus noſter in Pandectis ait, non eſſe prohibitum, religionis cauſa coire: ſed hoc demum permitti collegiis licitis. Et alio loco definit, collegium

eſſe

eſſe illicitum, niſi ſi ex auctoritate Senatus, aut Cæſaris coeat: cap. 1 & 3. De colleg. & corp. Vetus erat lex XII Tab. ne qui in urbe nocturni cœtus eſſent. Eadem tamen permittebat honeſtis ἑταιρίας. Vtrumque caput latius expoſui in Comment. ad XII. Tab. Sed Chriſtianorum cœtus illicitis collegiis annumerabantur: & quod olim Romæ in quæſtione de Bacchanalibus decreverat Senatus, & quod poſtea de collegiis ſodalitiisque abolendis cenſuerat, etiam contorquebatur ad diſſipandas Chriſtianorum ſynaxes. Ioſephus libro 14. Antiquit. ſcribit, cum Iulius Cæſar edicto in urbe ſodalitia ſuſtuliſſet, nominatim excepiſſe Iudæos, & ſingulariter iis conceſſiſſe, ut religionis ſuæ cauſa convenire poſſent. Mortuo Cæſare, confirmatum eſt à Senatu, & Dolabella Conſule, hoc de Iudæis privilegium. Eademque deinde fuit & Auguſti ſententia. Certe Plinius & in Capitolio & in tota Aſia legere potuit multa huius generis decreta. Sed non audebat Chriſtianis hoc exemplo tantundem tribuere. Olim Agrippa, cum Iudæorum cauſam apud Caium Caligulam ageret, & Auguſti edictum laudaret, quo permiſerat Iudæos ſacrorum ſuorum cauſa coire, & Præſidibus provinciarum mandaverat, ut ſinerent eos convenire, atque (ut Philo loquitur) εἰς τὰ συναγώγια συνέρχεσθαι: cauſam, cur id recte permitteretur, hanc adiecit: quod eorum cœtus non ad aliquam turpitudinem aut ſeditionem, ſed ad omnem temperantiæ & frugalitatis doctrinam convenirent. Sic enim apud Philonem ait: μὴ γὰρ εἶ-

αι ταῦτα, συνόδους ἐκ μέθης καὶ παροινίας ἐπὶ συστάσει, ὡς λυμαίνεσθαι τὰ τῆς εἰρήνης, ἀλλὰ διδασκαλεῖα σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης. Cum de Chriſtianorum conventibus eadem prope referret ad Traianum Plinius, eadem debuerat eos ratione tueri. Sed Romanis ſuſpectæ erant novæ coitiones multitudinis, præſertim cum hanc religionem mirabiliter invaleſcere, & orbem probe totum ad ſe convertere audirent. Et vero quæ Poſthumius Conſul olim ad populum de Bacchanalibus dixerat, etiamnum Romanos terrebant. Sane Cicero libro ſecundo de Legibus cum nocturna vel peregrina ſacra ac myſteria damnat, laudat maiorum ſeveritatem, Senatusque veterem auctoritatem, & Conſulum, exercitu adhibito, quæſtionem, atque animadverſiones de Bacchanalibus. Multi tyranni Chriſtianos paſſi ſunt domi deliteſcere. Sed Synodos eorum, ut appellabantur, & ſynaxes nullo modo ferebant. Philo in Flacc. ſcribit, ſuo tempore fuiſſe Alexandriæ ſodalitia, quaſi Bacchanalia: *θίασοι* ab eo appellantur, ſed vulgo appellabantur *σύνοδοι καὶ κλίναι*, ut idem narrat. Erat hoc quoddam ſeminarium ſeditioſorum hominum, & omnium vitiorum. Fortaſſe Romani metuebant, ne aliquod tale monſtrum aleret eccleſia Chriſtianorum. Denique quam antea ex Dione recitavi Mecœnatis ſententiam, probabant. Mecœnas cum monet Auguſtum, ne patiatur novam aut peregrinam religionem invaleſcere: ait, verendum alioqui eſſe, ne eo prætextu cœtus, ſodalitia, coniurationes, ſeditiones (quæ ſunt peſtes mo-

monarchiarum) invaleſcant. Et quidem nominatim hæc coniungit, συνωμοσίαι, συςάσεις, ἑταιρίαι.

2) *Ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri, per tormenta quærere.*) Miniſtras hic intelligere videtur ipſius Eccleſiæ; quæ, quod quærebatur, prodere magis poterant. Chriſtiani abs miniſterio Eccleſiaſtico non arcebant ſervos, ſi domini conſentirent. Paulus Oneſimum Philemonis ſervum vocat συνεργόν. Sed & mulieribus aliquid demandabatur. Paulus Phœbem vocat διάκονον eccleſiæ Cenchreenſis. Non licebat Jure Civili torquere liberos homines, neque ſervos in caput dominorum. Sed ſervum alicuius corporis vel univerſitatis torquere licebat in eorum etiam caput, qui eius corporis erant: ut Ulpianus lib. octavo de officio Proconſulis ſcripſit, cap. 1. De quæſt. Sed & a veteri S. C. de ſervis in caput dominorum non torquendis, paulo poſt tempora Traiani, exceptæ fuerunt tres cauſæ: nempe adulterii, fraudati cenſus, & maieſtatis ſive perduellionis. l. 1. C. de quæſt. Non dubito autem, quin & Plinius cauſam Chriſtianorum talem eſſe iudicarit, in qua ſervi adverſus dominos torqueri poſſent. Porro Ulpianus ait, Adrianum Imp. reſcripſiſſe, ab eo incipiendam eſſe quæſtionem, a quo iudex faciliime verum ſcire poſſe credat. Hoc Plinius etiam feciſſe videtur, cum has ancillas ad quæſtionem vocavit: & infirmiorem illum ſexum, a quo facilius confeſſionem exprimere potuit, torſit. Sed iniquiores illi Præſides fuerunt, qui hoc poſtea imitati ſunt,

non ut indicium aliquod verum elicerent, ſed ut confictì criminis teſtimonium falſum extorquerent: quod & propoſita ſpe impunitatis, & præmio venabantur. Itaque Tertullianus non immerito conqueritur, Chriſtianorum infeſtationem (ut loquitur) nimium operatam eſſe domeſticis indiciis. Ac eo quidem tempore Severus Imp. reſcripſerat, cum quæſtio de ſervis contra dominos haberi non debeat, multo minus indicia ſervorum contra dominos admittenda eſſe: ut narrat Vlpianus cap. 1. De quæſt. Sed eo iure non utebantur in cauſa Chriſtianorum. Sane epiſtola Eccleſiæ Lugdunenſis narrat, ſubornatos ab adverſariis, & metu tormentorum etiam commotos Chriſtianorum quoſdam ſervos fuiſſe, ut dicerent, in Chriſtianis cœtibus eſſe Thyeſtea quædam convivia, & inceſtas libidines. Verum bene habet: magis ingenuas fuiſſe ancillas, quas Plinius torſit, minimeque ad mentiendum induci potuiſſe: & vero Plinium ingenue confiteri, nihil de Chriſtianis cœtibus tandem ſe comperiſſe, quam quod iam audierat: quanquam barbaro quodam faſtidio totam eorum religionem irrideat. Porro in hac cauſa facile audiebatur indicium mulierculaꝛum: ut & in quæſtione maieſtatis audiri, probat Papinianus, exemplo Ciceronis. Sed & olim Bacchanalia cuiusdam primum libertinæ meretriculæ indicio detecta fuerant. Neque dubito, quin quod in ea interroganda Poſthumius Conſul fecerat, Plinius hic imitatus ſit. Sed æquior erat, quam ut eos imitaretur, de quibus Iuſtinus

in

in Apologia priori conqueritur: quod ſervos & mulierculas tormentis cogerent, Chriſtianis ea affingere, quæ ethnici ipſi in ſuis ſacris turpiter faciebant.

aa) *Nihil aliud inveni, quam ſuperſtitionem pravam & immodicam.*) Cicero Iudæorum olim vocaverat barbaram ſuperſtitionem, cui occurrendum etiam eſſe dicebat. Cor. Tacitus, Plinii familiaris, Chriſtianorum exitiabilem ſuperſtititionem appellavit lib. 15. Svetonius, alter Plinii ſodalis, ſuperſtitionem novam & maleficam. Plinius nunc ſubſcribit. Nam & in Paneg. ad Traianum, peregrinæ ſuperſtitionis (ut loquitur) myſteria neſcio quæ ſuperbe irridet. Eadem ætate Lucianus καινὴν τελετὴν atque etiam irridendo θαυμαςὴν σοφίαν Chriſtianorum appellat in Pereg. Quid cum profanis hominibus facias? Quanta ſit impietatis audacia ad damnandam religionem, videmus. Nihil illa habet, quod in hac liquido reprehendat. Imo vero ſic eam deſcribit, ut commendare videatur. Interea confuſe tamen eam damnare non deſinit. Et quid tandem ſibi vult Plinius, cum vel pravam dicit, in qua nihil mali deprehendit, vel immodicam ſuperſtitionem vocat? An Ciceronem laudat, qui in oratione pro Domo ſuo ait, bonorum eſſe Pontificum, monere, modum quendam eſſe religionis: nimium eſſe ſuperſtitioſum non oportere? An vero avunculum ſuum, qui non diſſimulavit ſeſe & Epicureum & ἄθεον eſſe, potius laudat, quia nullius religionis fuerit? An veram, rectam, & bene temperatam religionem eſſe pu-

putat, ludicram & inanem quandam vanæ ſuperſtitionis ſimulationem? Scripſit eo tempore Plutarchus librum περὶ δεισιδαιμονίας: impietatem & ſuperſtitionem recte notat. Sed religionem, quam in medio collocet, non videt. Fortaſſe ad Chriſtianos acceſſiſſet, ſed principem ſuum Traianum reformidabat. Interea nimium profecto ineptus eſt Plinius, qui Chriſtianis, hoc eſt, omnium ſuperſtitionum acerrimis adverſariis, pravam & immodicam ſuperſtitionem affingit. Sed quamcunque tandem iniuriam iis faciat, multo tamen poſtea fuit ille in ipſa quoque Bithynia importunior philoſophaſter, qui laudans tyrannorum ſævitiam declamabat adverſus noſtrorum religionem, quam appellabat anilem & impiam ſuperſtitionem. Qualis eodem tempore in eadem provincia iudex ille etiam fuit, qui cum videri vellet non neſcire quænam eſſet hæc religio, ſcribendo eam falſi convincere, & ſæviendo exterminare voluit, ut Lactantius narrat lib. quinto.

bb) *Propter periclitantium numerum.*) Hæc igitur præcipua conſultationis ratio fuit. Tertullianus in Apolog. ait. Plinium hac multitudine perturbatum, conſuluiſſe Traianum. Iurisconſulti in Pandectis aiunt, graſſantibus delictis exacerbanda eſſe ſupplicia, quoties multis peccantibus exemplo eſt opus. At Plinius tantam videbat eſſe multitudinem Chriſtianorum, ut tota fuerit cædibus prope exhaurienda provincia, ſi in omnes animadverteretur, fecitque ſæpe delinquentium multitudo, ut Romani deliberarent non tam de ſupplicio augendo,

quam

quam de minuendo, & ſeveritate remittenda. Extat huius generis pulcherrima deliberatio apud Cor. Tacitum. Profectò Seneca libro ſecundo de Ira, inſanum & inſanabilem fuiſſe iudicat quendam Voleſum, qui tempore Auguſti, cum trecentos una die ſecuri percuſſiſſet, etiam exultans exclamavit: O rem regiam. Sed & decimationes Legionum ſignificant, de tota multitudine, quæ deliquiſſet, non fuiſſe ſumptum ſemper ſupplicium. Sane Livius lib. 28. ſcribit, aliquando Legionem ad quatuor hominum millia in foro Rom. ſecuri percuſſa eſſe. Sed ſæpi us ſolebant Romani decimum quemque ſortiri, qui tantum pœnas daret. Quanquam ipſa quoque decimatio viſa hic ſit Plinio valde ſæva & crudelis, cum non una aliqua legio, ſed tota provincia deliquiſſe videretur. Sic & Tertullianus ad Scapulam, Præſidem Carthaginenſem: Quid facies (inquit) de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis ſexus, omnis ætatis, omnis dignitatis offerrentibus ſe tibi? Quantis ignibus, quandis gladiis opus erit? Quid ipſa Carthago paſſura eſt, decimanda a te? &c. Eodem loco narrat, quendam Aſiæ proconſulem Arrium Antoninum, cum multi Chriſtiani rei eſſent, ſeque etiam ultro ſiſterent, paucis duci iuſſis, reliquos dimiſiſſe. Crudeliores fuerunt præſides tempore Diocletiani. Nam & tunc in Phrygia Chriſtianorum quædam civitas tota, obſidione cincta, flammis deleta eſt, cum magiſtratu & populo univerſo. Narrat hoc Euſebius. Sed & Lactantius lib. 5. Aliqui (inquit)

quit) ad occidendum præcipites extiterunt: ſicut unus in Phrygia, qui univerſum populum cum ipſo pariter conventiculo concremavit.

cc) *Prope iam deſolata templa cœpiſſe celebrari.*) Oportet terribilem Chriſtianis terrorem incuſſiſſe Plinium, ſi quod hic affirmat, verum ſit. Sed errat profecto, qui tam facile ſibi perſuaſit, reprimi atque adeo opprimi Eccleſiam Chriſti poſſe. Certe & poſt Plinium, in tota Bythinia atque ora Pontica, fuit ea conſtantia, ea Chriſtianorum multitudo, ut quale ſemen relictum fuerit, facile intelligi poſſit. Quanquam & ſanguis Chriſtianorum ſemen ſit, ut Tertullianus ait. Qualis in Bithynia fuerit eccleſia Nicena & Nicomedienſis: qualis in Ponto. Neocæſarienſis & Heracleenſis: quales Chriſtiani poſt Plinii ætatem in vicinia vel Galatia, vel Phrygia, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narrant. Certe ne Diocletianus quidem ipſe, qui Nicomediæ ſuum palatium habuit, potuit Chriſtianos iis locis exterminare. Neque tamen Plinio fidem non habeo, narranti, multos ad idolorum templa reverſos eſſe. Nam & Paulus Apoſtolus Galatarum turpem iam inde ab initio fuiſſe ἀποστασίαν ſcribit. Interea, ut plures redeant, conſulit Plinius, proponendam redeuntibus ſpem impunitatis: hoc eſt, illecebram maximam. Multi Impp. non diſſimili ſimulatione clementiæ, Chriſtianorum animos olim pertentarunt. Imo vero Maximinus Imp. edictum promulgavit, eos blanditiis eſſe alliciendos & emolliendos. Plinius tamen agit ſimplicius, & Romano

mo-

more: & fortaſſis huc quoque referebat veterem illam XII. Tab. legem, SANATIBVS IDEM IVS ESTO, QVOD FORTIBVS. In alia cauſa aut crimine, prohibentur proconſules calamitoſorum precibus illachrymari: neque aut deprecationi aut miſericordiæ locum relinquit ſeveritas iuris Romani. Sed alio hic iure utendum eſſe, putat Plinius.

Hactenus Plinii & relationem, & conſultationem, ſimul & conſilium audivimus. Nunc Traiani reſponſum, iudiciumque audiamus. Natura placidus erat & clemens: dictusque etiam eſt optimus princeps. Plinius in Paneg. valde eum laudat, quod pro templis excubaret. Sed ſi non fuit profanus, certe fanaticus potius fuit quam religioſus. Plutarchus ad eum ſcripſit præcepta politica. In iis graviter monet, omnia in Rep. ad cultum Dei eſſe referenda. Sed Romani potius volebant ad Rempub. referri, atque accommodari religionem. Traianus diu vixit Antiochiæ, ubi nobiliſſima erat ecclesia Chriſtianorum. An de ea aliquid interea audierit, neſcio. Sed profecto contempſit: ac ne terribili quidem illo, qui tunc Antiochiam totam concuſſit, terræ motu excitatus eſt, ut de vera religione quicquam cogitaret. Totus erat in bellis ſuis Parthicis. Interea quid de Chriſtianis rogatus reſponderit, audiamus.

a) ACTVM *quem debuiſti.*) Actum vocat, extraordinariam Plinii quæſtionem. Extraordinarium hoc crimen, de quo agebatur, erat. Nulla enim de eo lex certa erat. Traianus eſſe etiam debere hoc

iudi-

iudicium extraordinarium, hoc eſt, Magiſtratuum cognitioni & imperio relinquendum eſſe putat.

b) *Conquirendi non ſunt: ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt.*) Tertullianus in Apolog. ait, Traianum reſcripſiſſe, inquirendos quidem non eſſe, oblatos vero puniri debere. Euſebius vertit: τὸ χριςιανῶν φῦλον μὴ ἐκζητεῖσθαι μὲν, ἐμπεσὸν δὲ κολάζεσθαι. Sed plus aliquid habent illa Traiani verba: *Si deferantur & arguantur.* Principio fuit illud moris Romani, ut nullus ſine accuſatore condemnaretur. Cicero ipſe hoc dixit in oratione pro Roſc. Amerino. Cæterum poſteaquam ordo vetus iudiciorum publicorum mutatus fuit, non ſemper eſt expectatus accuſator legitimus: & vero ea fuit Chriſtianorum primum conditio in orbe Romano, ut pauci dignarentur ad eos accuſandos deſcendere: quidam etiam non auderent, præſertim cum audirent Tiberium comminatum eſſe periculum accuſatoribus eorum, ut ſupra dixi. Quid igitur? Cœperunt magiſtratus ipſi, & præſides ultro in eos inquirere. Nam & tandem ſic a Magiſtratibus fuerunt mandatæ delictorum, præſertim graviorum, & criminum quæſtiones, ut & accuſatores & iudices prope eſſe viderentur. „Martianus „Iuriſc. Mandatis (inquit) cauetur, ut præſides, „ſacrilegos, latrones, plagiarios conquirant: & „prout quisque deliquerit, in eum animadvertant. Item Ulpianus: Congruit (inquit) bono „& gravi præſidi, curare ut pacata atque quieta pro„vincia ſit: & debet malos homines conquirere. Nunc Traianus videtur Chriſtianos eximere, quia ne-

neque ſacrilegi, neque fures, neque latrones ſint: neque, ut perturbent provincias, committant aliquid dignum publica & extraordinaria inquiſitione. Non liberat eos criminali & legitima accuſatione: ſed ſi accuſator deſit, patitur eos impune latere, neque ad eos vexandos pertinere vult mandata de flagitioſis hominibus conquirendis. Præſidum inquiſitioni ſubſerviebant, qui dicebantur Irenarchæ & Curioſi, quorum frequens eſt mentio in libris iuris Civilis. Tales vero Quæſtores, ſæpe ſycophantæ & calumniatores erant. Horum itaque Corycæorum inſidiis Chriſtianos eripere, magnum profecto & ſingulare beneficium fuit. Miror itaque Tertullianum id non agnoſcere. Exclamat adverſus hoc Traiani reſcriptum: O ſen-" tentiam neceſſitate confuſam. Negat inquiren-" dos, ut innocentes: & mandat puniendos, ut no-" centes. Parcit, & ſævit: diſſimulat, & animad-" vertit. Quid te ipſum cenſura circum venis? Si" damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur" non & abſolvis? &c. Hi aculei Tertulliani fortaſſe poſſent retundi, ſi ingenue agamus. Medium eſt quippiam, inter damnare accuſatos convictosque, & non inquirere in eos qui delati non ſunt. Neque ſane criminalium iudiciorum omnium eſt una conditio. Sunt quædam privata, ſunt quædam publica. Et modo ordinaria, modo extraordinaria erant. Itaque & publicorum criminum quædam eſſe potuerunt, in quibus Quæſtor accuſatorem expectare non debeat: quædam vero, in quibus ordo vetus iudi-

ciorum ſervari poſſet. Nam & ſunt quædam, in quibus vindicandis ne magiſtratum quidem expectare ſit neceſſe. Hæc ego diſcrimina nunc noto, non quod non ſentiam iniquum eſſe Traianum, qui Chriſtianos non abſolvit, quos nullius criminis convincit: ſed quod recte velim eius ſententiam intelligi, & ſine cavillatione. Sæpe deerat legitimus accuſator: multique ab accuſatione abhorrebant, propter ſubſcriptionis periculum. Ibi ſecuros Traianus eſſe vult Chriſtianos. Et vero Tertullianus ipſe in eadem oratione, tandem aliquod agnoſcit eius beneficium. Ait enim, eum ex parte fruſtratum eſſe leges Romanas, quæ adverſus Chriſtianos contorquebantur, cum vetuit inquiri Chriſtianos. Iubebat itaque Traianus, præſides hic veluti conniuere, quos in aliis cauſis tamen valde curioſos eſſe volebat. Sane & in conquirendis damnatorum bonis nimiam iudicum diligentiam non laudant Ro. leges. Præterea obſervandum eſt, hoc Traiani reſcriptum eo quoque pertinuiſſe, ut ſi quis Chriſtianus captus eſſet, non torqueretur ad ſocios indicandos: imo ne de iis quidem interrogaretur. Quod ſane ſignificare mihi videtur Tertullianus in „Apolog. „Ad ſocios (inquit) ad conſcios inquiſitio „usque extenditur. Solum Chriſtianum inquiri non licet. Magnum rurſus in eo beneficium profecto fuit. Statim atque unus aliquis comprehenſus Chriſtianus erat, tota alioqui Eccleſia in periculum vocabatur, ne in quæſtionibus eam infelix reus prodere cogeretur. Nam neque obſervabatur,

quod

quod Pius Imp. reſcripſit, eum qui de ſe confeſſus eſt, in caput aliorum torqueri non debere: cap. 16. De quæſt. In Pandectis quoque edictum extat, ut cum Irenarchæ apprehenderint latrones, interrogent eos de ſociis, & receptatoribus, & interrogationes literis incluſis atque obſignatis ad cognitionem Magiſtratuum mittant. cap. 6. De cuſtod. & exhib. reor. Tam curioſam inquiſitionem in cauſa Chriſtianorum eſſe Traianus noluiſſe videtur. Quanquam non ignorem, minime fuiſſe ſemper in hoc genere obtemperatum Traiano. Sed Eccleſiaſticæ hiſtoriæ id relinquo. Porro ne quis miretur, quod hic eſt, *Si deferantur & urguantur*, Tertullianum dicere, *Si offerantur*: obiter etiam notandum eſt, offerendi verbum apud Iuriſconſultos eſſe accuſatoris, veluti reum ſiſtentis. Sic in Pandectis cap. 13. §. ult. De re milit. legimus, deſertorem a patre oblatum, qui delatus & accuſatus a patre fuerat. Sic cap. 9. §. 3. De offic. Proc. Sic etiam deferendi verbum hic accipere debemus, non ut delatorem, hoc eſt, calumniatorem (nam tale hominum genus, quam audiri noluerit Traianus, ſatis oſtendit Plinius in Paneg.) ſed ut accuſatorem potius ſignificat. Tertullianus ad Scap. narrat, quendam præſidem, qui Prudens appellabatur, miſſum ad ſe Chriſtianum cum elogio, dimiſiſſe ſciſſo elogio, & negaſſe ſine accuſatore ſe auditurum hominem, ſecundum mandatum. Hic primum videtur ſecutus ſingulare in hac cauſa Traiani mandatum. Deinde ius commune, ut

elogio non temere crederet. Nam & ubi omnino accuſator non erat neceſſarius, tamen ex ſolo ſtatim elogio reus non condemnabatur. Non eſſe eorum epiſtolis credendum, qui quaſi damnatos ad præſidem remiſerint: neque Irenarcharum elogiis, quia non omnes ſint bonæ fidei: ſed ex integro cauſam cognoſci debere, mandatum olim fuiſſe, Martianus in Pandectis ait, cap. 6. De cuſtod. & exhib. Hæc elogia ſive relationes vocabantur etiam notoria: quæ etſi ad convincendum ſtatim reum non ſufficerent, valebant tamen, ut reus in ius traheretur, interrogaretur, ſæpe etiam torqueretur, licet alius accuſator deeſſet. Quod intelligi poteſt ex noſtrorum quoque literis, hoc eſt, lege Gratiani Imp. quæ extat Cod. De accuſat. & Auguſtini epiſtola CLIX. & CLX. At videtur Traianus voluiſſe propter ſolum elogium, ſine accuſatore, Chriſtianos teneri & interrogari. Qua pœna puniendi eſſent convicti Chriſtiani, non exprimit. Tertullianus ad Scap. ait, ab initio mandatum fuiſſe, ut gladio animadverteretur in Chriſtianos, idque ſuo adhuc tempore obſervaſſe præſidem Mauritaniæ. Fortaſſe ea quoque fuit Traiani ſententia: & inter pœnas capitales, hæc ſupplicii ſpecies minus infamis minusque ſæva habebatur. Immanis fuit illa Neronis feritas, qui Chriſtianos ferarum tergis contectos, abs canibus dilaniari volebat, aut crucibus affigi, aut flammis torreri: ſicuti Cor. Tacitus narrat. Sed poſt Traianum eadem fuit ſævitia. Crucibus (inquit Tertullianus

nus in Apolog.) & ſtipitibus impoſitis Chriſtia-“ nos. Vnguibus deraditis latera Chriſtianorum.“ Cervices ponimus: ad beſtias impellimur, ignibus“ urimur, in metalla damnamur, &c. Item, Sic nos“ ad Deum expanſos ungulæ fodiant, cruces ſuſpen-“ dant, ignes lambant, gladii guttura detruncent,“ beſtiæ inſiliant, &c. Poſteriorum temporum hi-ſtoriam nunc non attingo, in qua horrenda huius generis ſupplicia leguntur.

c) Ita tamen, ut qui negaverit ſe Chriſtianum, idque reipſa manifeſtum fecerit, id eſt, ſupplicando diis noſtris, quamvis ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret.) Hic viſus eſt ſibi Traianus valde moderate & clementer agere. Itaque & ille præſes Aemilianus ingratum vocat Dionyſium epiſcopum Chriſtianum, qui tale beneficium Valeriani Imp. non agnoſceret, neque eo uti vellet. Præſes talem conditionem vocat **πραότητα καὶ φιλανθρωπίαν** Imperatoris. Sane non ſolent crimina pœnitentibus remitti: neque ulla eſt ordinaria pœnæ deprecatio. Nam, ut olim ille dicebat, Ecquis nocens eſſe poterit, ſi negare ſufficiat? ita dici etiam poſſet, Ecquis damnari nocens poterit, ſi pœnitere ſufficiat? Scipio ſane in quadam ſeditione militari, contentus ſupplicio eorum qui ſeditionis duces fuerant, reliquæ multitudini pepercit, inquiens: Quod ad vos univerſos attinet, ſi erroris pœnitet, ſatis ſuperque pœnarum habeo. Livius lib. 28. Cæterum ſi propius conſideremus, quæ ſit indulgentia Traiani, nullam vim intelligemus eſſe potuiſſe Eccleſiæ magis inimicam. Et qua-

lis tandem eſt pœnitentia, quam exigit? Cum Aſiæ proconſul Polycarpo minitaretur, ſeſe beſtiis illum eſſe obiecturum: hanc etiam addidit conditionem, *ἐὰν μὴ μετανοήσῃς.* Sed quid ad hæc conſtans reus? *ἀμετάθετος* (inquit) *ἡμῖν ἡ ἀπὸ τῶν κρειττόνων ἐπὶ τὰ χείρω μετάνοια, καλὸν δὲ μετατίθεσθαι ἀπὸ τῶν χαλεπῶν ἐπὶ τὰ δίκαια.* Sic enim eſt in epiſtola eccleſiæ Smyrnenſis. Extat etiam apud Euſebium lib. 7. cap. 11. vetus epiſtola Dionyſii epiſcopi Alexandrini, qui tempore Cypriani vivebat. In ea narrat, ſibi rem fuiſſe cum Æmiliano quodam præſide, qui hanc impunitatis conditionem proponebat, ſecutus literas ſuorum Impp. ſi reus obliviſceretur eorum quæ contra naturam ſunt (ſic enim religionem Chriſtianam notabat) & ad ea quæ ſecundum naturam ſunt, reverteretur: hoc eſt (ut interpretabatur) adoraret deos Rom. Dionyſius reſpondit, ſe Deum ſuum deſerere non poſſe, nec velle. Præſes urgebat, ut ſaltem cum eo coleret & alios deos: ſe quoque hac conditione contentum fore. Verum ne illud quidem impetrare potuit. Cæterum nunc obſervemus, non eſſe ſola inficiatione contentum Traianum, neque verbis fidem habere vult illius, quam exigit, pœnitentiæ teſtimonium extare: Sacrificando (inquit) diis noſtris. Contra vero, Eccleſia pœnitentiam veram, hoc eſt, abs peccato ad pietatis ſtudium converſionem exigens abs iis qui lapſi erant & dicebantur, veniamque poſtulabant, exigebat etiam ſolennem exomologeſim, & publicam eius

actio-

actionem, ac veluti conſignatam teſtificationem, animi pœnitentis. Sæpe etiam chirographo illos ſuo obſtringi volebat, ut indicat Tertullianus contra Prax. Cæterum vt ad diluendam religionis Chriſtianæ ſuſpicionem poſtulat Traianus ſacrificium coram idolis: ſic Plinius, ut & Chriſto malediceretur, & imago quoque Traiani adoraretur, poſtulabat. Præſes ille Aſiæ, qui Polycarpum vexabat, cum Cæſaris imago deeſſet, imperavit, ut per eius fortunam reus iuraret: ſicuti alii præſides volebant, ut per principis genium iuraretur, cum teſtimonium requirerent repudiatæ religionis Chriſtianæ. Et qui paulo poſt Lugduni Chriſtianos exagitabant, in primis hoc urgebant, vt rei per nomina idolorum iurarent. Quod certe vt facerent, qui reuera Chriſtiani erant, cogi non poterant: ſicuti etiam Tertullianus & Arnobius teſtantur. Meminerant, quod olim docuerant Prophetæ, in iureiurando ineſſe quandam diuini cultus ſpeciem. Sane Tertullianus ad Scap. cum narrat, præſides ſæpe multa diſſimulaſſe & condonaſſe, ſcribit, quendam, qui Aſper vocabatur, cum Chriſtianum modice vexaſſet, & ſtatim deiectum eſſe videret, non compuliſſe, vt ſacrificium faceret. Dimiſit ergo iam trepidandem atque labantem, neque quod hic Traianus præſcripſit, exegit. Et vero poſt tempora Traiani non tam fuerunt moroſi præſides: hoc eſt, cum vix impetrare, aut tormentis etiam extorquere poſſent, ut reus uno verbo ſe negaret eſſe Chriſtianum, fuerunt ſæpe contenti vel minima inficiatione: viſique ſunt ſibi, cum eam ex-

preſſiſſent, triumphare. Dabant etiam confeſſo diem ad deliberandum, etſi is profiteretur nolle ſe præterea deliberare. Quid dicam, Diocletianum edicto etiam præcepiſſe, ut non ſolum terrore cogeretur reus ad ſacrificandum: ſed & veluti obtorto collo ad aram pertractus, per vim adigeretur? Certe Marcus Antoninus, cum edictum pro Chriſtianis ſuum, quod poſtea proponemus, ederet, nominatim vetuit, ne præſides tale aliquid aut tentarent, aut captarent: **εἰς μετάνοιαν** (inquit) **μὴ μετάγειν.**

d) *Sine auctore propoſiti libelli, nullo crimine, locum habere debent.*) Quæ conceptio & formula libelli accuſatorii, quæ inſcriptio atque ſubſcriptio eſſe debeat, Paulus in Pandectis oſtendit, cap. 3. De accuſ. Sed auctoris profecto, hoc eſt, accuſatoris, vel eius qui dat libellum, nomen in primis inſcribi atque ſubſcribi debere confirmat. Et Vlpianus lib. 7. De officio proconſulis, ſcribit, cum alicui crimen obiicitur, præcedere debere in crimen ſubſcriptionem. Idque inventum eſſe, ne facile quis proſiliat ad accuſationem, cum ſciat inultam ſibi accuſationem non futuram: cap. 7. De accuſ. Cum ergo in criminibus non ſolum accuſator nomen ſuum profiteri, ſed ſe etiam debeat ſua manu obligare, ad ſubeundam calumniæ pœnam, ſi calumniari videatur: merito hic reiiciuntur libelli ſine auctore, cum famoſi magis quam accuſatorii videantur: & indicent ſcriptorem, qui latitat, eſſe calumniatorem. Cur enim alioqui palam accuſare non audet?

HA-

HACTENUS Traiani de Chriſtianis iudicium audivimus. Sulpitius Severus ſcripſit, eum, cum tormentis & quæſtionibus nihil in Chriſtianis morte aut pœna dignum inveniſſet, ſæviri in eos ultra vetuiſſe. Sed quid is iuſſerit, vetueritve, ex eo ipſo cum audiam, quid Sulpitius hic narret, nihil moror.

Traianus, Adrianum Imperii Romani hæredem reliquit. Accuſari Chriſtianos permiſerat: & eo ſolo nomine quod Chriſtiani eſſent, ſi ſe Chriſtianos confiterentur, damnari punirique voluerat. Adrianus Traiano æquior atque melior eſſe voluiſſe videtur: ut Chriſtiani, ſi nullum eſſet aliud eorum crimen, non vexarentur. Sulpitius ait, eum in hac cauſa pronunciaſſe, Eſſe iniuſtum, ut quisquam ſine crimine reus conſtitueretur. Sed quid pronunciaverit, ex ipſo melius intelligemus. Vt ad Traianum Plinius, ſic Granianus Aſiæ proconſul ad Adrianum retulerat, quod in provincia de Chriſtianis & eorum cauſa compererat. Valde equidem vellem etiam extaret hæc Graniani relatio, nam & hæc conſultatio veluti interpres eſſet ipſius reſponſi: neque minus quam epiſtola Plinii, conferret ad deſcribendam eccleſiarum eius temporis conditionem. Sane Oroſius ſignificat, Chriſtianorum cauſam egiſſe hunc Granianum. Nam per eum, ut per Quadratum & Ariſtidem, compoſitis de religione Chriſtiana libris inſtructum atque eruditum Adrianum ait præcepiſſe, per epiſtolam ad Minutium Fundanum proconſulem Aſiæ datam, ut nemini liceret

Chriſtianos ſine obiectu criminis aut probatione damnare. Sed Oroſius ſuo more, multa hic temere miſcet. Equidem exiſtimo hunc Granianum, quem ille legatum vocat, ſimpliciter retuliſſe ad Adrianum de Chriſtianis & eorum innocentia, & adverſariorum calumniis, quod compererat: nec tamen illorum cauſam egiſſe, ut Quadratus egit; non enim hoc proconſulis Romani erat. Sed profecto Granianum Plinio æquiorem Chriſtianis fuiſſe, & Adrianum Traiano, non invitus agnoſco. Olim Apoſtolus Sergium Paulum Cypri proconſulem, docilem diſcipulum atque auditorem habuit. Gallionem, Achaiæ proconſulem, deinde habuit negligentem potius quam iniquum. Poſtremo Feſtum & Felicem in Iudæa non diſſimiles iudices nactus eſt. Sic eſt congreſſus cum quatuor Romanis præſidibus. Nunc duos, qui ſapientiſſimi videri voluerunt, Chriſtianorum iudices adiicimus, Plinium & Granianum. Eſtque operæ pretium, ingenium iudiciumque ſingulorum conſiderare. Priusquam Adrianus reſponderet, deceſſerat Granianus: ſed eius ſucceſſori Minutio Fundano reſpondit, quod principe non barbaro dignum fuit: dignum etiam quod Iulianus tunc retuliſſet in ſuum edictum perpetuum. Non extant Latina verba hujus reſcripti, ſed extant in Græcam linguam converſa: ex qua etiam in Latinam rurſus transferri poſſunt. Olim principum reſcripta, edicta, decreta, Latine ſæpius ſcribi primum ſolebant. Sed Græci fuerunt, quam Itali, dili-

diligentiores in veteris Eccleſiæ monumentis conſervandis. Iuſtinus in ſua ad Antoninum Pium Senatumque Rom. Apologia pro Chriſtianis, Adriani reſcriptum illud obtendit, cum, ut in eorum cauſa, iuris, iudiciorumque ordo atque ratio ſervaretur, poſtularet. Euſebius teſtis eſt, Romana lingua conceptum, ut ſcriptum primum fuerat, ſuæ Apologiæ Iuſtinum attexuiſſe. Sed exemplum nunc tantum ſupereſt, quale eſt ab Euſebio expreſſum Græce. Epitome Dionis narrat, in hiſtoria Euſebii extare quasdam epiſtolas Adriani, quibus graviter comminatur iis qui Chriſtianis moleſti erant: iuratque Herculem, ſeſe in eos animadverſurum eſſe. Huius iuriſiurandi mentio eſt in ea epiſtola, quam in Euſebio reperi. Ipſe Antoninus Pius in ſuo reſcripto, quod ſuo paulo poſt loco ſubiiciam, ait Adrianum reſcripſiſſe multis præſidibus provinciarum, ne Chriſtianis moleſti eſſent, ſi nihil molirentur adverſus Roman. Imperium. Sed & Melito Sardenſis in ſua ad Lucium Verum, Pii F. Apologia, cuius fragmentum extat apud Euſebium, teſtis eſt, Adrianum & Minutio Fundano Aſiæ proconſuli, & compluribus aliis ſcripſiſſe. Ex multis reſcriptum unum extat, ut dixi. Illud tale eſt.

ΜΙΝΟΥΚΙΩ ΦΟΥΝΔΑΝΩ. Ἐπιστολὴν ἐδεξάμην γραφεῖσαν μοι ἀπὸ σερεννίου γρανιανοῦ λαμπροτάτου ἀνδρὸς, ὅντινα διεδέξω. οὐ δοκεῖ μοι οὖν τὸ πρᾶγμα ἀζήτητον καταλιπεῖν, ἵνα μήτε οἱ ἄνθρωποι ταράττωνται, καὶ τοῖς συκοφάνταις χορηγία κακουργίας παρασχεθῇ. εἰ οὖν σαφῶς εἰς

ταυ-

ταύτην τὴν ἀξίωσιν οἱ ἐπαρχιῶται δύνανται διϊσχυρίζεσθαι κατὰ τῶν χριστιανῶν, ὡς καὶ πρὸ βήματος ἀποκρίνεσθαι, ἐπὶ τοῦτο μόνον τραπῶσιν, ἀλλ᾽ οὐκ ἀξιώσεσιν, οὐδὲ μόναις βοαῖς. πολλῷ γὰρ μᾶλλον προσῆκεν, εἴ τις κατηγορεῖν βούλοιτο, τοῦτό σε διαγινώσκειν. εἴ τις οὖν κατηγορεῖ, καὶ δείκνυσι παρὰ τοὺς νόμους πράττοντας, οὕτως ὅριζε κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ ἁμαρτήματος, ὡς μὰ τὸν ἡρακλέα εἴ τις συκοφαντίας χάριν τοῦτο προτείνοι, διαλάμβανε ὑπὲρ τῆς δεινότητος, καὶ φρόντιζε ὅπως ἂν ἐκδικήσειας.

Hæc Latine quoque reddenda ſunt, non ut verba adnumeremus, ſed ut ſententiam edamus.

MINVTIO FVNDANO.

Accepi epiſtolam, quam ad me ſcripſerat Serenius Granianus V. C. cui tu ſucceſſiſti. Digna res eſt, de qua cognoſcatur: ne & magnæ alioqui turbæ excitentur, & calumniatorum maliciæ indulgeatur. Si provinciales poſſe ſe putant Chriſtianos in iudicio reos peragere: id legitime faciunto. Clamoribus vero & tumultibus locus nullus eſto. De cauſa cognoſcere tu debes: ac ſi quid adverſus leges facere Chriſtiani videantur, animadvertito, & noxiæ pœna par eſto: ita quidem mehercle, ut qui calumniæ cauſa ad accuſandum deſcendet, ſentiat etiam tuæ animadverſionis ſeveritatem.

Prin-

Principio, ut Plinius ad Traianum ſcripſerat, ſibi hanc videri cauſam dignam conſultatione: ſic Adrianus, in primis indicat cognitione dignam eſſe. Tertullianus ait, Adrianum fuiſſe omnium curioſitatum exploratorem. Vtinam curioſius de religione Chriſtiana etiam quæſiiſſet. Sed illud interea boni eſt exempli, quod non negligat, quæ abs præſidibus de ea referebantur. Varro apud Aulum Gellium teſtis eſt, moris maiorum fuiſſe, ut de rebus divinis prius quam de humanis ad Senatum referatur. Sed aliæ præterea cauſæ fuerunt, quæ præſides non malos impellerent, ut de Chriſtianis ad principes multa referrent. Traiani (ut videtur) reſcriptum minime repreſſerat calumniatorum audaciam, minimeque reſtinxerat illam odii publici flammam, qua Chriſtianorum innocentia conflagrabat. Chriſtianum eſſe, crimen erat: neque hoc ſuſtulerat Traianus. Non igitur deerat, quod adverſarii accuſarent. Præſides, qui æquiores videri volebant, ſi nihil præterea committeretur adverſus leges publicas, hærebant: atque ut cogitationis pœnam nullam eſſe abs Iurisconſultis audiebant, ſic privatæ religionis, quæ Rempubl. non perturbaret, quæſtionem ſtatim capitalem eſſe non putabant. Neque ſane tunc Romani tam moroſe, quam olim Græci *περὶ τῶν μυστηρίων* indicia exercebant. Seneca lib. 6. Controverſiarum, laudat actionem læſæ religionis. Sed inſolens & infrequens ea Romæ fuit. Itaque & Iulius Cæſar in medio Senatu ſententiam ſuam dicens de Catilinariis, aperte auſus eſt primam totius religionis partem

tem irridere. Sed & Granianus, & ſimiles multi præſides, intelligebant Chriſtianos magis eſſe religioſos (qualiscunque tandem eorum religio eſſet) quam ut in iis crimen impietatis hærere poſſet. Et forteſſe ſapientum iudicum aures circumſonabat nobilis illa ſententia Græci Oratoris: Non minus impium eſſe, eos qui non peccarunt, impietatis condemnare, quam impios abſolvere. Extat hæc Andocidis oratio *περὶ τῶν μυστηρίων*, quæ in Alcibiadis cauſa habita eſt. Sed ut Athienſem populum in ea cauſa mirabiliter tumultuatum eſſe, & ad omnem ſævitiam exarſiſſe narrant Thucydides & Plutarchus: agnoſcitque Iſocrates, nulla magis in re furentem multitudinem concitari & inſurgere, quam ubi quis myſteriorum reus eſt: ſic in Aſia Granianus ſenſit, eam hoc nomine vehementer inflammari. Nam & quo magis lenti in hac cauſa iudices eſſe viderentur, tanto adverſarii accuſatores magis fremebant, & inſanum populum incendebant. Clamabant, Chriſtianos eſſe hoſtes publicos. Vociferabantur, eſſe homines ſeditioſos atque flagitioſos. Si iudices ceſſarent, multitudo irruebat, & vim pro iure intendebat. Quid facerent attoniti Magiſtratus? Adrianus, ne propterea cedant, iubet. Ad tribunal & iudicia rem revocat: neque ſeditioſis vulgi clamoribus infelices reos opprimi atque obrui patitur. Iudæis Romani reliquerant iudicium Zeli (ut appellabatur) hoc eſt, ut ſine forma & ordine iudicorum poſſent in ſuæ gentis hominem, quem blasphemum eſſe putabant (ut loquebantur) ſtatim irruere, & alioqui etiam indemnatum

lapi-

lapidare. In Chriſtianos hoc ſibi licere multi etiam olim volebant, ut in homines ſacros, qui impune occiderentur. Cum hoc non permitteretur, fremebat multitudo, & publicis calamitatibus magis atque magis incendebatur. Si (inquit Tertullianus) Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in aura, ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues ſtatim CHRISTIANOS AD LEONEM, acclamatur. Quid igitur? Talibus allatrantis mundi rictibus atque rugitibus Adrianus ſe opponit. Cum aliquando Diocletianns Imp. aliquum abſolveret, circumſtans populus tumultuando reclamabat, morte dignum eſſe. Ille vero fortiter atque conſtanter alteram hanc ſententiem edidit: „ Vanæ populi voces non ſunt audien„dæ. Nec enim vocibus eorum credi oportet, „quando aut obnoxium crimine abſolvi, aut inno„centem condemnari deſiderant. Hoc Diocletiani reſponſum in Codicem conſtitutionum abs Iuſtiniano noſtro relatum eſt, capite 12. De pœn. Sed Adrianus hoc loco in cauſa Chriſtianorum tale aliquid prius pronunciaſſe atque edixiſſe videtur. Atque hoc etiam exemplo commotus aliquando ipſe Septimius Severus fuiſſe videri poſſet; nam Tertullianus ad Scap. narrat, eum in hac cauſa populo furenti in os palam reſtitiſſe. De Pontio Pilato, de Scriba Epheſio, & Tribuno Hieroſolymitano, nihil nunc dico: quos Sacræ literæ narrant, non ſtatim ceſſiſſe commotæ multitudini in crimine & quæſtione religionis. Sed profecto nunquam magis opponere

ſe

ſe Magiſtratus debet coortæ ſeditioni ignobilis vulgi, animis manibusque ſævientis. Ipſe Feſtus præſes Iudææ narrat regi Agrippæ, cum Iudæi expoſcerent Paulum ſtatim condemnari: ſe iis reſpondiſſe, non eſſe hunc Romanis morem, χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν, &c. ut ſcribit Lucas Act. 25. Eſt ergo etiam ex more maiorum, quod hic Adrianus edicit: Neque minus iuſtum eſt, quod ſuos præſides vetat populo furenti cedere. Egregium profecto, ſed difficile mandatum. Athenienſes olim præſtantiſſimum ſuum ducem Alcibiadem, læſæ religionis reum, arbitrio populi furentis damnare coacti ſunt, quo iure, qua iniuria: neque ſuum Socratem, qui minus etiam in eo genere peccarat, eripere potuerunt. Sed Adrianus non patitur, ut ius perfringat civium ardor prava iubentium. Plato cum de cauſa Socratis loquitur, graviter ait, tale crimen eſſe εὐδιάβολον πρὸς τοὺς πολλούς. Sed nulla tam ſpecioſa calumnia eſt, quæ etſi multitudinem facile incendat, vincere etiam iudices debeat. Fuit tamen Adriano facilius, ius in hac cauſa præſcribere, quam iudicibus tueri. Itaque non multo poſt eius mortem, & in Aſia & in Gallia præſides ceſſere populi inſanientis clamoribus: ut ex ſupplicio Polycarpi atque Photini intelligi poteſt, ſi relegantur illa quæ apud Euſebium extant, duo fragmenta duarum epiſtolarum eccleſiæ Smyrnenſis atque Lugdunenſis. Harum ego epiſtolarum iam ſæpe memini. Sed nihil habemus profecto

reli-

reliquum ex veteris Eccleſiæ monumentis, quod magis & ad id pertineat quod nunc quærimus, & ſit horum magis principum reſcriptis ſubiungendum. Certe quam hic vulgus contemneret non ſolum principum leges, ſed & præſidum auctoritatem, Tertullianus duobus verbis oſtendit in Apolog. Quoties (inquit) etiam præteritis vobis, ſuo iure" nos inimicum vulgus invadit lapidibus & incen-" diis, ipſis Bacchanalium furiis? Sed laudanda tamen eſt principum moderatio, qui talibus ſeſe furiis oppoſuerunt. Quid igitur præterea Adrianus voluerit, & quem ordinem hic obſervari, quod ius dici lege lata edixerit, audiamus. Hoc enim nunc quæritur.

Vbi in ius ventum eſt, & ſtatus eſt aliquis reus religionis Chriſtianæ, Adrianus vult more atque ordine cauſam agi. Sed ſi nullum aliud crimen proponatur quam nominis Chriſtiani, non videtur hoc ſolum ad criminalem quæſtionem referri voluiſſe. Ut id exiſtimem, facit Iuſtinus, qui hoc Adriani reſcripto non uteretur in religionis confeſſione, ſi hanc quoque ſolam voluiſſet Adrianus puniri. Utitur & eodem exemplo Melito Sardenſis, in ſua ad Lucium Verum Imp. Apologia: & aperte teſtatur, Adrianum atque Pium multis ſuis reſcriptis hoc egiſſe, ut Chriſtianorum calumniatores reprimerent. Sed & ipſe Pius in ſuo edicto teſtis eſt, hoc voluiſſe Adrianum, ne Chriſtiani vexarentur, niſi ſi res novas molirentur adverſus Imperium Rom. Quid igitur? Erant leges publicæ de criminibus. Si quid in eas peccatum ſit, iudicium dant. Adver-

ſus eas quid committebant, qui Chriſtiani ſimpliciter erant, quod quidem publico iudicio dignum eſſet? Sed accuſabantur maieſtatis, ſeditionis, adulterii, homicidii. Hic vero Adrianus vult cauſam tractari, reos audiri, inficiantes convinci, convictos puniri: ſi non convincantur, accuſatoribus calumniæ pœnam iuſtiſſimam irrogari. Hæc iudiciorum lex eſt. Hoc ius gentium eſt. Hoc in cauſa Chriſtianorum ſervari petit Iuſtinus, & petere ſe profitetur: quod & Adrianus ita ſtatuerit, & ius commune hoc dictet.

Adrianus Iudæos, qui perpetuo tumultuabantur, ad interneccionem prope delevit. Chriſtianos, quorum ſimpliciſſimam atque modeſtiſſimam vitam eſſe audiebat, non oderat: iiſque incolendam dediſſe dicitur urbem Hieroſolymitanam, pulſis Iudæis. Itaque eccleſia, quæ tempore Veſpaſiani Pellam commigrarat, redire potuit. Neque fide dignum eſt, quod adverſus aliorum ſcriptorum conſenſum ſcribit Sulpitius Severus, Adrianum, cum Chriſtianos exterminare vellet, in Iudæos & eorum templum ſæviſſe: quaſi his excifis, illi conciderent. Sane Lampridius in Alexandro narrat, Adrianum voluiſſe Chriſtum inter deos referre: proptereaque in omnibus civitatibus templa ſine ſimulacris, illi fieri iuſſiſſe. Sed prohibitum ab iis fuiſſe, qui ſacra ſua conſulentes reſponderunt, omnes Chriſtianos fore, ſi id optato eveniſſet, & reliqua deorum templa deſertum iri.

Cum

CumAthenis eſſet Adrianus, audierat Ariſtidem philoſophum Chriſtianum, & Quadratum eccleſiæ Atticæ miniſtrum: eorumque libellos Apologeticos ita legerat, ut adverſariorum calumnias ſatis intelligeret. Antea cum eſſet in Ægypto & Alexandriæ verſaretur (nam totum peragravit orbem Romanum) de Chriſtianis confuſe multa audierat: ſed pleraque falſa, & iis indigna. Nam & tenebras illi offundebant variæ ſectæ, quæ Alexandriæ omnia miſcebant, & permixti hæreticorum cœtus: denique magna talium hominum colluvies, quæ in illam civitatem confluxerat, faciebat, ut princeps Romanus liquido ſtatim diſcernere eccleſiam Chriſtianam vix poſſet. Eſt tamen operæ pretium, quid in tali confuſione reſcripſerit, audire. Nam quæ monſtra de Chriſtianis confingat vel ignorantia, vel error: hinc etiam æſtimare poterimus. Hanc Adriani epiſtolam de Ægyptiorum & Alexandrinorum moribus, ex libris Phlegontis liberti eius deſcriptam edidit Flavius Vopiſcus, cum Saturnini vitam ſcriberet. Ego qualem abs Vopiſco accepi, ſubiiciam.

ADRIANVS AVG. SERVIANO CONS. S.

Aegyptum, quam mihi laudabas, Serviane chariſſime, totam didici levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta

volitantem. Illi qui Serapim colunt, Chriſtiani ſunt: & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti epiſcopos dicunt. Nemo illic archiſynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum presbyter, non mathematicus, non aliptes. Ipſe ille Patriarcha cum in Aegyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chriſtum. Genus hominum ſeditioſiſſimum, vaniſſimum, iniurioſiſſimum. Civitas opulenta, dives, fœcunda: in qua nemo vivat otioſus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur: omnes certe lymphiones, cuiuscunque artis, & videntur & habentur. Podagroſi, quod agant, habent: cæci, quod agant, habent: ne chiragrici quidem apud eos otioſi vivunt. unus illis Deus eſt. Hunc Chriſtiani, hunc Iudæi, hunc omnes venerantur & gentes, &c.

Cum hanc Adriani epiſtolam legimus, ridiculam fabulam, & ægri ſomnia, & denique profani hominis deliria legimus. Sed hæc ipſa teſtimonia ſunt humanæ vanitatis, atque adeo cæcitatis, quæ in ſuis tenebris mira ſibi portenta fingit, cum de ignota religione iudicat. Legi aliquando Philonis Alexandrini libellum περὶ βίου θεωρητικοῦ, ubi deſcribit eorum ſodalitia, quos appellat θεραπευτὰς, & in agro Alexandrino coaluiſſe narrat, in eaque etiam deſcriptione meminit τῶν μοναστηρίων, multi putant

tant cœtus Chriſtianorum fuiſſe. Sed Philo ſic eos deſcribit, ut potius Eſſæorum ſimias deſcribere videatur. Quædam, quæ Chriſtianorum eius temporis eſſe potuerunt: quædam, quæ non potuerunt, commiſcet: & ex variis diverſisque membris monſtroſum corpus componit. Oportet Alexandriæ iam inde ab initio mirabilem fuiſſe & hominum colluvionem, & religionum confuſionem: denique Chriſtianos cum Iudæis atque ethnicis, hoc eſt, adverſariis ſuis, mirabiliter fuiſſe commixtos, ſi diſcerni vix poterant. Sed bene habet: Adrianus poſtea, quinam revera Chriſtiani eſſent, magis intellexit, & errorem ſuum utcunque correxit. Denique, hoc principe primum in toto orbe Romano, invaleſcente Chriſtiana religione, defeciſſe deorum (ut appellabantur) oracula, & deſiiſſe mactationem humanarum hoſtiarum, non temere veteres obſervarunt.

Adriano ſucceſſit Titus Antoninus Pius. Hunc Capitolinus ait valde ſuperſtitioſum fuiſſe, & alterum veluti Numam. Sed minime tamen ſeverus fuit vindex ſuorum ſacrorum. Adrianus Iudæos acerbiſſime vexavit. Pius iis minime moleſtus fuiſſe videtur, cum quidem etiam iure ſingulari permiſerit iis ſuam circumciſionem. Modeſtinus libro 6. Regularum: Circumcidere (inquit) Iudæis filios ſuos tantum, reſcripto divi Pii permittitur. In non eiusdem religionis, qui hoc fecerit, caſtrantis pœna irrogatur. Extat hic locus in Pandectis cap. 11. Ad leg. Corn. de ſicar. ubi & Adriani reſcripta capitalia eduntur duo, adverſus excindentes, exciſosve,

(f) 3 qui

qui vel caſtrant alios, vel caſtrari ſe ſinunt, ſive ſpadones, ſive thlibiæ ſint. Non exceperat Iudæorum circumciſionem Adrianus, qui de totius gentis excidio potius cogitabat. Sed Pius ita nunc eam excipit, ut ſolis tamen Iudæis hoc permittat. Ex Herodoto & Strabone & Ioſepho intelligi poteſt, non ſolos olim Iudæos circumciſione uſos eſſe. Antoninus ſomno videtur hoc pati voluiſſe. Interea Iudæis ſua ſacra reliquit.

Sed quid de Chriſtianis? Certe putabat, Adriani reſcripto ſatis eorum tranquillitati conſultum eſſe. Non putabat præſides talia mandata contemnere, & in homines innocentes ſine cauſa, ſine modo, ſine fine ſævire velle. Verum fallebatur. Quanto magis favere iis principes videbantur, tanto erant alii infeſtiores, & populus magis atque magis incendebatur. Nam & multa tunc vagabantur agmina hæreticorum, qui cum ſeſe Chriſtianos eſſe mentirentur, odium illud publicum inflammabant: & denique multa & flagitia & ſcelera committebant, quæ publica animadverſione digna erant. Quid igitur? Auſus eſt Iuſtinus communi Chriſtianorum nomine ſeſe ſiſtere Antonino Pio, Senatuique Romano: cauſam Chriſtianorum agere, eorum innocentiam tueri, adverſariorum calumnias depellere: denique Adriani reſcriptum obtendere. Verum etſi fortaſſe Romæ æquiores eſſent magiſtratus, tamen in provinciis crudeliter graſſabantur. Oroſius: Iuſtinus (inquit) librum pro Chriſtiana religione compoſitum, Antonino tradidit, benignumque eum erga Chriſtianos fecit. Euſebius teſtis

teſtis eſt, Pium ab aliis etiam appellatum eſſe, ut Chriſtianis, qui in Aſia miſere vexabantur, ſuccurreret. Sed & Melito Sardenſis in ſua ad Lucium Verum Antonini Pii F. Apologia, ſcribit, hunc Antoninum exemplo Adriani patris ſui reſcripſiſſe, περὶ τοῦ μηδὲν νεωτερίζειν περὶ χριστιανῶν. Mitto Xiphilinum, qui narrat, eum vehementer amaſſe Chriſtianos: & beneficia, quibus eos Adrianus perſequebatur, etiam auxiſſe. Ipſe Pius in ſuo quodam edicto, quod extat, teſtis eſt, ſeſe eorum cauſſam exemplo Adriani patris ſui, adverſus calumniatores multis reſcriptis defendiſſe. Hæc reſcripta nunc interciderunt. Sed Euſebius edictum, quod dixi, commemorat; quanquam paulo aliter ſcriptum ſit in altero eius exemplo, quod Iuſtini operibus aſſutum eſt.

Αυτοκράτωρ καῖσαρ μάρκος αὐρήλιος ἀντωνῖνος σεβαστὸς, ἀρμένιος, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον καὶ δέκατον, ὕπατος τὸ τρίτον, τῷ κοινῷ τῆς ἀσίας χαίρειν. ἐγὼ μὲν οἶδ᾽ ὅτι καὶ τοῖς θεοῖς ἐπιμελές ἐστι, μὴ λανθάνειν τοὺς τοιούτους. πολὺ γὰρ μᾶλλον ἐκεῖνοι κολάσαιεν ἂν, τοὺς μὴ βουλομένους αὐτοὺς προσκυνεῖν, ἢ ὑμεῖς, οὓς εἰς ταραχὴν ἐμβάλλετε, βεβαιοῦντες τὴν γνώμην αὐτῶν ἣν περιέχουσιν, ὡς ἀθέων κατηγοροῦντες. εἴη δ᾽ ἂν κἀκείνοις αἱρετὸν, τὸ δοκεῖν κατηγορουμένους τεθνάναι μᾶλλον, ἢ ζῆν, ὑπὲρ τοῦ οἰκείου θεοῦ. ὅθεν καὶ νικῶσι προϊέμενοι τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς, ἤπερ πειθόμενοι οἷς ἀξιοῦτε πράττειν αὐτούς. περὶ δὲ τῶν σεισμῶν τῶν γεγονότων, καὶ γινομένων, οὐκ ἄτοπον ὑμᾶς ὑπομνῆσαι, ἀθυμοῦντας μὲν ὅταν περ ὦσι, παραβάλλοντας δὲ τὰ ἡμέτερα πρὸς τὰ ἐκείνων. οἱ μὲν οὖν εὐπαῤῥησιαστότεροι γίνονται πρὸς τὸν θεόν· ὑμεῖς δὲ παρὰ πάντα τὸν χρόνον καθ᾽ ὃν ἀγνοεῖν δοκεῖτε, τῶν τε θεῶν καὶ τῶν ἄλλων ἀμελεῖτε, καὶ τῆς θρησκείας τῆς περὶ τὸν ἀθάνατον, ὃν δὴ τοὺς χριστιανοὺς θρησκεύοντας

ἐλαύνετε καὶ διώκετε ἕως θανάτου. ὑπὲρ δὲ τῶν τοιούτων ἤδη καὶ πολλοὶ τῶν περὶ τὰς ἐπαρχίας ἡγεμόνων, καὶ τῷ θειοτάτῳ ἡμῶν ἔγραψαν πατέρι. οἷς καὶ ἀντέγραψε, μηδὲν ἐνοχλεῖν τοῖς τοιούτοις, εἰ μὴ ἐμφαίνοιντό τι περὶ τῶν ῥωμαίων ἡγεμονίαν ἐγχειροῦντες, καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν, οἷς δὴ καὶ ἀντέγραψα, κατακολουθῶν τῇ τοῦ πατρὸς γνώμῃ. εἰ δέ τις ἐπιμένοι τινὰ τῶν τοιούτων εἰς πράγματα φέρων ὡς δὴ τοιοῦτον, ἐκεῖνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελύσθω τῶ ἐγκλήματος. καὶ ἐὰν φαίνηται τοιοῦτος ὤν, ὁ δὲ καταφέρων, ἔνοχος ἔσαι δίκης. προσετέθη ἐν ἐφέσῳ, ἐν τῷ κοινῷ τῆς ἀσίας.

Etſi, quod nunc deſcripſi ex libro quarto Euſebii Hiſtor. eccleſ. multo ſit emendatius, quam quod libris Iuſtini aſcriptum eſt: tamen hic etiamnum quædam inſunt maculæ, quæ ex alterius exemplaris collatione tollendæ ſunt. Principio hic mendoſe legitur, μάρκος: ibi recte, τίτος. Conſtat enim hunc Titum Antoninum, qui Pius, non autem Marcum, qui Philoſophus dictus eſt, fuiſſe. Sic & in Pandectis modo Titus Antoninus, modo Antoninus Magnus, modo Divus Pius appellatur. Porro quod hic adiicitur βεβαιοῦντες, ibi non eſt: ut ſimpliciter intelligamus, accuſatores eſſe Chriſtianos ut homines impios. Adiiciuntur autem, quæ hic deſunt: καὶ ἕτερά τινα ἐμβάλλετε, ἅ τινα ὐ δυνάμεθα ἀποδεῖξαι. Quod paulo poſt hic eſt, ἢ ζῆν, non eſt in illo: & profecto ſuperfluum videtur. Porro Ruffinus, interpres Latinus, deinde aſſuit, quod Græce nusquam eſt: hoc nempe, Ad Chriſtianorum invidiam communes caſus transferri. Scio equidem fuiſſe hanc quoque veterem calumniam, qua Chriſtiani premebantur: & facile ſuſpicor, terræ motuum, de quibus hic agitur,

cau-

cauſam vulgo fuiſſe aſcriptam Chriſtianorum religioni. Sed Pius id non exprimit hoc loco.

Nunc de huius edicti ſententia breviter videamus. Scribit τῷ κοινῷ τῆς ἀσίας. Sic in Pandectis cap. 17. De iudic. cap. 6. De excuſ. & cap. 5. Ad leg. Iul. de vi. & cap. 25. De appellat. Cicero hoc exemplo dixit aliquando, commune. Hunc Antoninum pro Chriſtianis nominatim etiam aliquid reſcripſiſſe Lariſſæis, Theſſalonicenſibus, & Athenienſibus, narrat Melito Sardenſis in ſua ad L. Verum Apologia. Porro quod hic Antoninus principio ſignificat, Chriſtianos deorum, quibus ſacrificare nolunt, iudicio relinquendos eſſe: hoc facere videtur, ad eludendam pœnam. Sane & Tiberius apud Cor. Tacitum, ait, deorum iniurias diis curæ eſſe. Et Alexander Imp. aliquando in hunc modum reſcripſit: Iurisiurandi contempta religio ſa-" tis Deum ultorem habet. l. 2. C. de rebus credi." Non diſſimiliter nunc Antoninus, de ſuorum deorum religione. Quod autem ait, accuſatos fuiſſe Chriſtianos tanquam homines ἀθέους: optime intelligi poteſt ex Iuſtini ad eum Apologia. Nam & hic huic crimini reſpondit: Si athei appellantur qui deos falſos non colunt, Chriſtianos eſſe Atheos. Atheos tamen recte non appellari, qui verum Deum colunt. Clemens Alexandrinus miratur, cur olim ἄθεοι dicti ſint Diagoras, Theodorus, Evemerus, & ſimiles, qui idola ridebant. Sed cum omne Numen plane reiicerent, merito ſic appellati ſunt. Impie vero & inepte ad Chriſtianos hoc crimen detortum eſt. Euſebius in libris περὶ παρασκ. laudat Epi-

cureos & Cynicos, quod idolorum vanitatem, hoc eſt, eos qui tunc colebantur deos irriſerint. Interea quod nihil de Deo vero recte ſentirent, vituperat. Paulo poſt hoc edictum Antonini, Polycarpus in Aſia, quia Chriſtianus eſſet, accuſatus etiam eſt τῆς ἀθεότητος. Multitudo circumſtans præſidem, acclamabat: Tolle ἀθέους. Sic enim Chriſtianos exterminandos eſſe ſignificabat. Iubetur Polycarpus ſimiliter acclamare. Ille vero oculos in cœlum attollens, & ingemiſcens exclamat: O Deus, tolle ἀθέους. Sic impios & idololatras, & adverſarios denique ſuos notavit. Quod de terræ motibus hic ſcribit Antoninus, non temere facit; conſtat eos in Aſia frequentes eſſe: & vero frequentiſſimos fuiſſe, quo tempore Chriſtiani vexabantur. Illud vero nimis indignum fuit, quod Chriſtianis omnes publicæ clades aſcribebantur ab iis, qui eas ſibi accerſebant. Antoninus, quam eſſet hoc indignum, ex Iuſtini Apologia intellexerat. Sed hac tamen invidia multis poſt ſeculis conflagrarunt Chriſtiani: ut intelligi poteſt ex Tertulliano in Apolog. Cypriano contra Demetr. Arnobio contra Gentes, & Auguſtino de Civitate Dei, & Auguſtini diſcipulo Oroſio.

Poſtremo Antoninus aperte ſtatuit, ne quis eo ſolo nomine quod Chriſtianus ſit, reus fiat: aut ſi fiat, abſolvatur: accuſator vero condemnetur. Sic enim & Adriani reſcriptum confirmavit: & quod ſublata inquiſitione reliquerat Traianus, iudicium ſuſtulit. Sed quid impetravit? Nulla unquam magis contempta principum Rom. edicta fuere, quam

quæ

quæ Chriſtianis favere viſa ſunt. Poſt hoc edictum Antonini, & in Aſia, & in Gallia, in Chriſtianos non minus quam antea ſævitum eſt. Polycarpus ſenex octogenarius, Smyrnæ crudeliſſimis flammis extinctus eſt. In Gallia, Lugduni multo plures ad hanc laniænam pertracti ſunt. Sed ea hiſtoria repetatur ex illis duabus, quarum iam ſæpe memini, Eccleſiaſticis epiſtolis. Credo equidem hanc carnificinam Galeno, qui tunc vivebat, minime placuiſſe. Sed ei mederi non poterat: & Chriſtianos, ut fatuos, ſua ſapientia inflatus contemnebat. Nam & ipſius Moſeos atque Chriſti διατριβὴν (ut vocat) ἀνυπόδεικτον irridet, lib. 2. de Different. pul. Maioris tunc auctoritatis erat Cervidius Scævola Iurisconſult. Sed magis etiam erat profanus, & a vera religione abhorrens. Quid igitur? Antonino Pio ſucceſſit M. Antoninus Philoſophus, qui inter Salios ſacerdotes educatus, valde initio fuit Chriſtianis iniquus. Extat in Pandectis quoddam eius reſcriptum, cap. 30. De pœn. Relegandos eſſe in inſulam, qui aliquid fecerint, quo leves hominum animi ſuperſtitione numinis terreantur. Quos hic notet, neſcio. Sed ſola relegatione Chriſtianorum, tunc Præſides contenti non erant: neque hic princeps ſuæ ſuperſtitionis auctores relegari voluit, quos mirabiliter colebat. Multi ſane illi oblati ſunt libelli Apologetici pro Chriſtianis: ſed nihil impetraſſe videntur. Miſſus ad eum etiam legatus Athenagoras philoſophus Athenienſis. Sed neceſſe tandem fuit, ut Deus ipſe novo & ſingulari beneficio fractum

atque

atque victum commoneret. Graviſſimum hic Antoninus in Germania bellum gerebat, adverſus Marcomannos: cuius cauſa non ſolum & ſervos armavit, & gladiatores, ſed & legionem unam Chriſtianorum ex Armenia evocavit. Hæc ſuis ad Deum precibus, in ſumma ſiccitate impetraſſe dicitur pluviam, quæ languentem Romanorum exercitum recrearet: ſimulque fulmen, quod hoſtes percelleret. Euſebius libro quinto conqueritur, profanos ſcriptores huius talis tantique beneficii gloriam Chriſtianis eripere voluiſſe. Et vero Capitolinus eam ipſi potius Antonino aſcribit: Fulmen (inquit) precibus ſuis contra hoſtium machinamenta extorſit, ſuis pluvia impetrata, cum ſiti laborarent. Dio cuidam Arnuphi mago Ægyptio acceptum hoc refert. Sed eum facile refellit Xiphilinus, cum & ipſe Dio paulo poſt mentionem fecerit legionis *κεραυνοβόλου*. Sic enim dicta fuit illa Chriſtianorum legio, Fulminatrix. Sed neque tam ingratus fuit Antoninus, quin hoc agnoverit atque prædicarit: ut mox intelligemus. Tertullianus, cuius ætate recens adhuc erat huiusce facti memoria, diligenter „hanc tuetur, ad Scap. Marcus (inquit) Aurelius „in Germanica expeditione, Chriſtianorum militum „orationibus ad Deum factis, imbres in ſiti illa im„petravit. Tum adiicit: Quando non genicula„tionibus & ieiunationibus noſtris etiam ſiccitates „ſunt depulſæ? Significat, ſæpius tales pluvias abs Chriſtianis impetratas eſſe. Certe & poſt tempora Tertulliani, Theodoſio pugnanti divinum auxilium non diſſimile adfuiſſe, canit Claudianus. Sed

(quod

quod nunc quærimus) ecquid Marcus Antoninus
Chriſtianis rependit? Tertullianus in Apolog.“
De tot (inquit) principibus ad hodiernum, divi-“
num humanumque ſapientibus, edite aliquem de-“
bellatorem Chriſtianorum. At nos contrario edi-“
mus protectorem. Si literæ Marci Aurelii gravis-“
ſimi Imperatoris requirantur, quibus illam Ger-“
manicam ſitim, Chriſtianorum forte militum pre-“
cationibus impetrato imbre diſcuſſam conteſta-“
tur: ſicut non palam ab eiusmodi hominibus pœ-“
nam dimovit, ita alio modo palam diſperſit, adiecta“
etiam accuſatoribus damnatione, & quidem tetrio-“
re. Hæc Tertullianus de literis M. Antonini, & ea-
rum veluti argumento. Oroſius hanc quoque hi-
ſtoriam pluribus verbis exponit, & illud adiungit:
Extare etiamnum apud pleroſque dicuntur literæ“
Imperatoris Antonini, ubi invocatione nominis“
Chriſti per milites Chriſtianos, & ſitim illam de-“
pulſam, & collatam fuiſſe fatetur victoriam.“
Equidem has ego literas diu requiſivi, quas Chri-
ſtiani nominis hoſtes olim ſupprimere voluiſſe vi-
dentur: tandemque eas Græce ſcriptas reperi, caſu
quodam aſſutas operibus Iuſtini: nonnullis certe
locis mutilas atque mendoſas, ſed in eo quod nunc
præcipue quærimus, integras.

Αὐτοκράτωρ καῖσαρ μάρκος, αὐρήλιος, ἀντωνῖνος, γερμανικὸς, παρθικὸς, σαρματικὸς, δήμῳ ῥωμαίων καὶ τῇ ἱερᾷ συγκλήτῳ χαίρειν. Φανερὰ ὑμῖν ἐποίησα τὰ τοῦ ἐμοῦ σκοποῦ μεγέθη, ὁποῖα ἐν τῇ γερμανίᾳ ἐκ περιστάσεως διὰ περιβολῆς ἐπακολουθήματα ἐποίησα, ἐν τῇ μεθορίᾳ καμὼν

καὶ

καὶ παθῶν, ἐν κοτίνῳ καταλαυβανομένȣ μου ὑπὸ δρακὸν τῶν ἑβδομήκοντα τεσσάρων ἀπὸ μιλίων ἐννέα. γενομένων δὲ αὐτῶν ἐγγὺς ἡμῶν, ἐξπλωράτωρες ἐμήνυσαν ἡμῖν, καὶ πομπηϊανὸς ὁ ἡμέτερος πολέμαρχος ἐδήλωσεν ἡμῖν, ἅ]ινα εἴδομεν. καταλαμβανόμενος δὲ ἤμην ἐν μεγέθει πλήθους ἀμίκτον, καὶ ςρατευμάτων λεγεῶνος, πρίμας δεκάτης γεμιναΦρεντησία μίγμα κατηριθμημένου, πλήθη παρεῖναι παμμίκτου ὄχλȣ χιλιάδων ἐνακοσίων ἑβδομήκοντα ἑπ]ὰ. ἐξετάσας οὖν ἐμαυ]ὸν καὶ τὸ πλῆθος τὸ ἐμὸν πρὸς τὸ μέγεθος τῶν βαρβάρων καὶ πολεμίων, κατέδραμων εἰς τὸ θεοῖς εὔχεσθαι πατρῴοις. ἀμελούμενος δὲ ὑπ᾽ αὐτῶν, καὶ τὴν ςενοχωρίαν μου θεωρήσας τῆς δυνάμεως, παρεκάλεσα τοὺς παρ᾽ ἡμῖν λεγομένους χριςιανοὺς, καὶ ἐπερωτήσας εὗρον πλῆθος καὶ μέγεθος αὐτῶν, καὶ ἐμβριμησάμενος εἰς αὐτοὺς, ὅπερ οὐκ ἔπρεπε, διὰ τὸ ὕςερον ἐπεγνωκέναι με τὴν δύναμιν αὐτῶν. ὅθεν ἀρξάμενοι οὐ βελῶν παράρτησιν, οὔτε ὅπλων, οὔτε σαλπίγγων, διὰ τὸ ἐχθρὸν εἶναι τὸ τοιȣτο αὐτοῖς διὰ τὸν θεὸν ὃν Φοροῦσι κατὰ συνείδησιν. εἰκὸς οὖν ἐςὶν, ȣ῝ς ὑπολαμβάνομεν ἀθέους εἶναι, θεὸν ἔχουσιν αὐτόματον, ἐν τῇ συνειδήσει τετειχισμένον. ῥίψαντες γὰρ ἑαυτȣ̀ς ἐπὶ τὴν γῆν, οὐχ ὑπὲρ ἐμοῦ μόνον ἐδεήθησαν, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τοῦ παρόντος ςρατεύματος παρήγοροι γενέσθαι δίψης, καὶ λιμοῦ τῆς παρούσης. πεμπ]αῖοι γὰρ ὕδωρ οὐκ εἰλήΦειμεν, διὰ τὸ μὴ παρεῖναι. ἦμεν γὰρ ἐν τῷ μεσομΦάλῳ τῆς γερμανίας, καὶ τοῖς ὅροις αὐτῶν. ἅμα δὲ τῷ τούτοις ῥίψαι ἐπὶ τὴν γῆν ἑαυτοὺς, καὶ εὔχεσθαι θεῷ, ᾧ ἐγὼ

ἐγὼ ἠγνόουν, εὐθέως ὕδωρ ἠκολούθει οὐρανόθεν, ἐπὶ μὲν ἡμᾶς ψυχρότατον, ἐπὶ δὲ τοὺς ῥωμαίων ἐπιβούλους χάλαζα πυρώδης. ἀλλὰ καὶ εὐθὺ θεοῦ παρουσίαν ἐν εὐχῇ γινομένην παραυτίκα, ὡς ἀνυπερβλήτου καὶ ἀκαταλύτου. αὐτόθεν οὖν ἀρξάμενοι, συγχωρήσωμεν τοῖς τοιούτοις εἶναι χριϛιανοῖς, ἵνα μὴ καθ' ἡμῶν τι τοιοῦτον αἰτησάμενοι ὅπλον ἐπιτύχωσι. τὸν δὲ τοιοῦτον συμβουλεύω διὰ τὸ τοιοῦτον εἶναι χριϛιανὸν, μὴ ἐγκαλεῖσθαι. εἰ δὲ εὑρεθείη τὶς ἐγκαλῶν τῷ χριϛιανῷ, ὅτι χριϛιανός ἐϛι, τὸν μὲν προσαγόμενον χριϛιανὸν πρόδηλον εἶναι βούλομαι γίνεσθαι, ὁμολογήσαντα τοῦτο, ἄλλο ἕτερον μηδὲν ἐγκαλούμενον, ἢ ὅτι χριϛιανός ἐϛι μόνον. τὸν προσάγοντα δὲ τοῦτον, ζῶντα καίεσθαι. τὸν δὲ χριϛιανὸν ὁμολογήσαντα, καὶ συνασφαλισάμενον περὶ τοῦ τοιούτου, τὸν πεπιϛευμένον τὴν ἐπαρχίαν εἰς μετάνοιαν καὶ ἀνελευθερίαν τὸν τοιοῦτον μὴ μετάγειν. ταῦτα δὲ καὶ τῆς συγκλήτου δόγματι κυρωθῆναι βούλομαι, καὶ κελεύω τοῦτο μου τὸ διάταγμα ἐν τῷ Φόρῳ τοῦ Τραϊανοῦ προτεθῆναι, πρὸς τὸ δύνασθαι ἀναγινώσκεσθαι, Φροντίσει ὁ πραίφεκτος Βηράσιος Πολλίων εἰς τὰς περιξ ἐπαρχίας πεμφθῆναι. πάντα δὲ τὸν βουλόμενον χρῆσθαι καὶ ἔχειν, μὴ κωλύεσθαι λαμβάνειν ἐκ τῶν προτεθέντων παρ' ἡμῶν.

Principium huius reſcripti mendoſum eſſe dixi, nec ſine alterius exemplaris ope reſtitui & caſtigari poſſe puto. Nec vero ad id quod nunc agimus, valde pertinent. Pars ſecunda, qua victoriam ſuam deſcribit Antoninus, & Chriſtianorum precibus fert acceptam, longiorem commentarium

tarium minime requirit. Pars poſtrema, quæ huius proprie loci eſt, duo capita continet. Iubet, ut qui in ius vocatur, quod Chriſtianus ſit, neque alio præterea crimine tenetur, liberari: neque abs præſide provinciæ ad aliquam pœnitentiam traduci, aut quicquam propterea de ſuo iure amittere: etſi, quod obiicitur religionis crimen, in iure confiteatur. Imo vero accuſatorem ipſum, qui hoc eum ſolo nomine in ius adduxit, non ſolum tanquam improbum calumniatorem damnari, ſed & vivum exuri. Non enim crimen eſſe, quod in iudicium vocari debeat, Chriſtianam religionem. Hoc autem ſuum edictum hic Antoninus vult etiam Senatusconſulto confirmari: & ubi patres auctores facti erunt, in foro Traiani publice proponi, & deſcriptum ad omnes provinciarum præſides transmitti.

Sic tandem M. Antoninus omnibus permiſit impune eſſe Chriſtianis: & quam Traianus accuſationem permiſerat, propoſita in foro Traiani nova lege non ſolum ſuſtulit, ſed & talionis veluti pœna caſtigavit. Denique ingenue confeſſus, quod reipſa compererat, verum abs Chriſtianis Deum coli, etſi vulgo *ἄθεοι* appellentur. Nullum iis maius teſtimonium religionis & innocentiæ reddi, nullaque nobiliori ſanctione libertas eorum communiri potuit. Sed quam in hac cauſa ſanctionem non contemnit, quam legem non perrumpit adverſariorum impietas, ad omnem audaciam proiecta? Si quam fuerint vulgo contempta, quæ pro Chriſtianis edicta principes edebant, cogitemus, ludibria potius quædam fuiſſe dicemus. Ulpianus ait, non

debere

debere illuſoria eſſe Prætorum decreta. Recte. Sed principum edicta an eludi debuerunt, quia forte religioſa videbantur? Vix mortuus Marcus Antoninus erat, cum Apollonius ſenator Romanus, indicio ſui ſervi propter religionem Chriſtianam reus factus eſt: eamque confeſſus, cuius & in Senatu rationem reddidit, capitis pœnas dedit. Euſebius & Hieronymus ſignificant, Senatum ad ſententiam tam crudelem adactum fuiſſe veteri quadam lege, quæ Chriſtiani nominis reum abſolvi non pateretur. Quæ tandem lex iſta fuit? cuius vel auctoris, vel temporis? Indici huic ſervo, pro præmio, Senatus crura confringi iuſſit. Fuiſſe hanc veterem calumniatorum pœnam, Cicero ſcribit. Et in hoc ſupplicio irrogando Senatus ſecutus videtur iudicium Tiberii, Adriani, & Antoninorum: quibus, ut dictum eſt, placuit, Chriſtianorum accuſatores puniri. Sed profecto neque Adrianus, neque Antoninus Pius, reos abſolvi vetuit.

Interea dum hæc Romæ iudicia exercerentur, Lugdunenſem provinciam legatus regebat Septimius Severus, & eodem loco Eccleſiam Irenæus. Non dubium eſt, quæ tunc illic de Chriſtianis ſumpta ſupplicia eſſe dicuntur, huius Severi imperio irrogata fuiſſe. Quid vero paulo poſt, cum Romanus Imperator fuit? Spartianus ait, eum vetuiſſe ſub gravi pœna, Iudæos fieri. Idemque & de Chriſtianis ſanxiſſe. Audio acerbum edictum: neque adhuc acerbius ullum editum fortaſſe fuerat, quod quidem ad omnes æque pertineret; & vero Apologeticæ querelæ Tertulliani teſtes ſunt, magnam

eorum temporum ſævitiam fuiſſe. Verum non fuiſſe hanc Severi perpetuam & conſtantem voluntatem, partim ex Pandectis, partim ex ipſo Tertulliano didici. Vlpianus libro tertio De officio proconſulis, cap. 3. De Decur. ait: Eos qui Iudaicam ſuperſtitionem ſequuntur, Divi Severus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt. Sed & neceſſitates eis impoſuerunt, quæ ſuperſtitionem eorum non læderent, Alciatus ſine cauſa putat ad Chriſtianos id pertinere, & eorum religionem hic appellari Iudaicam ſuperſtitionem: hocque illis indultum eſſe, quia eorum precibus impetrata ſit pluvia, qua Romanus exercitus ſiti laborans fuerit recreatus. Itaque hic, non SEVERVM, ſed VERVM legere vult, & Verum appellari M. Antoninum contendit. Sed prius probet, Iudaicam ſuperſtitionem appellari in Pandectis religionem Chriſtianam. Certe Ulpianus in libris ſuis De officio proconſulis, ex quibus eſt deſcriptum illud in Pandectis caput tertium De Decur. reſcripta principum contra Chriſtianos colligebat, ut paulo poſt probabo. Sed & Modeſtinus cap. 15. De excuſat. nominatim ad Iudæos refert ſuperiorem conſtitutionem. Neque novum eſt, Romanos principes multa Iudæis conceſſiſſe. Scio equidem extare in Codice quoddam Antonini Caracallæ reſcriptum, quo videtur Iudæorum collegium iudicare illicitum, quia non recte illi legari ait. l. 1. C. De iud. Sed iam admonui, hos principes in his cauſis ſæpe ſententiam mutaſſe. Quod ad Chriſtianos attinet, hæc Tertulliani ad Scap. verba ſunt: Ipſe etiam Severus, pater Antonini, Chriſtianorum memor

fuit.

fuit. Nam & Proculum Chriſtianum, qui Torpa-"
cion cognominabatur, Enhodeæ procuratorem,"
qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſi-"
vit, & in palatio ſuo habuit usque ad mortem eius:"
quem & Antoninus optime noverat, lacte Chri-"
ſtiano educatus. Sed & clariſſimas fœminas & cla-"
riſſimos viros Severus ſciens huius ſectæ eſſe, non"
modo non læſit, verum teſtimonio exornavit: &"
populo furenti palam in os reſtitit. Hic Tertullia-"
ni locus teſtis eſt, Septimium Severum alieno abs Chriſtianis animo ſemper non fuiſſe. Sed favor propter curationem magis fuit, quam propter religionem: & privatus quidem favor, propter quem interea nihil ſit remiſſum de publica illa ſævitia, qua Chriſtiani vexabantur. Nam neque Severus ullo edicto, ut Chriſtianis parceretur, publice imperavit: qui tamen quam eo tempore crudeliter vexarentur, ex ipſo quoque Tertulliano intelligi poteſt. Atque is quidem narrat, præſidem quendam Cappadociæ Claudium Herminianum, cum indigne ferret uxorem ſuam Chriſto nomen dediſſe, & in Chriſtianos deſæviiſſet, & abs vermibus propterea corroſus eſſet, tandem cognito errore ſuo pene Chriſtianum deceſſiſſe. Hunc eſſe illum Claudium Herminianum, cuius Papinianus in Pandectis mentionem facit, & quem clariſſimum virum appellat, nuper doctiſſimus Iurisconſultus admonuit. Certe temporibus Severi proconſulem eum fuiſſe, facile credo: quibus & Papinianus prætorio præfectus erat. Sed ſæpe mirari cogor, Papinianum, qui veluti ſummus

tunc erat Prætor, auctorem non fuiſſe, ut barbara illa feritas præſidum Chriſtianos exagitantium aliquando reprimeretur: ſaltem ad aliquam iudiciorum legem, rationem, ordinem revocaretur. Quid enim? Cum (ut Ciceronis verbis utar) crimen eſt ſine accuſatore, ſententia ſine conſilio, damnatio ſine defenſione, certe immanis quædam barbaries eſt. Superior locus Tertulliani, Antoninum Severi filium, quem & Caracallam appellant, lacte Chriſtiano educatum, non omnino abs Chriſtianis averſum fuiſſe ſignificat. Sed ſi eius tempora conſideremus, vix ulla fuerunt Eccleſiæ iniquiora, non fuit maior confuſio ſacrorum omnium, quæ maxima fuit, imperante Heliogabalo: qui paulo poſt ſecutus eſt, & unum toto orbe Deum Heliogabalum coli voluit, in eiusque ſacrarium, quod Romæ extruxit, & Iudæorum & Samaritanorum & Chriſtianorum religionem inferri atque includi, ut Lampridius narrat. Succeſſit tandem Alexander Severus Mammæus: quem verius dixerimus lacte Chriſtiano educatum fuiſſe. Matrem habuit Mammæam, fœminam (ut Hieronymus ait) religioſam, & Origenis (ut ſcribit Euſebius) diſcipulam. Abs tali magiſtra, matreque, Alexander videtur de Chriſtianis multa libenter audiiſſe, quæ deinde ſæpe in ore habuit: veluti illam eorum ſententiam, QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. In deligendis provinciarum præſidibus, ſecutus eſt morem quendam Chriſtianorum, miniſtros Eccleſiæ diligentium. Denique Chriſtum in ſuo Larario coluiſſe dicitur, publicumque

que etiam templum illi extruere voluiſſe: quanquam id voluerit magis quam fecerit, ſicuti & de Adriano ſupra commemoravi. Addit Lampridius, cum Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent: contraque popinarii contenderent, ſibi eum potius deberi: conſultum hunc Alexandrum reſcripſiſſe, melius eſſe ut quomodocunque Deus illic colatur, quam popinariis dedatur. Ergo Chriſtianis non modo liberam religionis ſuæ, & publicam confeſſionem, ſed & locum in urbe conceſſit. Verum edictum eius nullum audio, quo præſidum in provinciis gladii a cervicibus Chriſtianorum depellerentur, ignes extinguerentur, cruces deiicerentur. An, qui huius principis conſiliis præerant Iuriſconſulti, & præſides illos, ſi ceſſarent, impellebant, & gladios diſtringebant, & ignes excitabant, & cruces defigebant? Atqui nunquam plures, iuſtiores, æquiores Prudentes Principem circumdediſſe dicuntur: inter quos Lampridius numerat & Ælium Serenianum, & Quintilium Marcellum: illumque, virum omnium ſanctiſſimum: hunc, tam bonum, ut ne meliorem quidem hiſtoriæ ullum commemorent, fuiſſe ait. Quid de eorum collegiis dicam? Legiſlatores illi noſtri ſunt, quorum ſapientiam in Pandectis admiramur. Sint ſane. Sed Chriſtianis inimicos nihilominus fuiſſe, facile ſuſpicor: neque tam bonus & a ſanguine abhorrens erat Domitius Vlpianus, qui tunc præfectus prætorio fuit, quin ambitioſe & crudeliter quædam faceret. Certe Flavianum & Chreſtum interfeciſſe, ut eis ſuccederet, narrat Dio. Verum

ſuſpicionem meam confirmat Lactantius, qui libro quinto, cap. 11. poſteaquam de crudelitate adverſariorum multa dixit: Quin etiam (inquit) ſcelera-„tiſſimi homicidæ contra pios iura impia condide-„runt. Nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſpu-„tationes Iuriſconſultorum leguntur iniuſtæ. Do-„mitius de officio proconſulis libris ſeptem reſcri-„pta principum nefaria collegit, ut doceret, quibus „pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur. Hic videtur fuiſſe Domitius Ulpianus, Iurisconſultorum (ſic enim dictus eſt) Coryphæus, qui De officio proconſulis libros decem ſcripſit. Nam & quo in Chriſtianos animo fuerit, ille in Pandectis locus, cap. 1. De ext. cognit. indicat, ubi videtur eos appellare impoſtores: quorum eſſe ait verbum exorcizandi. Fuit hoc certe verbum Chriſtianorum, & Hieronymus ad Marcellam ſignificat, Chriſtianos vulgo & in triviis dictos eſſe impoſtores. Quid igitur Domitius Ulpianus? Is certe Alexandrum Severum regebat, & eius nomine proconſulibus in provincias ituris mandata dabat. Sed cum videret abs Chriſtianis non alienum, ab eorum certe ſanguine abhorrentem, vix impelli poſſe, ut de iis exterminandis aliquid ediceret: videtur (ſi modo is eſt, de quo Lactantius loquitur) vetera impiorum tyrannorum reſcripta Proconſulibus obieciſſe, ut ex iis ſuum in hoc genere officium æſtimarent. Non extant hi De officio proconſulis libri Domitii. Multa in Pandectis ſuperſunt eorum fragmenta: ſed in his verbum nullum de Chriſtianis. Unus extat locus ex libro 3. ubi laudatur Severi

& An-

& Antonini reſcriptum, quo Iudæis permittitur, honores adipiſci: cap. 3. De Decur. An Ulpianus, quo magis Chriſtianos ureret, hoc commemoravit? Ut Iulianus Imp. odio Chriſtianorum faviſſe Iudæis dicitur. Potuiſſet profecto Ulpianus plura pro Chriſtianis reſcripta principum colligere, ſi voluiſſet. Ea maligne ſupprimere, & adverſaria etiam confingere, non eſt certe boni (ut molliſſime loquar) Iurisconſulti. Nihil temere & intemperanter dicere hic velim. Sed quæ tandem illa eſſe potuerunt tam multa de excruciandis Chriſtianis principum reſcripta? Sane cum eo tempore, Tertulliano cauſam Chriſtianorum agenti, obiicerentur leges Romanæ, quæ illos non ferre dicerentur, exclamavit Tertullianus: Quales truces leges iſtæ, quas ad-" verſus nos ſoli exercent impii, iniuſti, turpes, de-" mentes, vani? quas Traianus ex parte fruſtratus" eſt, vetando inquiri Chriſtianos: quas nullus" Adrianus, quanquam curioſitatum omnium ex-" plorator: nullus Veſpaſianus, quanquam Iudæo-" rum debellator: nullus Pius, nullus Verus im-" preſſit, &c. Quid Tertulliano reſpondere potuit Domitius? An Neronis & Domitiani exempla obiiceret? At iis quoque Tertullianus occurrit. Verum fuerint ſanæ leges illorum tyrannorum mandata. Saltem poſteriorum principum edictis novis erant ſublatæ. Sic enim Ulpianus ipſe docebat, conſtitutiones priores poſterioribus tolli. An in hac cauſa alio iure utebatur? Tertullianus teſtatur, dictitatum tunc fuiſſe, non modo eſſe Chriſtianis adverſarias leges Rom. ſed eas quo-

que eſſe immutabiles. Indigna Iuriſconſultis Romanis erat hæc cavillatio. Nihil vero, quam eam refellere, facilius fuit. Neque certe hic mutus fuit Tertullianus. Antiquas leges Rom. ſæpe mutatas eſſe oſtendit: ac ne in cauſa quidem Chriſtianorum ſemper easdem fuiſſe: denique nec de ſuorum deorum religione idem ſemper iudicare Romanos. Serapidis atque Iſidis ſacra, everſis eorum aris, Piſonem & Gabinium Coſſ. ſuſtuliſſe ait: poſtea tamen reſtituta illa eſſe, & reſtitutis ſummam maieſtatem eſſe redditam. Hic fortaſſe Vlpianus replicabit, talium Conſulum acta nunquam Senatui placuiſſe. Nam & eos Cicero pro Seſt. accuſat, quod Peſſinuntium ſacerdotem expulerint, & fanum ſanctiſſimarum (ut ait) & antiquiſſimarum religionum Brogitaro cuidam vendiderint. Verum neceſſe non eſt valde laborare, ut univerſum Ius Rom. de religione, ſæpe fuiſſe mutatum, aliquis oſtendat. Eorum hiſtoriæ ſatis ſuperque hoc docent. Mirum vero, qua fronte dicere auſi ſint, Quod adverſus Chriſtianos ſemel decretum eſt, mutari non poſſe. Nihil enim unquam ſæpius mutatum iactatumque eſt. Olim cum Prætores ius varie dicerent, iuſſi ſunt perpetua habere ſua edicta. Cumque his tamen non viderentur teneri ſucceſſores, tandem Adrianus Imp. edictum perpetuum tale edidit: Vt licet Prætores mutarentur, iuriſdictio tamen eadem maneret. In cauſa vero Chriſtianorum, quoties mutatæ nihilominus leges ſunt? quoties edictis edicta contraria edita? Neque ſolum quod princeps aliquis ſtatuerat, ſucceſſor abrogabat: ſed ne unus quidem

prin-

princeps aut tyrannus ſibi perpetuo in hac quæſtione conſtabat. Quid? An Vlpianus, ne incerti proconſules eſſent, crudeliſſima quæque mandata delegit, quorum exempla illis præſcriberet? Proconſulibus in provincias ituris Senatus Mutium Scævolam, qui Aſiæ proconſul integerrimus fuerat, proponere ad imitandum olim ſolebat. Mirum vero, ſi eodem in hac cauſa animo Mutius fuiſſet, ſi ætate Vlpiani vixiſſet. Equidem audio veterum Mutiorum præclaram ſcilicet illam ſapientiam fuiſſe, ut dicerent, fabuloſas quidem eſſe religiones, quibus Reſp. Romana continetur: ſed tuendas eſſe atque retinendas tamen contenderent, quia populum metu quodam conſtringere viderentur. Verum ſi talis iuriſprudentia Romana fuit: ſaltem pudore & exemplo ſui Alexandri Vlpianus retineri debuit. Sua etiam purpura Vlpianum Alexander adverſus vim militum aliquando protexit: & Vlpianus Chriſtianos in huius Alexandri ſinu confodiet? Cum principibus Chriſtiani utcunque tranſigere poterant, & iis uti non omnino iniquis: cur Iuriſconſultos habent iniquiores? Cur hos etiam Iudæi placare potuerunt, non potuerunt Chriſtiani? cum illi tamen factioſi ac ſeditioſi: hi ſimplices, & modeſti, & quieti eſſent. Nam quod Chriſtianos non ſolum læſæ religionis, ſed & maieſtatis accuſabant, ut Tertullianus in Apolog. cap. 23. & 28. ſcribit, impudens in utroque crimine calumnia fuit. Quanquam hæc quæſtio modo Iuris eſſet, modo facti. Hic enim quædam obiiciebantur, quæ confitebantur Chriſtiani, ſed iure defendebant: alia erant quæ

pernegabant, nec convincebantur. Verum in utroque rurſus genere iniqui erant Romani iudices. Nam neque audiebant Chriſtianos de iure diſceptantes, ubi factum eſſent confeſſi: neque cum factum inficiabantur, legitimas ab accuſatoribus probationes exigebant: quaſi vero accuſare eſſet ſatis ut reus damnaretur, nullaque cauſæ cognitio eſſet neceſſaria. Atqui cauſa agebatur omnium, quæ unquam fuerunt, eſſeque poſſunt, maxima. Agebatur de capite multorum populorum. Felix ille præſes Iudææ, in Pauli unius cauſa fuit temperantior. Audiebat Paulum accuſari violatæ religionis: & ſeditionis concitatæ reum, qui in religionis quæſtione, de iure diſceptabat, & ſeditionis crimen depellebat inficiatione facti, ampliavit, donec de utroque magis ſibi liqueret. Saltem hoc ampliationis exemplo Ulpianus in ſimili cauſa uſus eſſet. Age vero, ex ſui iuris formula iudicet. Læſæ religionis, ut dixi, noſtri erant rei. Quid ita? Quia ſuam potius, quam Romanam, ſequebantur religionem. Atqui ſuam cuique genti religionem relinquebant antiſtites Iuris Romani: Cur Chriſtianam ſolam non ferunt? An (quod tunc dixit Tertullianus) apud eos quidvis colere ius erat, præter Deum verum. Quærit Auguſtinus, Cur, cum Romani omnium tandem gentium deos receperunt: Hebræorum Deum ſolum reiecerunt? Cauſam hanc eſſe putat, quod ii audirent, illum coli ſolum velle, neque ſocium ullum admittere. Atqui & Hebræos Iudæosve cum ſua religione tolerabat iurisprudentia Romana: cur ferre non poteſt Chriſtianos? An, quod

quod Iudæi propius accedebant (ſicuti ait Arnobius) ad aliarum gentium ritus, quia templis, aris, victimis, ceremoniis, Deum ſuum colerent? Chriſtiani autem, qui ab iis quoque diſſidebant, novum quoddam monſtrum clam alere viderentur? Alterum erat crimen læſæ maieſtatis. Quid ita? Ipſi, ut hactenus oſtendi, principes, quorum intererat hoc crimine Chriſtianos liberabant. Et vero quid Chriſtiani illis tam alioqui turbulentis temporibus moliti unquam ſunt, ut perduelles iudicari deberent? Tertullianus ad Scap. Circa maieſtatem" Imperatoris (inquit) infamamur: tamen nun-" quam Albiniani, nec Nigriani, vel Caſſiani inveni-" ri potuerunt Chriſtiani. At erant multi fanatici & impuri nebulones qui Bacchanalia quædam in nocturnis ſuis & nefariis ſacris colebant, nomen alioqui Chriſtianum profeſſi. Erant ſane. Nam qui Gnoſtici dicebantur, tales fuiſſe confiteor. Sed illud nimis indignum erat, quod hi impune graſſarentur: & qui ab iis abhorrebant Chriſtiani, eorum tamen nomine & loco pœnas darent, ſicuti Iuſtinus ſcribit. At cum multi profecto impii homines & ſcelerati, ſe mentirentur eſſe Chriſtianos, & aſtute id ſimularent: neque facile abs veritate ſimulatio diſcerni poſſit, præſertim ubi de religione agitur: viſi ſunt prudentes ſapienter ſcilicet conſulere, cum totam hanc nationem, gentemque univerſam exterminandam eſſe iudicarent. Atqui ſi hoc iure fit, nulla eſt hominum ſocietas, civitas nulla, domus prope nulla, quæ funditus delenda non ſit: quia cum bonis permixti ſemper mali ſunt, & in tali con-

fuſio-

fuſione deliteſcunt. Quid igitur? An mali ferendi ſunt, ne & boni involvantur? Certe Iuriſconſulti laudant Traiani reſcriptum, Melius eſſe nocentem abſolvi, quam innocentem condemnari. Sed in hac cauſa poterant iuſtius agere, atque ſapientius. Vetuit Traianus inquiri Chriſtianos. Recte, cum improbe illud, an Chriſtiani eſſent, ſolum quæreretur, ſolumque ad pœnam ſatis eſſe credebatur. Sed alia erat inquiſitio reſtituenda, quam & Tertullianus in primis requirit. Quærendum enim erat, an qui Chriſtiani dicebantur, etiam eſſent: hoc eſt, an quod profitebantur, præſtarent, & eorum ea eſſet, eſſe quæ debebat, vita. Quid homines cogitent, certo ſcire vix alius poteſt. Sæpe enim aliter loquuntur, quam ſentiunt: & maxime cum de religione quæritur, aliud agere, aliud ſimulare ſolent. Sed quæ eorum tamen ſint actiones, quæ ſtudia, qui mores, quæ vita ſit, ſi propius in eos inquiratur, non eſt difficile intelligere. Cogitationis nullam in Rep. pœnam eſſe debere, iudicabant Iuriſconſulti. Sed hoc eorum prudentia dignum erat, ut facta diligentius cognoſcerent atque æſtimarent. Specioſa, quæ obtendebantur, nomina repudiabant. Recte. Larvæ enim ſunt, quæ ſunt detrahendæ, cum veritas quæritur. Neque ſcio, neque diſſimulo, multos impoſtores ſub earum veluti clypeo delituiſſe: & cum religionis titulo, tum vero Chriſtiani nominis ſpecie ſæpe abuſos eſſe. Neque profecto in ea cauſa vellem pronunciaſſent Romani iudices, ſibi non liquere, aut talem iis tabulam N. L. principes dediſſent. Vellem potius,

fu-

fuiſſent curioſi Quæſtores, & eam inquiſitionem inſtituiſſent, quæ paſſa non eſſet improbos homines impune latere, & fallere. Narrat Lucianus, Peregrinum quendam impoſtorem, cum Chriſtianorum nomen induiſſet, captum, & in carcere vinctum fuiſſe. Vtinam quotquot erant tunc inter Chriſtianos Lucianici εἴρωνες (quales olim multos fuiſſe, & nunc quoque eſſe, non dubito) eodem exemplo, quas merebantur, pœnas dediſſent. Sed aliorum bonorum virorum religioſa ſimplicitas ecquid erat merita? Nam falſum crimen ex trivio ſumptum iis obiicere, non erat ingenui hominis: nedum Vlpiani, & Iurisconſulti, & Præfecti prætorio. Valentinus, & Marcion, & poſtea Novatus, atque Paulus Samoſatenus, inſtituerant turpiſſima profecto collegia, quæ Chriſtianæ religionis titulo etiam ſe venditabant. Digna certe hæc erant, quæ, ut olim Bacchanalia, exterminarentur: nullaque ſatis acerba ſeveritas adverſus talia ſcelerum & flagitiorum omniumportenta eſſe potuiſſet. Sed doleo, talium impoſtorum iuſtiſſimo odio, iniuſte conflagraſſe totam nationem Chriſtianorum. Doleo, prudentiſſimos alioqui Iurisconſultos, erroris ſimul & iniuſtitiæ hic fuiſſe antiſtites. Audio illam Lactantii iuſtiſſimam indignationem, qui poſteaquam illud, quod paulo ante dixi, de Domitio commemoravit, exclamat: " Quid iis facias, qui Ius vocant " carnificinas veterum tyrannorum, adverſus in-" nocentes rabide ſævientium? Et cum ſint iniuſti-" tiæ crudelitatisque doctores, iuſtos ſe eſſe tamen &"

pru-

„prudentes videri volunt, cæci & hebetes, & rerum
„& veritatis ignari, &c.

In quæſtione iuris, hoc eſt, religionis iuſtæ vel iniuſtæ, non miror eos falli atque errare. Aliis, quos errare putabant, tam iniquos eſſe miror. Miror, alieni quoque criminis iniuſta invidia eos velle onerare. Nam cuius tandem Prætoris eſt, non modo ius iniuſtum dicere, ſed & facti controverſi quæſtionem cognitionemque nullam mandare? Cuius Quæſtoris, inſontes cum ſontibus confuſe miſcere?

Alexandro Severo ſucceſſit Maximinus ille tyrannus, qui & Cyclops & Phalaris a Romanis, ut erat, appellabatur. Is ipſius Alexandri, quem trucidarat, & Chriſtianis faviſſe audiebat, quodam etiam odio fuit crudelior. Sed plebi tamen Chriſtianæ peperciſſe, & in ſolos epiſcopos doctoresque ſæviiſſe, ſcribit Euſebius lib. 6. hiſtor. Eccleſ. Secutus eſt Gordianus, princeps quidem ſuperſtitioſus, & adoleſcens: ſed ſapiens tamen, & moderatus. Qui autem deinde eum ſuſtulit Philippus, etſi impie ad Imperium evaſerit, tamen eo temperanter uſus eſt ad tuendam pietatis Chriſtianæ cauſam. Nam & religioni Chriſtianorum nomen palam dediſſe, & Eccleſiæ ſuos faſces ſceptrumque ſummiſiſſe dicitur. Quid eum impulerit, ut id faceret, aut quid tunc ſpectarit, nunc non inquiro: ſed interea Chriſtianis aliquas veluti inducias conceſſas fuiſſe dico. Non fuerunt tamen diuturnæ. Decius, qui Philippo ſucceſſit, cum eius odio, Chriſtianorum quoque odium induit: & ſe caputque ſuum non minus

pro

pro ſuis idolis, quam pro Imperio Rom. devovit, editaque horribili Chriſtianorum ſtrage conſecravit. Secuti ſunt crudeliores etiam ſucceſſores, Gallus & Valerianus: neque erant æquiores provinciarum præſides; quod etiam intelligi poteſt ex Prudentivo περὶ ςεφάνων. Fuit tunc Cypriano in Africa cum tribus negotium: cum Demetriano, cum Paterno, cum Maximo. Demetrianum pulchre deſcribit in ſua ad eum Apologia. Ad Paternum in ius vocatus, ſiſtere ſe non recuſavit: eoque proferente quasdam Valeriani Gallienique literas, quibus mandabatur, ut omnes homines eos adorarent deos, quos Romani adorabant: quique id non facerent, gladio ferirentur: reſpondit, alium ſe Deum colere, eiusque aliam eſſe legem, quam omnium principum edictis opponeret. Confeſſio erat, quæ nullum ampliationi locum relinquere videbatur. Sed quia arbitrariæ tunc erant pœnæ, Paternus tentat, num hunc reum, exilii tædio frangere poſſet: in quem paulo poſt gladio Maximus animadvertit. Æmiliani & aliorum quorundam eiusdem temporis in Ægypto præſidum eandem conditionem eſſe, & expertus eſt, & deſcripſit Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, cuius epiſtola extat apud Euſebium lib. 7. ſignficatque Valerianum initio valde faviſſe Chriſtianis, & tam eos eſſe complexum, ut etiam eius aula diceretur eſſe Eccleſia: ſed poſtea quibusdam calumniis averſum, & magicis deliriis faſcinatum, Decii & Galli ſævitiam imitatum eſſe. Horum tyrannorum impia edi-

cta

cta pluribus recitare, nihil attinet. Quam inquiſitionem Traianus ſuſtulerat, reſtituerunt. Sed conditionem quam ille præſcripſerat, ſervarunt, ut ſemper ignoſceretur ſacrificantibus. Interea vero quas ipſi ſuæ impietatis pœnas dederint, obſervandum etiam eſt. Decius cum filio cæſus a Gothis eſt. Gallus iis factus eſt tributarius. Valerianus a Perſis captus, infelix ſenex miſerrimæ ſubiit iugum ſervitutis. Filius Gallienus, etſi alter quidem eſſet veluti Sardanapalus, tamen his exemplis territus, ad aliquam moderationem eſt revocatus: & edictis propoſitis, ſcriptisque etiam ad epiſcopos Chriſtianorum literis, liberationem & religionis libertatem iis pollicetur: permittitque, ut eo nomine coire poſſint, & convenire. Exemplum unius ſive edicti, ſive epiſtolæ huius generis, ex lingua Romana in Græcam converſum, Euſebius ſuis Commentariis inſeruit: ex quibus, cum aliud alibi non extet, nunc deſcriptum, cum ipſius quoque Euſebii expoſitione recitabo.

Ἀλλὰ οὐκ εἰς μακρὸν δουλείαν τὴν παρὰ βαρβάροις ὑπομείναντος οὐαλλεριανοῦ, μοναρχήσας ὁ παῖς σωφρονέστερον τὴν ἀρχὴν διατίθεται, ἀνίησί τε αὐτίκα διὰ προγραμμάτων τὸν καθ' ἡμῶν διωγμὸν, ἐπ' ἐλευθερίας τοῖς τοῦ λόγου προεστῶσι τὰ ἐξ ἔθους ἐπιτελεῖν δι' ἀντιγραφῆς προστάξας, ἥτις τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.

Αὐτο-

Αὐτοκράτωρ καῖσαρ πούπλιος λικίννιος“
γαλιῆνος, εὐσεβὴς, εὐτυχὴς, σεβαςὸς διο-“
νυσίῳ καὶ πιννῷ, καὶ δημητρίῳ, καὶ τοῖς“
λοιποῖς ἐπισκόποις. τὴν εὐεργεσίαν τῆς“
ἐμῆς δωρεᾶς διὰ παντὸς τοῦ κόσμου“
ἐκβιβαϑῆναι προσέταξα, ὅπως ἀπὸ τῶν“
τόπων τῶν θρησκευσίμων ἀποχωρήσωσι.“
καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὑμεῖς τῆς ἀντιγραφῆς“
τῆς ἐμῆς τῷ τύπῳ χρῆσθαι, δύνασθε, ὥς“
τε μηδένα ὑμὶν ἐνοχλεῖν. καὶ τοῦτο ὅπερ“
κατὰ τὸ ἐξὸν δύναται ὑφ᾽ ὑμῶν ἀναπλη-“
ροῦσθαι, ἤδη προπολλοῦ ὑπ᾽ ἐμοῦ συγκε-“
χώρηται. καὶ διὰ τοῦτο αὐρήλιος κυ-“
ρήνιος ὁ τοῦ μεγίςου πράγματος προςα-“
τεύων, τὸν τύπον τὸν ὑπ᾽ ἐμοῦ δοθέντα“
διαφυλάξει. ταῦτα ἐπὶ τὸ σαφέςερον ἐκ“
τῆς ῥωμαίων ἑρμηνευθέντα γλώττης ἐγ-
κείσθω. καὶ ἄλλη δὲ τοῦ αὐτοῦ διάταξις
φέρεται, ἣν πρὸς ἑτέρους ἐπισκόπους πε-
ποίηται, τὰ τῶν καλουμένων κοιμητήριον
ἀπολαμβάνειν ἐπιτρέπον χωρία.

Equidem mirarer tam fuiſſe Chriſtianis amicum, tamque liberaliter eorum quieti conſuluiſſe Gallienum, niſi ſi cogitarem, eum (ut dixi) infeli-

citate ſuperiorum tyrannorum, a ſævitia revocatum eſſe, eorumque (ut ait poeta) veſtigiis deterritum, quæ in exitium præcipites actos eſſe ſignificabant. Euſebius indicat præcipuum eius beneficium fuiſſe, quod permiſerit Chriſtianos recuperare illa, quæ vocabantur *κοιμητήρια*. Vt Chriſtiani mortuos dormire dicebant, ſic eorum ſepulchra appellabant, eo nomine, quod ſignificaret loca ad quietem & ſomnum comparata. Athenæus lib. 4. ex Doſiadis libro quarto *τῶν κρητικῶν*, ſcribit, apud Cretenſes in ſingulis civitatibus fuiſſe quasdam ædes publicas, ad excipiendos peregrinos, quæ appellabantur, *κοιμητήρια*. Sed Chriſtiani uſi hoc verbo ſunt, ſicuti dixi. Solebant autem ad ſepulchra ſuorum martyrum, quorum ſacroſancta erat memoria, præcipue convenire. Itaque hæc *κοιμητήρια* erant iis quædam veluti templa. Cum igitur audimus ea Chriſtianis permitti, intelligimus permitti, ut ad ſua ſacra coire poſſint. Æmilianus ille Ægypti præſes, paulo ante hoc edictum Gallieni, ſic Chriſtianorum epiſcopos allocutus erat: *οὐδαμῶς ἐξέϛαι οὔτε ὑμῖν οὔτε ἄλλοις τισὶν ἢ συνόδους ποιεῖσθαι, ἢ εἰς τὰ καλούμενα κοιμητήρια εἰσιέναι*, ut narrat Dionyſius apud Euſebium. Nunc igitur quod ille præſes vetabat, Gallienus permittit. Euſebius libro 9. ſcribit, Maximinum aliquando conatum id Chriſtianis rurſus adimere, cum eos diſſipare atque peſſundare vellet. *πρῶτον* (inquit) *εἴργειν ἡμας τῆς ἐν τοῖς κοιμητηρίοις συνόδου διὰ προφάσεως πειρᾶται*. Gallienus ſui edicti cuſtodem, & veluti executorem ac vindicem nominat, quendam

Aure-

Aurelium Cyrenium. Quid effecerit hic nomophylax, neſcio. Sed inane & (ut Vlpiani verbo rurſus utar) luſorium Gallieni edictum fuiſſe videtur, ſi conſideremus quod proximo deinde capite ſcribit Euſebius de Marino: qui quidem non ſolum militari tunc dignitate, ſed & vita privatus eſt, quod Chriſtianus eſſet, & quod Cæſareæ Palæſtinæ ex ſententia Achaii præſidis id factum ſit. Ac in eo quidem iudicio prolatas eſſe antiquas leges Romanas, quæ Chriſtianis, qui Imperatoribus non ſacrificabant, interdicerent omni honore & dignitate in orbe Rom. ſcribit Euſebius. Credo leges illas fuiſſe, quæ (ut antea dixi) Iudæis tamen honores gerere in Repub. permittebant. Gallienum excepit Aurelianus, qui eo tandem ſe pertrahi paſſus eſt, ut crudele in Chriſtianos edictum meditaretur: ſed priusquam ſubſcriberet, repentino morbo oppresſus interiit. Prius autem, etſi quali ſuperſtitione teneretur ſatis oſtendit, cum Apollonii Tyanæi, perditiſſimi impoſtoris, tanquam dei cuiusdam ſacra in Oriente coleret: tamen Chriſtianos non vexavit; imo vero eorum ſynodum Antiochenam adverſus Paulum Samoſatenum præſidio ſuo armavit. Sane cum aliquando in calamitate quadam publica Senatus Rom. diu deliberaret, de inſpiciendis conſulendisque libris Sibyllinis, ita reſcripſiſſe dicitur: Miror vos Patres ſancti, tamdiu de aperiendis Si-„ byllinis dubitaſſe libris: perinde quaſi in Chriſtianorum eccleſia, non in templo deorum omnium tractaretis.

Quid hic notet In Eccleſia, aut quid ſibi velit, non ſatis aſſequor. Sed profanum fuiſſe principem agnoſco: cui qui ſucceſſere usque ad Diocletianum, Chriſtianos quieſcere paſſi ſunt. Diocletianus vero omnium ſuperiorum tyrannorum rabiem ſuperavit. Nam & libris Chriſtianorum bellum indixit, & ut incenderentur, flammisque abolerentur, ad extinguendam religionis omnem memoriam, edixit. Dicerem novum & inſolens fuiſſe hoc edictum, ut barbarum certe fuit. Sed memini Antiochum Epiphanem, cum in Iudæos olim debaccharetur, in libros Moſaicos & propheticos ſimili furore ſæviiſſe. Quid? Ne ſui quidem Numæ Pompilii Commentariis in agro quodam repertis, quibus recepta ſacra convelli videbantur, pepercit Senatus Romanus: imo vero medio in foro ardere eos iuſſit. Denique Vlpianus in Pandectis ait, libros improbatæ lectionis tollendos eſſe, cap. 4. Famil. ercif. Huius autem generis iudicatos tunc fuiſſe Chriſtianorum libros, non eſt dubium. Sane Arnobius, qui flammas illas videre potuit, libro 4. adverſus gentes „ita ſcribit: Noſtra ſcripta cur ignibus meruerunt dari? Idem libro tertio, indicat libros Ciceronis, qui (ut ait) fabuloſam deorum vanitatem refellebant (videntur autem hi fuiſſe libri, qui inſcribuntur de Natura deorum) a plerisque damnatos eſſe: multosque muſſitaſſe, oportere ſtatui per Senatum, ut ii abolerentur: quaſi iis Chriſtiana religio comprobaretur, & vetuſtatis autoritas opprimeretur. Cæterum Arnobius talia iudicia repre-

reprehendit. Nam (inquit) intercipere ſcripta, & publicatam velle ſubmergere lectionem, non eſt deos defendere, ſed veritatis teſtificationem timere.

Porro Diocletianus aliud edicto ſuo caput novum aſſuit: ut epiſcopi etiam tormentis ad ſacrificandum adigerentur. Mira vero Romanæ ſuperſtitionis inculcatio, quæ corporibus inuritur, & veluti clavo impacta atque affixa invitis & reclamantibus obtruditur. Equidem cum ſæpe cogito, in rebus civilibus præſtantiſſimos fuiſſe legislatores, quos hactenus Eccleſiæ hoſtes acerrimos fuiſſe dixi: & eorum quotidie nomina & tituli in iis, quos ſæpe volvimus, libris Iuris Civilis occurrant, ſæpe etiam attonitus obſtupeſco tam & a vera religione averſam eſſe ſapientum (ut vocantur) hominum mentem, tamque omnium prope regnorum imperiorumque omnem conſtitutionem eſſe a recta pietate alienam & abhorrentem: ut quos alioqui prudentiſſimos nomothetas laudare ſolemus, inſanos carnifices in hac cauſa execrari cogamur. Sed hoc alias viderimus. Narrat Ælianus, quendam olim pugilem Nicodorum, apud Mantinenſes factum eſſe præſtantiſſimum legislatorem: nec alio quam Diagoræ athei hominis conſilio uſum eſſe, ab eoque leges accepiſſe, quas ferret. De Diocletiano, & ipſis adeo Romani iuris auctoribus, idem dici poſſe videtur. Ego vero in ea perſto ſententia, magnam eſſe & legum labem, & civitatum perniciem, impietatem: & potiusquam hæc ius dicat, optandum eſſe, nullam plane eſſe iurisdictionem,

nullam legem, civitatem nullam. Fremant licet Epicuræi huius ætatis legulei: ego tamen Diagoræ leges ſuſpectas eſſe contendam. Sed ad Diocletianum revertor: de cuius impiis edictis quoties cogito, occurrere ſtatim ſolet, quod Euſebius lib. 8. narrat, unum ex aulicis proceribus Nicomediæ, ubi ipſe Diocletianus erat, auſum eſſe palam diſcerpere huius tyranni crudelem adverſus Chriſtianos publice propoſitam legem: nec recuſaſſe, quas propter tale factum pœnas impendere ſciebat, conſtanter perferre. Si quis album Prætoris corrumpat, in quo ſit aliquod edictum perpetuæ iurisdictionis, populari iudicio pœnali quinquaginta aureorum teneri, ſcribit Vlpianus cap. 7. De iurisdict. Et qui edicta propoſita corrumpunt, falſi pœna plectuntur: ut inquit Modeſtinus cap. 32. De lege Cornel. de falſ. Sed & lege Iulia peculatus eum teneri, qui tabulam æream legis refixerit, ſcriptum in Pandectis eſt, cap. 8. Ad leg. Iul. pecul. Verum Heros ille noſter, tetrum quoddam non Prætoris album, ſed tyranni importuniſſimi, iniuſtumque decretum, quod Iuris & legum loco proſtabat, ferre non potuit: neque iurisdictionis, ſed iniuriæ publicæ edictum funeſtum nefariumque eſſe iudicavit: neque tam imperii meri, quam meræ cuiusdam inſaniæ atque impietatis, Deo bellum indicentis. Quid dicam de duobus aliis, quæ tunc acceſſerunt, edictis novis? Eo tempore Nicomediæ, palatium Imperatoris caſu quodam conflagravit. Statim edictum propoſitum eſt, ut Chriſtiani tanquam in-

cen-

cendiarii excruciarentur. Quædam in Syria & Arabia ſeditiones motæ ſunt. Statim lex Maieſtatis in Chriſtianos, ut perduellionis convictos, edita eſt. Quid miramur? Quod olim Roma incenſa fecit Nero, fecit Nicomediæ conflagrante ſuo palatio Diocletianus, nec diſſimili calumnia Iudæos Antiochiæ ſuo tempore vexatos fuiſſe, Ioſephus commemorat lib. 7. de bello Iud. Sed quam Chriſtiani minime fuerint, quod dicebantur, incendiarii, minimeque eſſe voluerint (etſi facillime eſſe, ſi voluiſſent, profecto potuiſſent) duobus verbis indicat Tertullianus in Apolog. Vel una nox (inquit) pauculis " faculis largitatem ultionis poſſet operari, ſi malum " malo diſpungi penes nos liceret. Sed abſit, ut aut " igni humano vindicetur divina ſecta: aut doleat " pati, in quo probatur. Cæterum quo maior in- " nocentiæ fuit patientia, eo impudentia impietatis maior fuit. Reſcripſit Traianus, & Iuriſconſulti ſubſcripſerunt, neminem ex ſuſpicionibus damnandum eſſe. Atqui damnabantur Chriſtiani, ut atrociſſimorum criminum convicti: etſi non ſolum iis criminibus, ſed & eorum ſuſpicione carerent. Nam quod adverſarii obiiciebant famam popularem, putidum erat. Recte ſane Tertullianus, recte Arnobius, qui rumoribus fidem non eſſe habendam reſponderunt. Imo vero Diocletianus in alia cauſa conſtanter dixerat: Vanæ populi voces non " ſunt audiendæ. Sed quid eum miramur, ſuæ legis in cauſa Chriſtianorum oblitum eſſe, qui cum alias iactare ſoleret, præci-

puam principis virtutem eſſe clementiam, crudeliſſimus tamen in eos fuit? Nam & in ſua Dalmatia barbaricum illum faſtum imbiberat ebrius tyrannus, ut non ſolum Iovius dici, ſed & adorari tanquam deus vellet. Multis annis occupatus fuit in comprimendis orbis Romani ſeditionibus: nec interea quicquam ei cum Chriſtianis negotii fuit. Vbi Imperii ſtatum compoſuit, nihil ſe egiſſe putavit, niſi ſi Chriſtianos exſcinderet: & ſuum in eos odium, quod annis ſedecim vel ſuppreſſerat, vel diſſimularat, effunderet: tantumque effudit, ut eorum ſanguine conſperſam ſuam purpuram geſtare tandem erubuerit, & veluti fractus ultro ſe abdicarit Imperio, privatusque in hortos ſuos Nicomedienſes ſe abdiderit; quanquam generum ſuum Galerium ſubſtituerit, cui tanquam in decurſu lampada tradens, eadem lege mandavit Imperium & iurisdictionem; hicque cum duobus ſuis Cæſaribus Severo & Maximino, in illa arena gladiatoria eos ludos edidit, itaque furore incenſus exarſit, ut vix tandem frementem cohibuerit horribilis morbus: qui tamen hanc furiam ſic perculit, ut cum Chriſtianis aliquando mitius agere, non dico voluerit, ſed velle ſe tamen ſimularit: & vero coactus ſit, edicto publico Chriſtianos miſſos facere. Collegam habebat Conſtantium, patrem Conſtantini noſtri, principem humanum & moderatum. Vtinam vero illum potius, quam ſe, aut ſuos Cæſares, ſemper audiiſſet. Sed qualecunque ſit illud, quod tandem emiſit edictum, videamus. Etſi enim ab invito

ex-

expreſſum atque extortum, Chriſtianorum adhuc religionem, qua poteſt, infamia interea conſpergat: tamen hoc ipſum, auctoris ſui inſaniam, frementem quidem adhuc, fractam tamen & victam, tanto magis declarat. Fuit lingua Romana de more primum promulgatum: ſed exemplum tantum illud extat, quod in linguam Græcam ab Euſebio translatum eſt. Eſt autem tale:

Μεταξὺ τῶν λοιπῶν ἅπερ ὑπὲρ τοῦ χρησίμου καὶ λυσιτελοῦς τοῖς δημοσίοις διατυπούμεθα, ἡμεῖς μὲν βεβουλήμεθα πρότερον κατὰ τοὺς ἀρχαίους νόμους καὶ τὴν δημοσίαν ἐπιϛήμην τὴν τῶν ῥωμαίων ἅπαντα ἐπανορθώσασθαι, καὶ τούτου πρόνοιαν ποιήσασθαι, ἵνα καὶ οἱ χριϛιανοὶ, οἵτινες τῶν γονέων τῶν ἑαυτῶν καταλελοίπασι τὴν ἅιρεσιν, εἰς ἀγαθὴν πρόθεσιν ἐπανέλθοιεν. ἐπείπερ τίνι λογισμῷ τοσαύτη ἀυτοὺς πλεονεξία κατειλήφει, ὡς μὴ ἕπεσθαι τοῖς ὑπὸ τῶν πάλαι καταδειχθεῖσιν, ἅπερ ἴσως πρότερον καὶ οἱ γονεῖς ἀυτῶν ἦσαν, καταϛήσαντες, ἀλλὰ κατὰ τῶν ἀυτῶν πρόθεσιν, καὶ ὡς ἕκαϛος ἐβούλετο, οὕτος ἑαυτοῖς καὶ νόμους ποιήσαι, καὶ τούτους παραφυλάσσειν, καὶ ἐν διαφόροις διάφορα πλήθη συνάγειν.

γειν. τοιγαροῦν τοιούτου ὑφ᾽ ἡμῶν προςάγματος παρακολουθήσαντος, ὥς τε ἐπὶ τὰ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων καταςαθέντα ἑαυτοὺς μεταςῆσαι, πλεῖςοι μὲν κινδύνῳ ὑποβληθέντες, πλεῖςοι δὲ ταραχθέντες, παντοίους θανάτους ὑπέφερον. καὶ ἐπειδὴ τῶν πολλῶν τῇ αὐτῇ ἀπονοίᾳ διαμεμόντων ἑωρῶμεν μήτε τοῖς θεοῖς τοῖς ἀπουρανίοις τὴν ὀφειλομένην θρησκείαν προσάγειν αὐτοὺς, μήτε τῷ τῶν χριςιανῶν προσέχειν, ἀφορῶντες εἰς τὴν ἡμετέραν φιλανθρωπίαν, καὶ τὴν δικυεκῆ συνήθειαν, δι᾽ ἧς εἰώθαμεν ἅπασιν ἀνθρώποις συγγνώμην νέμειν, προθυμότατα καὶ ἐν τούτῳ τὴν συγχώρησιν τὴν ἡμετέραν ἐπεκτεῖναι δεῖν ἐνομίσαμεν, ἵνα αὖθις ὦσι χριςιανοὶ καὶ τοὺς οἴκους, ἐν οἷς συνήγοντο, συνθῶσιν οὕτως, ὥς τε μηδὲν ὑπεναντίον τῆς ἐπιςήμης αὐτοὺς πράττειν. δι᾽ ἑτέρας δὲ ἐπιςολῆς τοῖς δικαςαῖς δηλώσαμεν, τί αὐτοὺς παραφυλάξασθαι δεήσει. ὅθεν κατὰ ταύτην τὴν συγχώρησιν τὴν ἡμετέραν, ὀφείλουσι τὸν ἑαυτῶν θεὸν ἱκετεύειν περὶ τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας καὶ τῶν δημοσίων, καὶ τῆς

ἑαυτῶν,

ἑαυτῶν, ἵνα κατὰ πάντα τρόπον καὶ τὰ δημόσια παρασκευαθῇ ὑγιῆ, καὶ ἀμέριμνοι ζῆν ἐν τῇ ἑαυτῶν ἑςίᾳ δυνηθῶσι.

Huius edicti præfatio eſt, qualis eſſe ſolet profanorum principum. Narrat Gallerius, ſeſe hactenus hoc egiſſe, ut Chriſtianos, qui a maiorum ſuorum religione & moribus defecerunt, ab errore in viam revocaret, veterum legum rationem ſecutus. Tantumque abeſt ut agnoſcat ſe peccaſſe, ut eos etiam ita inſanire confirmet, ut ſanari non poſſe videantur. Miror equidem Euſebium ſcribere, Galerium reſipuiſſe, & peccata ſua Deo confeſſum eſſe. πρῶτα (inquit) ἀνθομολογεῖται τῷ τῶν ὅλων θεῷ. Miror Conſtantium, Galerii collegam, huic edicto nomen ſuum aſcripſiſſe, aut ut aſcriberetur paſſum eſſe. Sane cum Galerius hic accuſat Chriſtianorum pertinaciam, conſtantiam eorum laudari exiſtimo. Cum autem fatetur ſeſe hactenus fruſtra omnia tentaſſe, ut eos vinceret, victam impietatem agnoſco. Eſt autem memorabile, quod hic agnoſcat, ſeſe ſæviendo nihil profeciſſe: & cum ſentit, ſævire deſinat. Imo vero cur deſinat, alteram cauſam hanc adiicit Galerius: quod multi fiant athei, ut neque Chriſtum colant propter periculum crucis, neque tamen ad aliorum deorum cultum perduci poſſint. Quid igitur? Edicit, ut Chriſtianis impune eſſe liceat: ut liceat iis, ſicuti ſolent, convenire, quandiu alioqui Rempub. non perturbant. Quin etiam exprimit cauſam & finem conventuum Chriſtianorum: ut Deum orent pro Rep. & domi

mi

mi tranquille vivere poſſint. Teſtatur autem ſeſe præſidibus ſpecialiter etiam mandaſſe, quod ad Chriſtianorum tranquillitatem pertinere putabat. Sic enim ſolebant principes ſuorum edictorum certos veluti executores & vindices nominatim etiam dare. Prævidebant enim, multa fore alioqui inania. Maximinus Cæſar, qui in Oriente agebat, cum hæc mandata accepiſſet, atque etiam edere & publicare iuſſus eſſet: quantum potuit, ſuppreſſit atque ludificatus eſt. Et quanquam ſuarum provinciarum præſidibus,dicis cauſa, aliquid de illa Galerii Imp. ſententia ſignificare ſit coactus: tamen ut eam illi facile contemnerent, effecit; ipſe vero novo crudelitatis novæ colore quæſito, atrociſſima edicta promulgat, & (quod antea factum non erat) in mediis civitatibus, in æs inciſa figit: Chriſtianosque ſic exterminari iubet, ut ne in deſertis quidem ſolitudinibus locum exilio ullum relinquat. Exemplum ferrei huius decreti extat apud Euſebium. Vellem etiam extaret Apologia, quam quidam Lucianus Alexandrinus presbyter, Nicomediam in ius ad eum abductus, non ſolum illi obtulit, ſed ſanguine quoque ſuo conſignavit. Cæterum cum Maximinus paulo poſt audiret Maxentium abs Conſtantino in Italia profligatum eſſe, metuens ſibi ab illo Victore, quem iam in toto Occidente audiebat libertatem Chriſtianis integram tandem dediſſe, cœpit mitius agere, & ſua illa ærea edicta ultro refigere: primumque mandat, ut blanditiis tantum Chriſtiani ad idola revocentur: ſi nolint, & talibus illecebris capi nullis poſſint, vi non adigantur: potius

tius dimittantur. Interea callide ſupprimebat, an etiam iis liceret publice coire: quod tamen præcipue quærebatur. Huius autem iuris interpretes, iniuſti & improbi iudices, quod lege expreſſum non erat, non eſſe permiſſum cavillabantur. Et vero cum iis colludens Maximinus, Chriſtianis inſidiabatur, iisque clam illudere cupiebat. Quid igitur? Non tulit Deus longiorem impii huius tyranni vafriciem. In illas ſtatim eum anguſtias redigit, ut pati plane cogeretur, optimo iure optimaque conditione eſſe Chriſtianos: & vero edictum, quo ita eſſe aperte iuberet, iam etiam animam agens poſtremo ederet: nihil ut ſupereſſet, quod Conſtantini pium conſilium diutius impediret. Tantæ molis erat, Chriſtianæ eccleſiæ, in orbe Romano, id impetrari, quod omnibus alioqui hominibus offertur. Neque tamen adhuc dico poſtrema illa Maximini conceſſione impetraſſe Chriſtianos eam, qua digni erant, libertatem. Multis enim adhuc Conſtantini legibus opus fuit, ut ea libertas eſſet, eſſe quæ debebat: multisque præterea ſanctionibus vix aliquando tandem ſepta & communita ſatis eſſe potuit, adverſus vim & audaciam adverſariorum. Sed de Conſtantino alias viderimus. Iam vero cum hoſtis, & hoſtis ferus atque immanis, poſteaquam annis trecentis fruſtra ſe vis tota Romani Imperii in gentem inermem atque imbellem effudit, nihil tamen hactenus actum eſſe agnoſcit, nullaque humana potentia, ſed vi quadam divina tandem fractus cedit: neque ſolum quicquid vel ab aliis antea, vel

abs

abs ſeipſo tentatum eſt, inane, & ſimul iniuſtum eſſe fateri cogitur, verum etiam veris victus, quicquid abs patrono & amico edici poſſet, edicit: qualem quantamque Eccleſiæ victoriam, & in hac victoria poſtrema quale tandem Chriſtianorum trophæum eſſe dicemus? Non gravabor itaque & hoc pro coronide nunc edictum deſcribere, ut ex Latina lingua in Græcam converſum poſteritati relictum eſt. Nam archetypum Latinum intercidit.

Αὐτοκράτωρ καῖσαρ, γάϊος οὐαλλέριος, μαξιμῖνος, γερμανικὸς, σαρματικὸς, ἐυσεβὴς εὐτυχὴς, ἀνίκητος, σεβαςὸς. Κατὰ πάντα τρόπον ἡμᾶς δικυεκῶς, τῶν ἐπαρχιωτῶν τῶν ἡμετέρωυ τοῦ χρησίμου προνοεῖσθαι δεῖ, καὶ ταῦτα ἀυτοῖς βούλεσθαι παρέχειν, οἷς τὰ λυσιτελῆ μάλιςα κατορθοῦται, καὶ ὅσα τῆς λυσιτελείας καὶ τῆς χρησιμότητός ἐςι τῆς κοινῆς ἀυτῶν. καὶ ὁποῖα πρὸς τὴν δημοσίαν λυσιτέλειαν ἁρμόζει, καὶ ταῖς ἑκάςων διανοίαις προσφιλῆ τυγχάνει, οὐδένα ἀγνοεῖν, ἀλλ᾽ ἕκαςον ἀνατρέχειν ἐπ᾽ ἀυτὸ τὸ γινόμενον, γινώσκειν τε ἕκαςον τῶν ἀνθρώπων καὶ ἔχειν ἐν ἑαυτῷ δῆλον εἶναι πιςεύομεν. ὁπότε τοίνυν πρὸ τούτου δῆλον γέγονε τῇ γνώσει τῇ ἡμετέρᾳ ἐκ ταύτης τῆς

προ-

προφάσεως, ἐξ ἧς κεκελευσμένον ἦν ὑπὸ τῶν θειοτάτων, διοκλητιανοῦ καὶ μαξιμιανοῦ, τῶν γονέων τῶν ἡμετέρων, τὰς συνόδους τῶν χριςιανῶν ἐξηρῆσθαι, πολλοὺς σεισμοὺς καὶ ἀποςερήσεις ὑπὸ τῶν ὀφφικιαλίων γεγενῆσθαι, καὶ εἰς τουπιὸν δὲ τοῦτο προχωρεῖν κατὰ τῶν ἐπαρχιωτῶν τῶν ἡμετέρων. ὧν μάλιςα προνοίαν τὴν προσήκουσαν γίνεσθαι σπουδάζομεν, τῶν οὐσιῶν τῶν ἰδίων αὐτῶν κατατριβομένων, δοθέντων γραμμάτων πρὸς τοὺς ἡγεμόνας ἑκάςης ἐπαρχίας τῷ παρελθόντι ἐνιαυτῷ, ἐνομοθετήσαμεν, ἵν' ἐάν τις βούλοιτο, τῷ τοιούτῳ ἔθει ἢ τῇ αὐτῇ φυλακῇ τῆς αὐτῆς θρησκείας ἕπεσθαι, τοῦτον ἀνεμποδίςως ἔχεσθαι τῆς προθέσεως τῆς ἑαυτοῦ, καὶ ὑπὸ μηδενὸς ἐμποδίζεσθαι, μηδὲ κωλύεσθαι καὶ εἶναι αὐτοῖς εὐχέρειαν, ἄνευ τινὸς φόβου καὶ ὑποψίας, τοῦθ' ὅπερ ἑκάςῳ ἀρέσκει ποιεῖν. πλὴν οὐδὲ νῦν λαθεῖν ἡμᾶς ἐθυνήθη, ὅτι τινὲς τῶν δικαςῶν παρενεθυμοῦντο τὰς ἡμετέρας κελεύσεις, καὶ διςάζειν τοὺς ἡμετέρους ἀνθρώπους περὶ τὰ προςάγματα τὰ ἡμέτερα παρεσκε-

ρεσκε-

ρεσκεύασαν, καὶ ὀκνηρότερον προσιέναι ταύταις ταῖς θρησκείας, αἷς ἦν ἀρεςὸν αὐτοῖς ἐποίησαν. ἵνα τοίνυν εἰς τὸ ἑξῆς πᾶσα ὑποψία ἀμφιβολίας τοῦ φόβου περιαιρεθῇ, τοῦτο τὸ διάταγμα προτεθῆναι ἐνομοθετήσαμεν, ἵνα πᾶσι δῆλον γένηται, ἐξεῖναι τούτοις, οἵτινες ταύτην τὴν αἵρεσιν καὶ τὴν θρησκείαν μετιέναι βούλονται, ἐν ταύτης τῆς δωρεᾶς τῆς ἡμετέρας, καθὼς ἕκαςος βούλεται, ἢ ἡδέα αὐτῷ ἐςὶν οὕτως προσιέναι τῇ θρησκείᾳ ταύτῃ ἣν ἐξ ἔθους θρησκεύειν εἵλετο. καὶ τὰ κυριακὰ δὲ τὰ οἰκεῖα ὅπως κατασκευάζοιεν συγχωρεῖται. ἵνα μέν τοι καὶ μείζων γένηται ἡμετέρα δωρεα, καὶ τοῦτο νομοθετῆσαι κατηξιώσαμεν, ἵν' εἴ τινες οἰκίαι καὶ χωρία τοῦ δικαίου τῶν χριςιανῶν πρὸ τούτου ἐτύγχανον ὄντα, ἐκ τῆς κελεύσεος τῶν γονέων τῶν ἡμετέρων εἰς τὸ δίκαιον μετέπεσε τοῦ φίσκου, ἢ ὑπό τινος κατελήφθη πόλεως, εἴτε διάπρασις τούτων γεγένηται, εἴτε εἰς χάρισμα δέδοταί τινι, ταῦτα πάντα εἰς τὸ ἀρχαῖον δίκαιον τῶν χριςιανῶν ἀνακληθῆναι ἐκελεύσαμεν, ἵνα καὶ ἐν τούτῳ τῆς ἡμετέ-

ρας

ρας ἐυσεβείας καὶ τῆς προνοίας ἀισθησιν πάντες λάβωσιν.

Maximinus multis his verbis ſeſe excuſare conatur, & culpam in ipſos præſides reiicit. Tandem aperte confirmat religionum libertatem, & Chriſtianis reſtitui iubet, quæ fiſcus iis eripuiſſet, tametſi iam in alios ea tranſtuliſſet. Huius edicti ſententiam pluribus verbis iterum exponit altera Conſtantini & Licinii in eandem prope ſententiam edita conſtitutio, quæ apud Euſebium extat lib. 10. hiſtor. Eccleſ. Perſonabant iis temporibus, & adverſariorum aures feriebant, voces illæ & fulmina Lactantii: Non opus eſt vi & iniuria, quia religio cogi non" poteſt. Verbis potius quam verberibus res agen-" da eſt, &c. Item: Quid ergo ſæviunt? ut ſtulti-" tiam ſuam, dum minuere volunt, augeant? Lon-" ge diverſa ſunt, carnificina & pietas: nec poteſt" aut veritas cum vi, aut iuſtitia cum crudelitate con-" iungi. Item: Defendenda religio eſt non occiden-" do, ſed moriendo: non ſævitia, ſed patientia: non" ſcelere, ſed fide; illa enim malorum ſunt, hæc bo-" norum. Et neceſſe eſt, bonum in religione verſa-" ri, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi" malo religionem defendere velis, iam non defen-" detur illa, ſed polluetur, atque violabitur. Nihil" eſt enim tam voluntarium, quam religio: in qua ſi" animus ſacrificantis adverſus eſt, iam ſublata," iam nulla eſt, &c."

F I N I S.

AD EDICTA VETERVM PRINCIPVM ROMANORVM DE CHRISTIANIS

INDEX

ACclamationes impiæ contra Chriſtianos 113
actus quid 63. 64
adnotare iudex dicitur 41. 42
Adrianus Chriſtum inter Deos referre voluit 82
Adrianus Iudæos tumultuantes delevit. ibid.
Adrianus ſuos præſides vetat populo furenti cedere 80
Adrianus Traiano æquior 73
Adrianus voluit, ne Chriſtiani vexarentur 81
Adriani de Aegyptiorum & Alexandrinorum moribus epiſtola 83. 84
Adriani iuſiurandum 75. 77
Adriani reſcriptum de Chriſtianis item reſcripta capitalia 85

Aemi-

Aemilianus præſes 69. 70
ἀγάπη 50
Albiniani 107
Alcibiades læſæ religionis reus 80
Alexander Macedo Iudæos cives allegit 8
Alexander Severus Chriſtianis publicum locum in urbe conceſſit 101. *item liberam ſuæ religionis confeſſionem* ibid.
Alexander Severus Chriſtum in Larario ſuo coluiſſe dicitur 100
Alexander Severus Mammæus de Chriſtianis multa libenter audivit 100
Alexandriæ mirabilis fuit hominum colluvio, & religionis confuſio 85
Andocidis oratio 78
antelucanæ cœnæ Catilinariorum 45
Antelucani Chriſtianorum cœtus 44
Antiochiæ tempore Traiani nobiliſſ. eccleſia Chriſtianorum 63
Antiochus Epiphanes impius 116
Antiochus magnus æquus 9
Antoninus Adriani reſcriptum pro Chriſtianis confirmavit 90
Antoninus Caracalla Severi F. lacte Chriſtiano educatus 100
M. Antoninus philoſophus valde initio Chriſtianis iniquus 91
M. Antoninus ingenue confeſſus, verum a Chriſtianis Deum coli 96
Antoninus Pius valde ſuperſtitioſus 85

Antonini Pii edictum 87
Apollonius Ciceronis & Iulii Cæſaris præceptor 11
Apollonius Molo contra Iudæos turpiſſ. ſcripſit 10
Apollonius Senator Rom. propter religionem Chriſtianam capitis pœna affectus 97
Apollonius Tyanæus impoſtor 115
Aquila Ponticus Chriſtianus, edicto Claudii Italia pulſus 25
ara ignotorum deorum Athenis 16
Ariſtides philoſophus Chriſtianus 82. 83
Arnobius flammas Chriſtianorum videre potuit 116
Arnobii locus 36. 38. 49. 53
Arriani 17
Arrianorum principum contra Chriſtianos ſævitia 18
Arrius Antoninus proconſul Aſiæ 39. 61
Aſper Chriſtianum trepidantem dimiſit 71
ἄθεοι 89. 96. 106.
Athenis multi impune impii fuerunt 16
Attalus pro Chriſtiana fide damnatus 37
Auguſtini locus 90
Auguſti erga religionem Iudæorum liberalitas 12
Aurelianus Chriſtianos non vexavit 115. *repentino morbo oppreſſus interiit.* *ibid.*
Aurelius Cyrenius 115

B.

Bacchanalia detecta 58. 107
Bacchanalium antiſtites 37
Baſilii ad Galliæ & Italiæ epiſcopos verba 18
Blandina propter confeſſionem religionis Chriſtianæ, crudeliſſ. pœnas dedit 36

Gali-

C.

Caligula maximopere Iudæos vexavit 24
calumniatorum pœna 97
carmen quid 46
Caſſiani 107
Cataphryges 52
Celſus 17
Chariſtia 50
Chriſtus Auguſti tempore natus 13
Chriſtianum nomen tempore Tiberii in ſeculum introivit 21. 22
Chriſtiani nominis odium 36
Chriſtianum eſſe, olim crimen erat 77
Chriſtianos conquirendos non eſſe 34. 64. ſeq.
Chriſtiani experti, quam Rom. eſſent ſeveri ſuorum ſacrorum vindices 15
Chriſtiani habebant certos & ſolennes ſuos dies, quibus conveniebant 44. 45
Chriſtiani Iureconſultos iniquiores experti principibus ipſis 105
Chriſtiani olim furioſi, fatui, & dementes vocati 41. *item impoſtores* 101. *& incendiarii* 119
Chriſtiani læſæ religionis & maieſtatis accuſati 105. ſeq.
Chriſtianorum cœna, coitio, & convivia 50. ſeq.
Chriſtianorum in Bithynia, ora Pontica, Phrygia, & Galatia, conſtantia 62
Chriſtianorum in Phrygia quædam civitas tota flammis deleta ibid.
Chriſtianorum infeſtatio 58
Chriſtianorum ſancta confœderatio 49

Chriſtianorum ſynaxes 54. 56
Chriſtianis incolendam urbem Hieroſolymitanam Adrianus dediſſe dicitur 40
Chriſtianis omnes publicæ clades olim ab impiis aſcribebantur 90
Chriſtianos multi tyranni paſſi ſunt domi deliteſcere 56
Chriſtianos ſe eſſe multi impii & ſcelerati homines mentiebantur 107. 108
cibus innoxius 51
Cicero impias de Moſaica religione ſententias tulit 10
Ciceronis locus 9. 10. 59
Cincii Severi remedium 39
circumciſionem Iudæis Antoninus Pius permiſit 85
Claudius Herminianus a vermibus corroſus 99
Claudii Imp. tempore Chriſtiani primum Romæ eſſe cœperunt 25
clementia præcipua Principis virtus 119. 120
Clementis Alexandrini locus 47. 89
cogitationis pœna nulla 77. 108
cognitiones, capitales quæſtiones Plinius vocat 35
cognitiones prætoris extraordinariæ 35
κοιμητήρια apud Cretenſes 114
coitiones novæ Rom. ſuſpectæ 56
Coloniæ Iudæorum toto orbe Rom. fuerunt 9
confeſſi quando pro indicatis habendi 37. ſeq.
conſecrationem Chriſti Senatus Rom. recuſavit 22
conſiliarii Alexandri Severi 101
Conſtantini legibus opus erat, ut tuta Chriſtianis libertas eſſet 125
Conſtantius Conſtantini pater, & Galerii collega, humanus 120. 123

con-

conſtitutiones priores, poſterioribus tolluntur 103
Creſcens 17
crimen Chriſtianæ religionis 35
curioſi 65
Cypriani locus 38. 47. 111
Cyrilli cont. Iulian. pro Chriſtian. recriminatio 18
Cyrus 8

D.

Darius 5
Decimationes Legionum 61
Decius cum filio a Gothis cæſus 112
Decius horribilem Chriſtianorum ſtragem edidit 111
Deferendi verbum 67
Demetrianus 108. 111
Diagoras ἄθεος 16
diamone 54
Diocletianus Dalmata Iovius dici voluit 120
Diocletianus omnium tyrannorum rabiem ſuperavit, & libris Chriſtianorum bellum indixit 116
Diocletianus tantum Chriſtiani ſanguinis effudit, ut eorum ſanguine conſperſam ſuam purpuram tandem geſtare noluerit 120
Diocletiani edictum 72. *plusquam impia contra Chriſtianos edicta* 118. *ſeq.*
Dionis epitome 27. 75
Dionyſius epiſcopus Chriſtianus, & eius reſponſio 69. 70. 111
Domitianus Chriſtianos publico iudicio vexavit 26
Domitianus Neronianæ crudelitatis portio 27
ducuntur in ius, vel in carcerem, vel ad ſupplicium 39

E.

Eccleſia Chriſtiana in Galatia coaluit 28

eccleſia quid a lapſis poſtularit 69
eccleſiæ magna fuerunt cum Iudæis certamina 16
edictum perpetuum 104
edicta de Iudæis 9
elogia 68
Epiphanius 52
Epheſi maxima Chriſtianorum erat eccleſia 29
Eſſæorum ſimiæ 85
Euſebii locus 16. 22. 23. 24. 26. 27. 30. 31. 87. 92. 97.

F.

Feſtus Iudææ præſes 80
Flacci de Iudæis edictum 9
Flavia Domicilla 27
Flavius Clemens quare capitis pœna condemnatus 27
Fœlix præſes Iudææ 106
Funccii locus 29

G.

Galenus Chriſtianos, ut fatuos, contemnebat 91
Galerius Chriſtianorum pertinaciam accuſans, conſtantiam eorum laudat 123
Galerius edicit, ut Chriſtiaui Deum pro Rep. Rom. orent ibid.
Galerii pro Chriſtianis edictum 121. 123
Gallienus permiſit Chriſtianis κοιμητήρια recuperare 114
Gallieni edictum, ſive epiſt ola pro briſtianis 112
Gallus & Valerianus crudeles Principes 111
Gallus Gothis tributarius factus 112
Gnoſtici 52. 107
Gordianus princeps moderatus 110

Græ-

Græci in veteris eccleſiæ monumentis conſervandis diligentiores Italis 74. 75
Granianus Plinio æquior Chriſtianis 74. 78

H.

Heliogabalus Imp. unum toto orbe Deum ſuum Heliogabalum coli voluit 100
Herodis crudeliſſimum de trucidandis pueris bimulis edictum 13
Herodis regnum Auguſtus confirmavit ibid.
ἑταιρίαι 54. 55. 56
Hieronymi locus 27. 97. 100. 102
Hieroſolymarius dictus eſt Pompeius 10
Hieroſolymorum urbem Pompeius expugnavit 9
hymni Chriſtianorum 47
Hyrcanus Iudæorum Pontifex 11

I.

Idololatria a Chriſtiana religione maxime aliena 43
Ignatius & Simeon, duo veluti Chriſtianorum duces, Romam pertracti 34
impietas magna & legum labes, & civitatum pernicies 117
impietas quorundam leguleiorum 6
Index quis 43
Ioannis Apoſtoli recens memoria 29
Ioſephi locus 13. 15. 26. 53. 55. 86
Irenæus antiſtes Lugdunenſis eccleſiæ 97
Irenarchæ 65. ſeq.
Iſidis ſacra ſublata 104
Iſocratis dictum 78
Iudæorum reſpub. Eccleſia 8
Iudæos Pompeius tributarios eſſe iuſſit 9

Iudaica ſuperſtitio 98
Iudicium capitale in Areopagitica curia exercebatur 13
iudicium zeli 79
iudiciorum criminalium non una conditio 66
iudiciorum lex 81. 82
Iulianus apoſtata odio Chriſtianorum Iudæis faviſſe dicitur 103.
Iuliani apoſtatæ contra Chriſtianos obiectio 18
Iulii Cæſaris de Iudæis privilegia 11
iuramento quædam divini cultus ſpecies ineſt 71
iuriſprudentiæ deſcriptio 6
ius ab hiſtoria tanquam facto diſcernendum 6. 7
ius & hiſtoria coniungi debent 7
ius civium Rom. quid operetur 42
ius erat apud Rom. quidvis colere, præter unum Deum 106
ius gentium 82
Iuſtini querimonia, & locus 36. 38. 59. 75. 86

L.

Lactantii locus 109. 38. 36. 60. 102
legio Chriſtianorum ſuis ad Deum precibus, in ſumma ſiccitate impetraſſe dicitur pluvia 92. ſeq.
legio fulminatrix 92
legio una Chriſtianorum ex Armenia evocata 92
lex Porcia 42. *Sempronia* ibid.
lex antiquæ Rom. ſæpe mutatæ 104. *in cauſa Chriſtianorum præcipue* ibid.
leges Principum vulgus olim contempſit 81. 97
libelli accuſatorii conceptio 72
libelli ſine autore propoſiti quid operentur 34

litera

literæ M. Aurelii Antonini pro Chriſtianis 93. *ſeq.*
Livius, antiqui moris teſtis 30
Luciani locus 44. 59. 109

M.

Mammæa religioſa fœmina, Origenis diſcipula 100
Marcion 109
Marcus Agrippa 12. 55
Marinus, quod Chriſtianus eſſet, vita privatus 109
Maxentius a Conſtantino profligatus 124
Maximinus tyrannus 19
Maximinus alter, maximus Chriſtianorum hoſtis: & eius crudelitas 124. *ſeq.*
Maximinus tyrannus Cyclops & *Phalaris dictus, plebi tamen Chriſtianæ pepercit* 110
Maximus 110. 111
Mecœnatis de noſtra religione ſententia 14. & *de nova religione* 56
Melitonis Sardenſis Apologia 27. 75. 87. 89
Mileſiorum conſpiratio 49
miniſtræ eccleſiæ 57
Moſem Apollonius *magum & impoſtorem vocat* 10
Mutii Scævolæ dictum 17
Mutiorum veterum præclara ſapientia 105

N.

Neronis immanis contra Chriſtianos feritas 68
Neronis tempore primum de Chriſtianis Romæ publica quæſtio inſtituta 25
Nicanor Syriæ rex 8
Nicodorus pugil præſtantiſſimus legislator factus 117
Nigriani 107
nocentem abſolvi, quam innocentem condemnari, melius 157

noto-

notoria 68
Novatus 109
Numæ Commentariis Senatus Rom. non pepercit 116

O.

Odæ Chriſtianorum 45
offerendi verbum 67
oracula deorum tempore Adriani defecerunt 85
Origenes 17
Oroſii locus 13. 23. 26. 28. 86. 93

P.

Papinianus præfectus prætorio 99
Paternus 111
Paulus Samoſatenus 109
Paxos inſula 19
Perſæ olim capitis pœnam religioni peregrinæ irrogarunt 14
Peſſinuntius ſacerdos expulſus 104
Philonis locus 23. 24. 53. 55. 84
pictura horribilis apud Danielem 7. 8
Pilatus præſes Palæſtinæ provinciæ, ad Tiberium Imp. atque ad Senatum de paſſione & reſurrectione Chriſti retulit 22
Pilati conficta impudenter acta 18. 19
Plinius Secundus Chriſtianorum religionem pervicaciam vocat 32
Plinius Secundus Domitiani ſævitiam oderat 34
Plinius Secundus Traianum inter deos refert 42
Plinii Secundi ad Traianum relatio, quo tempore ſcripta 30
Plinii locus 58. 59
Plutarchi locus 21. 22. 44

pœnæ

pœnæ arbitrariæ 35
pœnæ Chriſtianorum 68
pœnæ deprecatio ubi locum habeat 36
Polycarpus conſtans reus 70. *pro Chriſtiano nomine condemnatus* 39. 90
Pompeius captis Hieroſolymis, nihil ex illo ſano attigit 9
Pomponia Græcina 25
Poſthumii Conſulis de abolendis Bacchanalibus verba 14. 56.
præſcriptio viginti annorum crimen extinguit 44
præſes malos homines conquirere debet 64
præſides ad Principem, aut Senatum, ſi quid maioris eſſet momenti referebant 19
præſides in Aſia & Gallia ceſſere populi inſanientis clamoribus 80
Principis oratio interdum S. C. appellatur 23
Pſalmi Chriſtianorum 47
Pſeudochriſtiani Chriſto maledixerunt 32
Ptolemæus Philadelphus 8

Q.

Quadratus eccleſiæ Atticæ miniſter 83
Quæſtores ſæpe ſycophantæ 65

R.

Relationes 68
Religio cogi non poteſt 129
religiones Rom. fabuloſæ 105
reus myſteriorum 78

Romu-

Romulus legem tulit, ne Rom. deos peregrinos colerent 21
rumoribus fides non adhibenda 119

S.

Sabinus præfectus prætorio Orientis 41
Sacramentum Chriſtianorum 33. 48
ſacramentum Euchariſtiæ 48
ſacramentum infanticidii 48. 49
ſacramentum in Bacchanalibus datum 48. 49
ſacramentum limitare ibid.
ſacramentum quid 47. 48
Seneca ſeceſſit, cum Nero in Chriſtianos ſæviret 34
Senecæ locus 61. 78
Septimius Severus Chriſtianorum memor 98. 99
Septimius Severus Iudæos fieri ſub gravi pœna vetuit 97
Serapidis ſacra ſublata 104
Sergius Paulus Cypri proconſul Paul. Apoſt. auditor 74
ſervum alicuius univerſitatis torquere licebat 57
ſervi quando in caput dominorum torqueri poſſint 57
ſervos Chriſtiani a miniſterio eccleſiaſtico non arcebant 57
Smyrnæ maxima Chriſtianorum eccleſia erat 29
Socrates 80
ſodales qui 54
ſtatus dies 44

Sueto-

INDEX.

Suetonii locus 25. 59
Sulpitii Severi locus 26. 73
ſupplicia quando exacerbanda 60
ex Suſpicionibus nemo damnandus 119
Syria provincia 11

T.

Tabella damnationis 36
or. Taciti locus 23. 26 44. 59
Tertulliani locus 19. 21. 26. 38. 41. 46. 47. 50. 65. 92. 103. 104. 106
Thyeſtæa convivia 52. 60
Tiberius Imp. periculum accuſatoribus Chriſtianorum comminatus 22. 23
Tiberius ad Senatum retulit, ut Chriſtus Deus haberetur 22. 46
Tiberius Iudæis Hieroſolymitanis faviſſe dicitur 24
Traianus Imp. Hiſpanus fuit 29
Traianus natura clemens 63
Traiani in Chriſtianos beneficium, & indulgentia 66. 67. 70

V.

Valentinus 109
Valerianus a Perſis captus, & in ſervitutis iugum redactus 112
Valeriani aula initio Eccleſia dicta 111
Varronis locus 77

veniam

veniam dare Principis eſt 36
L. Verus Antoninus vehementer dicitur amaſſe Chri-*ſtianos* 87
Veſpaſianus & Titus eccleſiam Chriſtianorum *non diſſipaverunt* 26
Vlpianus I. C. *coryphæus* 102
Vlpianum ſua purpura Alexander protexit 105
voces populi vanæ non audiendæ 79
Voleſus inſanus 61

X.

Xiphilinus 87. 92

FINIS.

VA1.1524596